This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

H. Grotii Votum pro pace Ecclesiastica contra examen Riveti. 1642.

— — — Ejusdem Animadversiones in Animadversiones a. Riveti. 1642.

Octav. N. 308.

ad 1. (Hug. Grot.)
Nicerons Nachr. Vol. I. pag. 79. n. 48.
Jahns Verzeichn. Vol. I. S. I. pag. 146. n. 536 f.
Schröckhs Chr. Kirchl. seit d. Ref. P. V. pag. 316 sqq.

ad 2.) Bauer. bibliotheca libr. rar. vnaus. Suppl. III. pag. 100.
Nicerons Nachr. ibid. n. 47.

ad 3.) libellus adhuc rarior.
Nicerons Nachr. ibid n. 46.
Hugonis Grotii manes etc. P. II. pag. 829. de tribus omnibus.
Dehinc simplis tribus omnibus Pfaffii introd. in histor. theol. litter. P. II. pag. 167. n. 151.
Jahn's Verzeichn. sein. Bücher. Vol. II. Sect. I. p. 145. sq. n. 536. e. de hoc libello tertio.

BT
15
.G881
V6
1642

VIA AD PACEM ECCLESIASTICAM.

Quæ hoc Tractatu continentur vide sequenti pagina.

AMSTERDAMI,
Apud IOHANNEM BLAEV.
M DC XLII.

Elenchus Tractatuum de Via ad Pacem Ecclesiasticam.

Bulla Pii Papæ IIII, super forma juramenti professionis fidei.

Confessio fidei exhibita invictissimo Imperatori Carolo V, in Comitiis Augustanis, M. D. XXX.

Georgii Cassandri Consultatio de Articulis Religionis inter Catholicos & Protestantes controversis.

Hugonis Grotii Annotata ad Consultationem Cassandri.

Ejusdem Disquisitio de Dogmatibus Pelagianis.

Ejusdem Baptizatorum Puerorum Institutio, & de Eucharistia.

Syllabus Auctorum, qui de conciliatione controversiarum in Religione scripserunt.

BVLLA

PII PAPÆ IIII,

Super

FORMA IVRAMENTI

professionis fidei.

Polit. Sci.
Baer
1-5-25
11134

PIVS EPISCOPVS,
SERVVS SERVORVM DEI,

ad perpetuam rei memoriam.

Njunctum nobis Apoſtolicæ ſervitutis officium requirit, ut ea quæ Dominus omnipotens, ad providam Eccleſiæ ſuæ directionem, ſanctis Patribus, in nomine ſuo congregatis divinitus inſpirare dignatus eſt, ad ejus laudem & gloriam incunctâter exequi properemus. Cum itaque juxta Concilii Tridentini diſpoſitionem omnes, quos deinceps Cathedralibus & ſuperioribus eccleſiis præfici, vel quibus de illarum dignitatibus, Canonicatibus, & aliis quibuſcumque beneficiis Eccleſiaſticis, curam animarum habentibus, provideri continget, publicam Orthodoxæ fidei profeſſionem facere, ſeque in Romanæ Eccleſiæ obedientia permanſuros ſpondere & jurare teneantur: Nos volentes, etiam per quoſcumque, quibus de monaſteriis, conventibus, domibus, & aliis quibuſcumque locis, Regularium quorumcumque Ordinum, etiam Militiarum, quocumque nomine vel titulo providebitur, idem ſervari, & ad hoc, ut unius ejuſdem fidei profeſſio uniformiter ab omnibus exhibeatur, unicaque & certa illius forma cunctis innoteſcat, noſtræ ſollicitudinis partes in hoc alicui minime deſiderari, formam ipſam præſentibus annotatam publicari, & ubique gentium per eos ad quos ex decretis ipſius Concilii & alios prædictos ſpectat, recipi & obſervari, ac ſub pœnis per Concilium ipſum in contravenientes latis, juxta hanc & non

aliam formam, professionem prædictam solem
niter fieri, auctoritate Apostolica tenore præsen
tium districte præcipiendo mandamus, hujusmo
di sub tenore: Ego N. firma fide credo & pro
fiteor omnia & singula, quæ continentur in Sym
bolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur
videlicet: Credo in unum Deum Patrem omni
potentem, factorem cæli & terræ, visibilium om
nium & invisibilium. Et in unum Dominum Ie
sum Christum, Filium Dei unigenitum, & ex Pa
tre natum ante omnia sæcula; Deum de Deo
lumen de lumine; Deum verum de Deo vero
Genitum, non factum, consubstantialem Patri
per quem omnia facta sunt: qui propter nos ho
mines, & propter nostram salutem descendit d
cælis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Ma
ria virgine, & homo factus est. Crucifixus etian
pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultu
est; & resurrexit tertia die secundum Scripturas
& ascendit in cælum, sedet ad dextram Patris
& iterum venturus est cum gloria judicare vivo
& mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spi
ritum sanctum Dominum, & vivificantem, qui e
Patre Filioque procedit; qui cum Patre & Fili
simul adoratur & conglorificatur; qui locutus e
per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam &
Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Bapti
ma in remissionem peccatorum: & exspecto re
surrectionem mortuorum, & vitam venturi sæcul
Amen. Apostolicas & Ecclesiasticas traditione
reliquasq; ejusdem Ecclesiæ observationes & co
stitutiones firmissime admitto & amplector. Iter
sacram Scripturam juxta eum sensum quem t
nuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est jud
ca

are de vero ſenſu & interpretatione ſacrarum Scripturarum, admitto ; nec eam umquam niſi uxta unanimem conſenſum patrum accipiam & nterpretabor. Profiteor quoque, ſeptem eſſe ve- e & proprie Sacramenta novæ legis à Ieſu Chri- ſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem umani generis, licet non omnia ſingulis neceſſa- ia, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Eu- hariſtiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium ; illaque gratiam onferre, & ex his Baptiſmum, Confirmationem Ordinem, ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. eceptos quoque & approbatos Eccleſiæ Catho- cæ ritus, in ſupradictorum omnium Sacramen- rum ſolemni adminiſtratione recipio & admit- o. Omnia & ſingula quæ de peccato originali & e juſtificatione in Sacroſancta Tridentina Syno- o definita & declarata fuerunt, amplector & re- pio. Profiteor pariter, in Miſſa offerri Deo ve- im, proprium, & propitiatorium ſacrificium, o vivis & defunctis ; atque in ſanctiſſimo Eu- ariſtiæ Sacramento eſſe vere, realiter & ſub- ntialiter Corpus & Sanguinem, una cum ani- a & divinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, fieri- ie converſionem totius ſubſtantiæ panis in Cor- s, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem; quam nverſionem Catholica Eccleſia Tranſſubſtan- tionem appellat. Fateor etiam, ſub altera tan- n ſpecie, totum atque integrum Chriſtum, ve- nque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo rgatorium eſſe, Animaſque ibi detentas fide- m ſuffragiis juvari. Similiter & Sanctos una n Chriſto regnantes, venerandos atque invo- ndos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis of-

ferre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero, imagines Christi, ac Deiparæ semper virginis, necnon aliorum Sanctorum, habendas & retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse; illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse, affirmo. Sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem & magistram agnosco; Romanoque Pontifici, beati Petri, Apostolorum Principis, successori, ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro. Cetera item omnia à sacris Canonibus, & œcumenicis Conciliis, ac præcipue à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita & declarata indubitanter recipio atque profiteor, simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram & inviolatam, usque ad extremum vitæ spiritum, constantissime (Deo adjuvante) retinere & confiteri, atque à meis subditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Euangelia. Volumus autem, quod præsentes litteræ, in Cancellaria nostra Apostolica, de more legantur: & ut omnibus facilius pateant, in ejus Quinterno describantur, ac etiam imprimantur.

Nulli

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ, apud ſanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Sexageſimoquarto, Idibus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Fr. Cardinalis Ceſius.

Ca. Glorierius.

CONFESSIO FIDEI

EXHIBITA

Invictissimo Imperatori

CAROLO V.

Cæsari Augusto

IN COMITIIS AVGVSTÆ,

Anno MDXXX.

PRÆFATIO AD CÆSAREM CAROLVM V.

Nvictissime Imperator, Cæsar Auguste, Domine Clementissime, cum V. C. M. indixerit conventum Imperii Augustæ, ut deliberetur de auxiliis contra Turcam atrocissimum, hæreditarium, atque veterem, Christiani nominis ac religionis hostem, quomodo illius scilicet furori & conatibus, durabili & perpetuo belli apparatu resisti possit. Deinde & de dissensionibus in caussa nostræ sanctæ religionis & Christianæ fidei, & ut in hac caussa religionis, partium opiniones, ac sententiæ inter sese, in charitate, lenitate, & mansuetudine mutua audiantur coram, intelligantur & ponderentur, ut illis, quæ utrinque in scripturis secus tractata aut intellecta sunt, sepositis & correctis, res ille ad unam simplicem veritatem & Christianam concordiam apponantur & reducantur, ut de cætero à nobis una, sincera & vera religio colatur, & servetur, ut quemadmodum sub uno Christo sumus & militamus: ita in una etiam Ecclesia Christiana, in unitate & concordia vivere possimus.

Cumque nos infrascripti Elector & Principes, cum aliis, qui nobis conjuncti sunt, perinde ut alii Electores & Principes & Status, ad præfixa Comitia evocati sumus, ut Cæsareo mandato obedienter obsequeremur, mature venimus Augustam; &, quod citra jactantiam dictum volumus, inter primos affuimus.

Cum igitur V. C. M. Electoribus, Principibus & aliis Statibus Imperii, etiam hic Augustæ sub ipsa initia horum Comitiorum inter cætera proponi fecerit, quod singuli status Imperii vigore Cæsarei edicti, suam opinionem & sententiam in Germanica & Latina lingua proponere debeant atque offerre. Et habita deliberatione proxima feria quarta, rursum responsum est, V. C. M. nos proxima feria sexta Articulos nostræ confessionis, pro nostra parte, oblaturos esse. Ideo ut V. M. voluntati obsequamur, offerimus in hac religionis caussa nostrum Commentarium, & nostram confessionem,

cujus-

ARTICVLI FIDEI PRÆCIPVI.

I.

Ecclesiæ magno consensu apud nos docent, Decretum Nicenæ Synodi de unitate essentiæ divinæ, de tribus personis, verum, & sine ulla dubitatione credendum esse. Videlicet, quod sit una essentia divina, quæ & appellatur & est Deus, æternus, incorporeus, impartibilis, immensa potentia, sapientia, bonitate, creator & conservator omnium rerum, visibilium & invisibilium, & tamen tres sint personæ ejusdem essentiæ, & potentiæ, & coæternæ: Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Et nomine personæ utuntur ea significatione, qua usi sunt in hac caussa Scriptores Ecclesiastici, ut significet non partem aut qualitatem in alio, sed quod proprie subsistit.

Damnant omnes hæreses, contra hunc articulum exortas, ut Manichæos, qui duo principia ponebant, Bonum & Malum: item Valentinianos, Arianos, Eunomianos, Mahometistas, & omnes horum similes. Damnant & Samosatenos, veteres & neotericos, qui, cum tantum unam personam esse contendant, de Verbo, & de Spiritu astute & impie rhetoricantur, quod non sint personæ distinctæ, sed quod Verbum significet verbum vocale, & spiritus motum in rebus creatum.

II.

Item docent, quod post lapsum Adæ omnes homines secundum naturam propagati, nascantur

tur cum peccato, hoc est, sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, & cum concupiscentia, quodque hic morbus, seu vitium originis vere sit peccatum, damnans & afferens nunc quoque æternam mortem, his qui non renascuntur per baptismum & Spiritum sanctum.

Damnant Pelagianos, & alios, qui vitium originis negant esse peccatum, & ut extenuent gloriam meriti, & beneficiorum Christi, disputant, hominem propriis viribus rationis coram Deo justificari posse.

III.

Item docent, quod verbum, hoc est, Filius Dei assumserit humanam naturam in utero beatæ Mariæ virginis, ut sint duæ naturæ, divina & humana, in unitate personæ inseparabiliter conjunctæ, unus Christus, vere Deus, & vere homo, natus ex virgine Maria, vere passus, crucifixus, mortuus & sepultus, ut reconciliaret nobis Patrem, & hostia esset non tantum pro culpa originis, sed etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis. Idem descendit ad inferos, & vere resurrexit tertia die: deinde ascendit ad cœlos, ut sedeat ad dexteram Patris, perpetuo regnet & dominetur omnibus creaturis, sanctificet credentes in ipsum, misso in corda eorum Spiritu sancto, qui regat, consoletur, ac vivificet eos, ac defendat adversus diabolum & vim peccati. Idem Christus palam est rediturus, ut judicet vivos & mortuos, &c. juxta Symbolum Apostolorum.

IV.

Item docent, quod homines non possint justi-

ficari coram Deo propriis viribus, meritis ac
peribus, sed gratis justificentur propter Chris
per fidem, cum credunt se in gratiam recipi
peccata remitti propter Christum, qui sua mo
pro nostris peccatis satisfecit. Hanc fidem im
tat Deus pro justicia coram ipso, Rom. 3, & 4

V.

Vt hanc fidem consequamur, institutum est
nisterium docendi Euangelii & porrigendi Sac
menta. Nam per verbum & sacramenta, t
quam per instrumenta donatur Spiritus sanct
qui fidem efficit, ubi & quando visum est D
in iis, qui audiunt Euangelium, scilicet quod De
non propter nostra merita, sed propter Christu
justificet, hos qui credunt, se propter Christu
in gratiam recipi.

Damnant Anabaptistas & alios, qui sentiun
Spiritum sanctum contingere sine verbo exter
hominibus, per ipsorum præparationes & oper

VI.

Item docent, quod fides illa debeat bonos fr
ctus parere, & quod oporteat bona opera, ma
data à Deo, facere, propter voluntatem Dei, no
ut confidamus per ea opera justificationem cora
Deo mereri. Nam remissio peccatorum & justi
ficatio fide apprehenditur, sicut testatur & vo
Christi: Cum feceritis hæc omnia, dicite, ser
inutiles sumus. Idem docent & veteres Scripto
res Ecclesiastici. Ambrosius enim inquit: Ho
constitutum est à Deo, ut, qui credit in Christum
salvus sit, sine opere, sola fide, gratis accipiens re
missionem peccatorum.

VII. Iten

VII.

Item docent, quod una ſancta Eccleſia perpetuo manſura ſit. Eſt autem Eccleſia congregatio ſanctorum, in qua Euangelium recte docetur, & recte adminiſtrantur Sacramenta. Et ad veram unitatem Eccleſiæ, ſatis eſt conſentire de doctrina Euangelii, & adminiſtratione Sacramentorum. Nec neceſſe eſt ubique eſſe ſimiles traditiones humanas, ſeu ritus aut ceremonias, ab hominibus inſtitutas. Sicut inquit Paulus: Vna fides, unum baptiſma, unus Deus, & Pater omnium, &c.

VIII.

Quanquam Eccleſia proprie ſit congregatio Sanctorum, & vere credentium, tamen cum in hac vita multi hypocritæ & mali admixti ſint: licet uti Sacramentis, quæ per malos adminiſtrantur, juxta vocem Chriſti: Sedent Scribæ & Phariſæi in Cathedra Moyſi, &c. Et Sacramenta & verbum, propter ordinationem & mandatum Chriſti, ſunt efficacia, etiamſi per malos exhibeantur.

Damnant Donatiſtas & ſimiles, qui negabant licere uti miniſterio malorum in Eccleſia, & ſentiebant miniſterium malorum inutile & inefficax eſſe.

IX.

De Baptiſmo docent, quod ſit neceſſarius ad ſalutem, quodque per Baptiſmum offeratur gratia Dei, & quod pueri ſint baptiſandi, qui per baptiſmum oblati Deo, recipiantur in gratiam Dei.

Damnant Anabaptiſtas, qui improbant baptiſ-

mum puerorum, & affirmant, pueros ſine baptiſmo ſalvos fieri.

X.

De Cœna Domini docent, quod corpus & ſanguis Chriſti vere adſint, & diſtribuantur veſcentibus in Cœna Domini, & improbant ſecus docentes.

XI.

De Confeſſione docent, quod abſolutio privata in Eccleſiis retinenda ſit, quanquam in confeſſione non ſit neceſſaria delictorum enumeratio. Eſt enim impoſſibilis, juxta Pſalmum: Delicta quis intelligit?

XII.

De pœnitentia docent, quod lapſis poſt Baptiſmum contingere poſſit remiſſio peccatorum, quocunque tempore, cum convertuntur. Et quod Eccleſia talibus redeuntibus ad pœnitentiam, abſolutionem impertiri debeat.

Conſtat autem pœnitentia proprie his duabus partibus: Altera eſt, contritio ſeu terrores incuſſi conſcientiæ agnito peccato. Altera eſt, fides, quæ concipitur ex Euangelio, ſeu abſolutione, & credit propter Chriſtum remitti peccata, conſolatur conſcientiam, & ex terroribus liberat. Deinde ſequi debent bona opera, quæ ſunt fructus pœnitentiæ.

Damnant Anabaptiſtas, qui negant ſemel juſtificatos poſſe amittere Spiritum ſanctum. Item qui contendunt, quibuſdam tantam perfectionem in hac vita contingere, ut peccare non poſſint.

Damnan-

Damnantur & Novatiani, qui nolebant absolvere lapsos post Baptismum, redeuntes ad pœnitentiam. Rejiciuntur & isti, qui non docent remissionem peccatorum per fidem contingere, sed jubent nos mereri gratiam per satisfactiones nostras.

XIII.

De usu Sacramentorum docent, quod Sacramenta instituta sint, non modo, ut sint notæ professionis inter homines, sed magis ut sint signa & testimonia voluntatis Dei erga nos, ad excitandam & confirmandam fidem in his, qui utuntur, proposita. Itaque utendum est Sacramentis ita, ut fides accedat, quæ credat promissionibus, quæ per Sacramenta exhibentur & ostenduntur.

Damnant igitur illos, qui docent, quod Sacramenta ex opere operato justificent, nec docent, fidem requiri in usu Sacramentorum, quæ credat remitti peccata.

XIV.

De ordine Ecclesiastico docent, quòd nemo debeat in Ecclesia publice docere, aut Sacramenta administrare, nisi rite vocatus.

XV.

De ritibus Ecclesiasticis docent, quod ritus illi servandi sint, qui sine peccato servari possunt, & prosunt ad tranquillitatem & bonum ordinem in Ecclesia, sicut certæ feriæ, festa, & similia.

De talibus rebus tamen admonentur homines, ne conscientiæ onerentur, tanquam talis cultus ad salutem necessarius sit.

Admonentur etiam, quod traditiones humanæ institutæ ad placandum Deum, ad promerendam gratiam, & satisfaciendum pro peccatis, adversentur Euangelio & doctrinæ fidei. Quare vota & traditiones de cibis & diebus, &c. institutæ ad promerendam gratiam, & satisfaciendum pro peccatis, inutiles sint, & contra Euangelium.

XVI.

De rebus civilibus docent, quod legitimæ ordinationes civiles sint bona opera Dei, quod Christianis liceat gerere Magistratus, exercere judicia, judicare res ex Imperatoriis & aliis præsentibus legibus, supplicia jure constituere, jure bellare, militare, lege contrahere, tenere proprium, jusjurandum postulantibus Magistratibus dare, ducere uxorem, nubere.

Damnant Anabaptistas, qui interdicunt hæc civilia officia Christianis. Damnant & illos, qui Euangelicam perfectionem non collocant in timore Dei & fide, sed in deferendis civilibus officiis, quia Euangelium tradit justitiam æternam cordis: Interim non diffipat Politiam aut Oeconomiam, sed maxime postulat conservare tanquam ordinationes Dei, & in talibus ordinationibus exercere caritatem. Itaque necessario debent Christiani obedire Magistratibus suis & legibus: nisi cum jubent peccare, tunc enim magis debent obedire Deo quam hominibus, Actor. 5.

XVII.

Item docent, quod Christus apparebit in consummatione mundi ad judicandum, & mortuos omnes resuscitabit, piis & electis dabit vitam æternam

ternam & perpetua gaudia, impios autem homines ac diabolos condemnabit, ut ſine fine crucientur.

Damnant Anabaptiſtas, qui ſentiunt, hominibus damnatis ac diabolis finem pœnarum futurum eſſe. Damnant & alios, qui nunc ſpargunt Iudaicas opiniones, quod ante reſurrectionem mortuorum, pii regnum mundi occupaturi ſint, ubique oppreſſis impiis.

XVIII.

De libero arbitrio docent, quod humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem juſtitiam, & deligendas res rationi ſubjectas. Sed non habet vim ſine Spiritu Sancto efficiendæ juſtitiæ Dei, ſeu juſtitiæ ſpiritualis, quia animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei; ſed hæc fit in cordibus, cum per verbum Spiritus ſanctus concipitur. Hæc totidem verbis dicit Auguſtinus lib. 3. Hypognoſticôn: Eſſe fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem judicium rationis, non per quod ſit idoneum in iis, quæ ad Deum pertinent, ſine Deo aut inchoare aut certe peragere, ſed tantum in operibus vitæ præſentis tam bonis quam etiam malis. Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, id eſt, velle laborare in agro, velle manducare & bibere, velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domum, uxorem velle ducere, pecora nutrire, artem diſcere diverſarum rerum bonarum, velle quicquid bonum ad præſentem pertinet vitam. Quæ omnia non ſine divino gubernaculo ſubſiſtunt, imo ex ipſo & per ipſum ſunt, & eſſe cœperunt. Malis vero dico,

ut est, velle idolum colere, velle homicidium, &c.

Damnant Pelagianos, & alios qui docent, quod sine Spiritu sancto, solis naturæ viribus possimus Deum super omnia diligere, Item præcepta Dei facere, quo ad substantiam actuum. Quanquam enim externa opera aliquo modo efficere natura possit: potest enim continere manus à furto, à cæde: tamen interiores motus non potest efficere, ut timorem Dei, fiduciam erga Deum, castitatem, patientiam, &c.

XIX.

De caussa peccati docent, quod tametsi Deus creat & conservat naturam, tamen caussa peccati est voluntas malorum, videlicet, diaboli & impiorum, quæ non adjuvante Deo, avertit se à Deo, sicut Christus ait Ioan. 8, Cum loquitur mendacium, ex seipso loquitur.

XX.

Falso accusantur nostri, quod bona opera prohibeant. Nam scripta eorum, quæ extant de decem præceptis, & alia simili argumento, testantur, quod utiliter docuerint de omnibus vitæ generibus & officiis, quæ genera vitæ, quæ opera in qualibet vocatione Deo placeant. De quibus rebus olim parum docebant Concionatores, tantum puerilia & non necessaria opera urgebant, ut certas ferias, certa jejunia, fraternitates, peregrinationes, cultus Sanctorum, rosaria, monachatum, & similia. Hæc adversarii nostri admoniti nunc dediscunt, nec perinde prædicant hæc inutilia opera, ut olim. Præterea incipiunt fidei mentionem

tionem facere, de qua olim mirum erat silentium. Docent, nos non tantum operibus justificari, sed conjungunt fidem & opera, & dicunt, nos fide & operibus justificari. Quæ doctrina tolerabilior est priore, & plus afferre potest consolationis, quam vetus ipsorum doctrina.

Cum igitur doctrina de fide, quam oportet in Ecclesia præcipuam esse, tam diu jacuerit ignota, quemadmodum fateri omnes necesse est, de fidei justitia altissimum silentium fuisse in concionibus, tantum doctrinam operum versatam esse in Ecclesiis, nostri de fide sic admonuerunt Ecclesias.

Principio, quod opera nostra non possint reconciliare Deum, aut mereri remissionem peccatorum, & gratiam, & justificationem, sed hanc tantum fide consequimur, credentes, quod propter Christum recipiamur in gratiam, qui solus positus est mediator & propitiatorium, per quem reconcilietur Pater. Itaque qui confidit operibus se mereri gratiam, is aspernatur Christi meritum & gratiam, & quærit sine Christo humanis viribus viam ad Deum, cum Christus de se dixerit, Ego sum via, veritas & vita.

Hæc doctrina de fide ubique in Paulo tractatur, Ephes. 2, Gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, &c.

Et ne quis cavilletur, à nobis novam Pauli interpretationem excogitari, tota hæc causa habet testimonia Patrum. Nam Augustinus multis voluminibus defendit gratiam & justitiam fidei contra merita operum. Et similia docet Ambrosius de vocatione Gentium, & alibi. Sic enim inquit de vocatione Gentium: Vilesceret redemptio

ſanguinis Chriſti, nec miſericordiæ Dei humanorum operum prærogativa ſuccumberet, ſi juſtificatio, quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur, ut non munus largientis, ſed merces eſſet operantis.

Quanquam autem hæc doctrina contemnitur ab imperitis, tamen experiuntur piæ ac pavidæ conſcientiæ, plurimum eam conſolationis afferre, quia conſcientiæ non poſſunt reddi tranquillæ per ulla opera, ſed tantum fide, cum certo ſtatuunt, quod propter Chriſtum habeant placatum Deum. Quemadmodum Paulus docet Rom. 1, Iuſtificati per fidem, pacem habemus apud Deum. Tota hæc doctrina, ad illud certamen perterrefactæ conſcientiæ referenda eſt, nec ſine illo certamine intelligi poteſt. Quare male judicant de ea re homines imperiti, & prophani, qui Chriſtianam juſtitiam nihil eſſe ſomniant, niſi civilem & philoſophicam juſtitiam.

Olim vexabantur conſcientiæ doctrina operum, non audiebant ex Euangelio conſolationem: Quoſdam conſcientia expulit in deſertum, in monaſteria, ſperantes, ibi ſe gratiam merituros eſſe per vitam monaſticam. Alii alia excogitaverunt opera, ad promerendam gratiam & ſatisfaciendum pro peccatis. Ideo magnopere fuit opus, hanc doctrinam de fide in Chriſtum tradere, & renovare, ne deeſſet conſolatio pavidis conſcienſciis, ſed ſcirent, fide in Chriſtum apprehendi gratiam & remiſſionem peccatorum & juſtificationem.

Admonentur etiam homines, quod hîc nomen fidei non ſignificet tantum hiſtoriæ notitiam, qualis eſt in impiis & diabolo, ſed ſignificet fidem, quæ

quæ credit non tantum historiam, sed etiam effectum historiæ, videlicet, hunc articulum, Remissionem peccatorum, quod videlicet per Christum habeamus gratiam, justitiam & remissionem peccatorum.

Iam qui scit, se per Christum habere propitium Patrem, is vere novit Deum, scit, se ei curæ esse, invocat eum. Denique non est sine Deo sicut gentes. Nam diaboli & impii non possunt hunc articulum credere, Remissionem peccatorum. Ideo Deum tanquam hostem oderunt, non invocant eum, nihil boni ab eo expectant. Augustinus etiam de fidei nomine hoc modo admonet lectorem, & docet, in scripturis nomen fidei accipi, non pro notitia, qualis est in impiis, sed pro fiducia, quæ consolatur & erigit perterrefactas mentes.

Præterea docent nostri, quod necesse sit bona opera facere, non ut confidamus per ea gratiam mereri, sed propter voluntatem Dei. Tantum fide apprehenditur remissio peccatorum ac gratia. Et quia per fidem accipitur Spiritus sanctus, jam corda renovantur, & induunt novos affectus, ut parere bona opera possint. Sic enim ait Ambrosius: Fides bonæ voluntatis, & justæ actionis genitrix est. Nam humanæ vires, sine Spiritu sancto, plenæ sunt impiis affectibus, & sunt imbecilliores, quam ut bona opera possint efficere coram Deo. Ad hæc, sunt in potestate diaboli, qui impellit homines ad varia peccata, ad impias opiniones, ad manifesta scelera. Quemadmodum est videre in Philosophis, qui & ipsi conati honeste vivere, tamen id non potuerunt efficere, sed contaminati sunt multis manifestis sceleribus.

Talis

Talis est imbecillitas hominis, cum est sine fide & sine Spiritu sancto, & tantum humanis viribus se gubernat.

Hinc facile apparet, hanc doctrinam non esse accusandam quod bona opera prohibeat, sed multo magis laudandam, quod ostendit, quomodo bona opera facere possimus. Nam sine fide, nullo modo potest humana natura primi aut secundi præcepti opera facere. Sine fide non invocat Deum, à Deo nihil expectat, non tolerat crucem, sed quærit humana præsidia, confidit humanis præsidiis. Ita regnant in corde omnes cupiditates, & humana consilia, cum abest fides & fiducia erga Deum. Quare & Christus dixit: Sine me nihil potestis facere, Ioan. 15. Et Ecclesia canit: Sine tuo numine nihil est in homine, nihil est innoxium.

XXI.

De cultu Sanctorum docent, quod memoria sanctorum proponi potest, ut imitemur fidem eorum, & bona opera juxta vocationem. Vt, Cæsar imitari potest exemplum Davidis in bello gerendo ad depellendos Turcas à patria. Nam uterque rex est. Sed scriptura non docet invocare Sanctos, seu petere auxilium à sanctis, Quia unum Christum nobis proponit mediatorem, propitiatorium, Pontificem, & intercessorem. Hic invocandus est, & promisit, se exauditurum esse preces nostras, & hunc cultum maxime probat, videlicet, ut invocetur in omnibus afflictionibus, 1 Ioh. 1, Si quis peccat, habemus advocatum apud Deum, &c.

Hæc fere summa est doctrinæ apud nos, in qua cerni

cerni potest, nihil inesse, quod discrepet à scripturis, vel ab Ecclesia Catholica, vel ab Ecclesia Romana, quatenus ex scriptoribus nota est. Quod cum ita sit, inclementer judicant isti, qui nostros pro hæreticis haberi postulant. Sed dissensio est de quibusdam abusibus, qui sine certa authoritate in Ecclesias irrepserunt, in quibus etiam, si qua esset dissimilitudo, tamen decebat hæc lenitas Episcopos, ut propter confessionem, quam modo recensuimus, tolerarent nostros, quia ne Canones quidem tàm duri sunt, ut eosdem ritus ubique esse postulent: neque similes unquam omnium Ecclesiarum ritus fuerunt. Quanquam apud nos magna ex parte veteres ritus diligenter servantur. Falsa enim calumnia est, quod omnes ceremoniæ, omnia vetera instituta in Ecclesiis nostris aboleantur. Verum publica querela fuit, abusus quosdam in vulgaribus ritibus hærere. Hi, quia non poterant bona conscientia probari, aliqua ex parte correcti sunt.

ARTI-

ARTICVLI, IN QVIBVS RECENSENTVR ABVSVS MVTATI.

CVm Eccleſiæ apud nos de nullo articulo fidei diſſentiant ab Eccleſia Catholica, tantum paucos quoſdam abuſus omittant, qui novi ſunt, & contra voluntatem Canonum, vitio temporum recepti, rogamus, ut Cæſarea Majeſtas clementer audiat, & quid ſit mutatum, & quæ fuerunt cauſſæ, quo minus coactus ſit populus illos abuſus contra conſcientiam obſervare. Nec habeat fidem Cæſarea Majeſtas iſtis, qui, ut inflamment odia hominum adverſus noſtros, miras calumnias ſpargunt in populum. Hoc modo irritatis animis bonorum virorum initio præbuerunt occaſionem huic diſſidio, & eadem arte conantur nunc augere diſcordias. Nam Cæſarea Majeſtas haud dubie comperiet tolerabiliorem eſſe formam, & doctrinæ & ceremoniarum apud nos, quam qualem homines iniqui & malevoli deſcribunt. Porro veritas ex vulgi rumoribus aut maledictis inimicorum colligi non poteſt. Facile autem hoc judicari poteſt, nihil magis prodeſſe ad dignitatem ceremoniarum conſervandam, & alendam reverentiam ac pietatem in populo, quam ſi ceremoniæ rite fiant in Eccleſiis.

I.

De utraque ſpecie.

LAicis datur utraque ſpecies Sacramenti in Cœna Domini, quia hic mos habet mandatum

Domini, Matth. 26, Bibite ex hoc omnes. manifeſte præcepit Chriſtus de poculo ut o- es bibant : & ne quis poſſit cavillari, quod ad Sacerdotes tantum pertineat, Paulus ad rinthios exemplum recitat, in quo apparet, tam Eccleſiam utraque ſpecie uſam eſſe. Et diu anſit hic mos in Eccleſia, nec conſtat, quando, t quo autore mutatus ſit : tametſi Cardinalis uſanus recitet, quando ſit approbatus. Cypria- is aliquot locis teſtatur, populo ſanguinem da- m eſſe. Idem teſtatur Hieronymus, qui ait: acerdotes Euchariſtiæ miniſtrant, & ſanguinem hriſti populis dividunt. Imo Gelaſius Papa man- at ne dividatur Sacramentum, Diſtinct. 2. de onſecratione cap. Comperimus. Tantum con- uetudo non ita vetus aliud habet. Conſtat au- em, quod conſuetudo contra mandata Dei in- roducta, non ſit probanda, ut teſtantur Canones, Diſtinct. 8, cap. Veritate, cum ſequentibus. Hæc vero conſuetudo non ſolum contra ſcripturam, ſed etiam contra veteres Canones, & exemplum Eccleſiæ recepta eſt. Quare ſi qui maluerunt utraque ſpecie Sacramenti uti, non fuerunt cogendi, ut aliter facerent cum offenſione conſcientiæ.

Et quia diviſio ſacramenti non convenit cum inſtitutione Chriſti, ſolet apud nos omitti proceſſio, quæ hactenus fieri ſolita eſt.

II.

De conjugio Sacerdotum.

PVblica querela fuit de exemplis Sacerdotum, qui non continebant. Quam ob cauſam & Pius Papa dixiſſe fertur, fuiſſe aliquas cauſſas, cur

cur ademptum sit Sacerdotibus conjugium, sed multo majores esse causas, cur reddi debeat. Sic enim scribit Platina: Cum igitur Sacerdotes apud nos publica illa scandala vitare vellent, duxerunt uxores, ac docuerunt, quod liceat ipsis contrahere matrimonium: Primum, quia Paulus dicit, Vnusquisque habeat uxorem suam propter fornicationem. Item, Melius est nubere, quam uri. Secundo, Christus inquit: Non omnes capiunt verbum hoc: ubi docet, non omnes homines ad cœlibatum idoneos esse, quia Deus creavit hominem ad procreationem, Genes. 1. Nec est humanæ potestatis, sine singulari dono & opere Dei, creationem mutare. Igitur qui non sunt idonei ad cælibatum, debent contrahere matrimonium. Nam mandatum Dei & ordinationem Dei, nulla lex humana, nullum votum tollere potest. Ex his causis docent Sacerdotes, sibi licere uxores ducere. Constat etiam in Ecclesia veteri, Sacerdotes fuisse maritos. Nam & Paulus ait, Episcopum eligendum esse, qui sit maritus. Et in Germania primum ante annos quadringentos, Sacerdotes vi coacti sunt ad cælibatum, qui quidem adeo adversati sunt, ut Archiepiscopus Moguntinus, publicaturus edictum Romani Pontificis de ea re, pene ab iratis Sacerdotibus per tumultum oppressus sit. Et res gesta est tam inciviliter, ut non solum in posterum conjugia prohiberentur, sed etiam præsentia, contra omnia jura divina & humana, contra ipsos etiam Canones factos, non solum à Pontificibus, sed à laudatissimis Synodis, distraherentur.

Et cum senescente mundo, paulatim natura humana fiat imbecillior, convenit prospicere, ne plura

plura vitia serpant in Germaniam. Porro Deus instituit conjugium, ut esset remedium humanæ infirmitatis. Ipsi Canones veterem rigorem interdum posterioribus temporibus propter imbecillitatem hominum laxandum esse dicunt, quod optandum est, ut fiat & in hoc negotio. Ac videntur Ecclesiis aliquando defuturi pastores, si diutius prohibeatur conjugium.

Cum autem extet mandatum Dei, cum mos Ecclesiæ notus sit, cum impurus cœlibatus plurima pariat scandala, adulteria, & alia scelera, digna animadversione boni magistratus: tamen mirum est, nulla in re majorem exerceri sævitiam, quam adversus conjugium Sacerdotum. Deus præcipit hõnore afficere conjugium. Leges in omnibus Rebuspublicis bene constitutis, etiam apud Ethnicos, maximis honoribus ornaverunt. At nunc capitalibus pœnis excruciantur, & quidem Sacerdotes contra Canonum voluntatem, nullam aliam ob causam, nisi propter conjugium. Paulus vocat doctrinam dæmoniorum, quæ prohibet conjugium, 1 Tim. 4. Id facile nunc intelligi potest, cum talibus suppliciis prohibitio conjugii defenditur.

Sicut autem nulla lex humana potest mandatum Dei tollere, ita nec votum potest tollere mandatum Dei. Proinde etiam Cyprianus suadet, ut mulieres nubant, quæ non servant promissam castitatem. Verba ejus sunt hæc, lib. 1, epistola 11: Si autem perseverare nolunt, aut non possunt, melius est, ut nubant, quam ut in ignem deliciis suis cadant, certe nullum fratribus aut sororibus scandalum faciant. Et æquitate quadam utuntur ipsi Canones erga hos, qui ante justam

ætatem voverunt, quomodo fere hactenus fieri consuevit.

III.

De Missa.

FAlso accusantur Ecclesiæ nostræ, quod Missam aboleant: retinetur enim Missa apud nos, & summa reverentia celebratur. Servantur & usitatæ ceremoniæ fere omnes, præterquam quod Latinis cantionibus admiscentur alicubi Germanicæ, quæ additæ sunt ad docendum populum. Nam ad hoc unum opus est ceremoniis, ut doceant imperitos. Et non modo Paulus præcipit uti lingua intellecta populo in Ecclesia, sed etiam ita constitutum est humano jure.

Assuefit populus, ut una utantur Sacramento, si qui sunt idonei, id quoque auget reverentiam ac religionem publicarum ceremoniarum. Nulli enim admittuntur, nisi antea explorati. Admonentur etiam homines de dignitate & usu Sacramenti, quantã consolationem afferat pavidis conscientiis, ut discant Deo credere, & omnia bona à Deo expectare & petere. Hic cultus delectat Deum, talis usus sacramenti alit pietatem erga Deum. Itaque non videntur apud adversarios Missæ majore religione fieri, quam apud nos.

Constat autem hanc quoque publicam & longe maximam querelam omnium bonorum virorum diu fuisse, quod Missæ turpiter prophanarentur, collatæ ad quæstum. Neque enim obscurum est, quam late pateat hic abusus in omnibus templis, à qualibus celebrentur Missæ, tantum propter

pter mercedem aut ſtipendiū, quam multi contra interdictum Canonum celebrent. Paulus autem graviter minatur his, qui indigne tractant Euchariſtiam, cùm ait: Qui ederit panem hunc, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Itaque cum apud nos admonerentur Sacerdotes de hoc peccato, deſierunt apud nos privatæ Miſſæ, cum fere nullæ privatæ Miſſæ niſi quæſtus cauſſa fierent.

Neque ignoraverunt hos abuſus Epiſcopi, qui ſi correxiſſent eos in tempore, minus nunc eſſet diſſenſionum. Antea ſua diſſimulatione multa vitia paſſi ſunt in Eccleſiam ſerpere. Nunc vero incipiunt queri de calamitatibus Eccleſiæ, cum hic tumultus non aliunde ſumpſerit occaſionem, quam ex illis abuſibus, qui tam manifeſti erant, ut tolerari amplius non poſſent. Magnæ diſſenſiones de Miſſa, de Sacramento extiterunt. Fortaſſe dat pœnas orbis tam diuturnæ prophanationis Miſſarum, quam in Eccleſiis tot ſeculis toleraverunt iſti, qui emendare & poterant & debebant. Nam in Decalogo ſcriptum eſt, Qui Dei nomine abutitur, non erit impunitus. At ab initio mundi nulla res divina ita videtur unquam ad quæſtum collata fuiſſe, ut Miſſa.

Acceſſit opinio, quæ auxit privatas Miſſas in infinitum, videlicet quod Chriſtus ſua paſſione ſatisfecerit pro peccato originis, & inſtituerit Miſſam, in qua fieret oblatio pro quotidianis delictis mortalibus & venialibus. Hinc manavit publica opinio, quod Miſſa ſit opus delens peccata vivorum & mortuorum ex opere operato. Hic cœptum eſt diſputari, utrum una Miſſa dicta pro pluribus, tantundem valeat quantum ſingulæ pro

singulis. Hæc disputatio peperit istam infinitam multitudinem Missarum.

De his opinionibus nostri admonuerunt, quod dissentiant à scripturis sanctis, & lædant gloriam passionis Christi. Nam passio Christi fuit oblatio & satisfactio, non solum pro culpa originis, sed etiam pro omnibus reliquis peccatis, ut ad Hebræos scriptum est: Sanctificati sumus per oblationem Iesu Christi semel. Item, Vna oblatione consummavit in perpetuum sanctificatos.

Item, Scriptura docet, Nos coram Deo justificari per fidem in Christum, cum credimus, nobis remitti peccata propter Christum. Iam si Missa delet peccata vivorum & mortuorum ex opere operato, contingit justificatio ex opere Missarum, non ex fide, quod scriptura non patitur.

Sed Christus jubet facere in sui memoriam. Quare Missa instituta est, ut fides in iis, qui utuntur sacramento, recordetur, quæ beneficia accipiat per Christum, & erigat & consoletur pavidam conscientiam. Nam id est meminisse, Christi beneficia meminisse, ac sentire, quod vere exhibeantur nobis. Nec satis est historiam recordari, quia hanc etiam Iudæi & impii recordari possunt. Est igitur ad hoc facienda Missa, ut ubi porrigatur sacramentum his, quibus opus est consolatione, sicut Ambrosius ait: Quia semper pecco, semper debeo accipere medicinam.

Cum autem Missa sit talis communicatio sacramenti, servatur apud nos una communis Missa, singulis feriis atque aliis etiam diebus, si qui sacramento velint uti, ubi porrigitur sacramentum his qui petunt. Neque hic mos in Ecclesia novus est. Nam veteres ante Gregorium non faciunt

cíunt mentionem privatæ Missæ. De communi Missa plurimum loquuntur. Chrysostomus ait, Sacerdotem quotidie stare ad altare, & alios ad communionem accersere, alios arcere. Et ex Canonibus veteribus apparet, unum aliquem celebrasse Missam, à quo reliqui Presbyteri & Diaconi sumpserunt corpus Domini. Sic enim sonant verba Canonis Niceni: Accipiant Diaconi secundum ordinem post Presbyteros, ab Episcopo vel à Presbytero sacram communionem. Et Paulus de communione jubet, ut alii alios expectent, ut fiat communis participatio.

Postquam igitur Missa apud nos habet exemplum Ecclesiæ, ex scriptura & patribus, confidimus, improbari eam non posse, maxime cum publicæ ceremoniæ, magna ex parte similes usitatis ferventur, tantum numerus Missarum est dissimilis, quem propter maximos & manifestos abusus certe moderari prodesset. Nam olim etiam in Ecclesiis frequentissimis non fiebat quotidie Missa, ut testatur historia Tripartita lib. 9, cap. 38. Rursus autem in Alexandria, quarta & sexta feria scripturæ leguntur, easque doctores interpretantur, & omnia fiunt præter solennem oblationis morem.

IV.

De Confessione.

Confessio in Ecclesiis apud nos non est abolita. Non enim solet porrigi corpus Domini, nisi antea exploratis & absolutis. Et docetur populus diligentissime de fide absolutionis, de qua ante hæc tempora magnum erat silẽtium. Docen-

tur homines, ut absolutionem plurimi faciant, quia sit vox Dei, & mandato Dei pronuncietur. Ornatur potestas clavium & commemoratur, quantam consolationem afferat perterrefactis conscientiis, & quod requirat Deus fidem, ut illi absolutioni tanquam voci de cœlo sonanti credamus, & quod illa fides in Christum vere consequatur & accipiat remissionem peccatorum. Antea immodice extollebantur satisfactiones: Fidei vero & meriti Christi ac justitiæ fidei nulla fiebat mentio. Quare in hac parte minime sunt culpandæ Ecclesiæ nostræ. Nam hoc etiam adversarii tribuere nobis coguntur, quod doctrina de pœnitentia diligentissime à nostris tractata ac patefacta sit.

Sed de Confessione docent, quod enumeratio delictorum non sit necessaria, nec sint onerandæ conscientiæ cura enumerandi omnia delicta, quia impossibile est omnia delicta recitare, ut testatur Psalmus: Delicta quis intelligit? Item Ieremias: Pravum est cor hominis & inscrutabile. Quod si nulla peccata nisi recitata remitterentur, nunquam acquiescere conscientiæ possent, quia plurima peccata neque vident neque meminisse possunt. Testantur & veteres scriptores, enumerationem non esse necessariam. Nam in Decretis citatur Chrysostomus, qui sic ait: Non tibi dico, ut te prodas in publicum, neque apud alios te accuses, sed obedire te volo prophetæ, dicenti; Revela ante Deum viam tuam. Ergo tua confitere peccata apud Deum, verum judicem, cum oratione. Delicta tua pronuncia non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria, &c. Et glossa de pœnitentia, Distinct. 5, capit. Consideret, fatetur, humani

juris

juris esse confessionem. Verum confessio, cum propter maximum absolutionis beneficium, tum propter alias conscientiarum utilitates apud nos retinetur.

V.

De discrimine ciborum.

PVblica persuasio fuit non tantum vulgi, sed etiam docentium in Ecclesiis, quod discrimina ciborum, & similes traditiones humanæ, sint opera utilia ad promerendam gratiam & satisfactoria pro peccatis. Et quod sic senserit mundus, apparet ex eo, quia quotidie instituebantur novæ ceremoniæ, novi ordines, novæ feriæ, nova jejunia, & doctores in templis exigebant hæc opera tanquam necessarium cultum ad promerendam gratiam, & vehementer terrebant conscientias, si quid omitterent. Ex hac persuasione de traditionibus multa incommoda in Ecclesia secuta sunt.

Primo, obscurata est doctrina de gratia & justitia fidei, quæ est præcipua pars Euangelii, & quam maxime oportet extare & eminere in Ecclesia, ut meritum Christi bene cognoscatur, & fides, quæ credit remitti peccata propter Christum, longe supra opera collocetur. Quare & Paulus in hunc locum maxime incumbit, legem & traditiones humanas removet, ut ostendat, justitiam Christianam aliud quiddam esse, quam hujusmodi opera, videlicet fidem, quæ credit, peccata gratis remitti propter Christum. At hæc doctrina Pauli, pene tota oppressa est per traditiones, quæ pepererunt opinionem, quod per discrimina ciborum, & similes cultus, oporteat mereri

gratiam & justitiam. In pœnitentia nulla mentio fiebat de fide, tantum hæc opera satisfactoria proponebantur. In his videbatur pœnitentia tota consistere.

Secundo, hæ traditiones obscuraverunt præcepta Dei, quia traditiones longe præferebantur præceptis Dei, Christianismus totus putabatur esse observatio certarum feriarum, rituum, jejuniorum, vestitus. Hæ observationes erant in possessione honestissimi tituli, quod essent vita spiritualis, & vita perfecta. Interim mandata Dei juxta vocationem, nullam laudem habebant: quod paterfamilias educabat sobolem, quod mater pariebat, quod Princeps regebat rempublicam, hæc putabantur esse opera mundana & imperfecta, & longe deteriora illis splendidis observationibus. Et hic error valde cruciavit pias conscientias, quæ dolebant se teneri imperfecto vitæ genere, in conjugio, in magistratibus, aut aliis functionibus civilibus, mirabantur Monachos & similes, & falso putabant illorum observationes Deo gratiores esse.

Tertio, traditiones attulerunt magna pericula conscientiis, quia impossibile erat omnes traditiones servare, & tamen homines arbitrabantur has observationes necessarios esse cultus. Gerson scribit, multos incidisse in desperationem, quosdam etiam sibi mortem consciviſſe, quia senserant, se non posse satisfacere traditionibus, & interim consolationem nullam de justitia fidei & de gratia audierant.

Videmus, Summistas & Theologos colligere traditiones, & quærere ἐπιεικείας, ut levent conscientias, non satis tamen expediunt, sed interdum magis

magis injiciunt laqueos conſcientiis. Et in c
gendis traditionibus ita fuerunt occupatæ Sc
læ, & conciones, ut non vacaverit attingere
pturam, & quærere utiliorem doctrinam de fi
de cruce, de ſpe, de dignitate civilium rerum
conſolatione conſcientiarum in arduis tentati
bus. Itaque Gerſon & alii quidam Theologi g
viter queſti ſunt, ſe his rixis traditionum imp
ri, quo minus verſari poſſent in meliore gen
doctrinæ. Et Auguſtinus vetat onerare conſci
tias hujuſmodi obſervationibus, & prudenter
monet Ianuarium, ut ſciat eas indifferenter
ſervandas eſſe, ſic enim loquitur:

Quare noſtri non debent videri hanc cauſ
temere attigiſſe, aut odio Epiſcoporum, ut
dam falſo ſuſpicantur. Magna neceſſitas fuit
illis erroribus, qui nati erant ex traditionibus
le intellectis, admonere Eccleſias. Nam Euan
lium cogit urgere doctrinam in Eccleſiis de gr
& juſtitia fidei, quæ tamen intelligi non poteſ
putent homines, ſe mereri gratiam per obſe
tiones ab ipſis electas.

Sic igitur docuerunt, quod per obſervatio
traditionum humanarum non poſſimus grat
mereri, aut juſtificari, quare non eſt ſentiend
quod hujuſmodi obſervationes ſint neceſſa
cultus.

Addunt teſtimonia ex ſcripturis. Chr
Matth. 15 excuſat Apoſtolos, qui non ſerv
rant uſitatam traditionem, quæ tamen videb
de re non illicita, ſed media eſſe, & habere
gnationem cum baptiſmatibus legis, & dicit:
ſtra colunt me mandatis hominum. Igitur no
igit cultum inutilem.

Et paulo post addit: Omne quod intrat in os, non inquinat hominem.

Item Rom. 14. Regnum Dei non est esca aut potus.

Coloss. 2. Nemo judicet vos in cibo, potu, sabbato aut die festo.

Item, Si mortui estis cum Christo, ab elementis mundi, quare tanquam viventes in mundo decreta facitis? Ne attingas: Ne gustes: Ne contrectes.

Actor. 15, ait Petrus: Quare tentatis Deum, imponentes jugum super cervices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus, sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi. Hic vetat Petrus onerare conscientias pluribus ritibus, sive Mosis, sive aliis.

Et 1 Timoth. 4, vocat prohibitionem ciborum doctrinam dæmoniorum, quia pugnat cum Euangelio talia opera instituere aut facere, ut per ea mereamur gratiam, aut quod non possit existere Christianismus sine tali cultu.

Hic objiciunt adversarii, quod nostri prohibeant disciplinam & mortificationem carnis, sicut Iovinianus. Verum aliud deprehendetur ex scriptis nostrorum. Semper enim docuerunt de cruce, quod Christianos oporteat tolerare afflictiones. Hæc est vera, seria & non simulata mortificatio, variis afflictionibus exerceri, & crucifigi cum Christo.

Insuper docent, quod quilibet Christianus debeat se corporali disciplina, aut corporalibus exercitiis & laboribus sic exercere & coercere, ne saturitas aut desidia extimulet ad peccandum;

non

non ut per illa exercitia mereamur gratiam, aut satisfaciamus pro peccatis. Et hanc corporalem disciplinam oportet semper urgere, non solum paucis & constitutis diebus, sicut CHRISTVS præcipit: Cavete ne corpora vestra graventur crapula. Item: Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi jejunio & oratione. Et Paulus ait: Castigo corpus meum, & redigo in servitutem. Vbi clare ostendit, se ideo castigare corpus, non ut per eam disciplinam mereatur remissionem peccatorum, sed ut corpus habeat obnoxium, & idoneum ad res spirituales, & ad faciendum officium, juxta vocationem suam. Itaque non damnantur ipsa jejunia, sed traditiones, quæ certos dies, certos cibos præscribunt, cum periculo conscientiæ, tanquam istiusmodi opera sint necessarius cultus.

Servantur tamen apud nos plærique traditiones, quæ conducunt ad hoc, ut res ordine geratur in Ecclesia, ut ordo lectionum in Missa, & præcipuæ feriæ. Sed interim homines admonentur, quod talis cultus non justificet coram Deo, & quod non sit ponendum peccatum in talibus rebus, si omittantur sine scandalo. Hæc libertas in ritibus humanis non fuit ignota patribus. Nam in Oriente alio tempore servaverunt Pascha quam Romæ, & cum Romani propter hanc dissimilitudinem accusarent Orientem schismatis, admoniti sunt ab aliis, tales mores non oportere ubique similes esse. Et Irenæus inquit: Dissonantia jejunii, fidei consonantiam non solvit: sicut & Distinct. 12 Gregorius Papa significat, talem dissimilitudinem non lædere unitatem Ecclesiæ. Et in historia Tripartita, lib. 9, multa colliguntur exempla

exempla dissimilium rituum, & recitantur hæc verba: Mens Apostolorum fuit, non de diebus festis sancire, sed prædicare bonam conversationem, & pietatem.

VI.

De votis Monachorum.

QVid de votis Monachorum apud nos doceatur, melius intelliget, si quis meminerit, qualis status fuerit Monasteriorum, quam multa contra Canones in ipsis Monasteriis quotidie fiebant. Augustini tempore erant libera collegia, postea corrupta disciplina, ubique addita sunt vota, ut tanquam excogitato carcere, disciplina restitueretur. Additæ sunt paulatim supra vota aliæ multæ observationes. Et hæc vincula multis ante justam ætatem contra Canones injecta sunt. Multi inciderunt errore in hoc vitæ genus, quibus etiamsi non deessent anni, tamen judicium de suis viribus defuit. Qui sic irretiti erant, cogebantur manere, etiamsi quidam beneficio Canonum liberari possent. Et hoc accidit magis etiam in monasteriis virginum, quam Monachorum, cum sexui imbecilliori magis parcendum esset. Hic rigor displicuit multis bonis viris ante hæc tempora, qui videbant puellas & adolescentes in Monasteria detrudi propter victum, videbant quam infeliciter succederet hoc consilium, quæ scandala pareret, quos laqueos conscientiis injiceret. Dolebant autoritatem Canonum in re periculosissima omnino negligi & contemni.

Ad hæc mala, accedebat talis persuasio de votis, quam constat etiam olim displiçuisse ipsis Monachis,

nachis, si qui paulo cordatiores fuerunt: docebant, vota paria esse baptismo, docebant se hoc vitæ genere mereri remissionem peccatorum, & justificationem coram Deo. Imo addebant, vitam Monasticam, non tantum justitiam mereri coram Deo, sed amplius etiam, quia servaret non modo præcepta, sed etiam consilia Euangelica.

Ita persuadebant Monasticam professionem longe meliorem esse baptismo, vitam Monasticam plus mereri quam vitam Magistratuum, vitam pastorum, & similium, qui in mandatis Dei sine factitiis religionibus suæ vocationi serviunt. Nihil horum negari potest, extant enim in libris eorum.

Quid fiebat postea in Monasteriis? Olim erant scholæ sacrarum literarum, & aliarum disciplinarum, quæ sunt utiles Ecclesiæ, & sumebantur inde Pastores, & Episcopi. Nunc alia res est, nihil opus est recitare nota. Olim ad dicendum conveniebant, nunc fingunt institutum esse vitæ genus ad promerendam gratiam & justitiam, imo prædicant esse statum perfectionis, & longe præferunt omnibus aliis vitæ generibus à Deo ordinatis.

Hæc ideo recitavimus nihil odiose exaggerantes, ut melius intelligi posset de hac re doctrina nostrorum. Primum de his, qui matrimonia contrahunt, sic docent apud nos, quod liceat omnibus, qui non sunt idonei ad cœlibatum, contrahere matrimonium, quia vota non possunt ordinationem ac mandatum Dei tollere. Est autem hoc mandatum Dei: Propter fornicationem habeat unusquisque uxorem suam. Neque mandatum solum, sed etiam creatio & ordinatio Dei

cogit

cogit hos ad conjugium, qui ſine ſingulari Dei o-pere non ſunt excepti, juxta illud: Non eſt bonum homini, eſſe ſolum. Igitur non peccant iſti, qui obtemperant huic mandato & ordinationi Dei. Quid poteſt contra hæc opponi? Exaggeret aliquis obligationem voti, quantum volet, tamen non poterit efficere, ut votum tollat mandatum Dei.

Canones docent in omni voto jus ſuperioris excipi, quare multo minus hæc vota contra mandata Dei valent.

Quod ſi obligatio votorum nullas haberet cauſſas cur mutari poſſit, nec Romani Pontifices diſpenſaſſent. Neque enim licet homini obligationem, quæ ſimpliciter eſt juris divini, reſcindere. Sed prudenter judicaverunt Romani Pontifices, æquitatem in hac obligatione adhibendam eſſe: ideo ſæpe de votis diſpenſaſſe leguntur. Nota eſt hiſtoria de Rege Arragonum, revocato ex Monaſterio, & extant exempla noſtri temporis.

Deinde, cur obligationem exaggerant adverſarii ſeu effectum voti, cum interim de ipſa voti natura ſileant, quod debet eſſe in re poſſibili, quod debet eſſe voluntarium, ſponte & conſulto conceptum. At quomodo ſit in poteſtate hominis perpetua caſtitas, non eſt ignotum. Et quotuſquiſq; ſponte & conſulto vovit? Puellæ & adoleſcentes priuſquam judicare poſſunt, perſuadentur ad vovendum, interdum etiam coguntur, quare non eſt æquum tam rigide de obligatione diſputare, cum omnes fateantur contra voti naturam eſſe, quod non ſponte, quod inconſulto admittitur.

Plerique Canones reſcindunt vota ante annum 15 contracta, quia ante illam ætatem non videtur tantum

tantum esse judicii, ut de perpetua vita constitui possit. Alius Canon plus concedens hominum imbecillitati, addit annos aliquot: vetat enim ante annum 18 votum fieri. Sed utrum sequemur? maxima pars habet excusationem, cur Monasteria deserant, quia plurimi ante hanc ætatem voverunt.

Postremo, etiamsi voti violatio reprehendi posset, tamen non videtur statim sequi, quod conjugia talium personarum dissolvenda sint. Nam Augustinus negat debere dissolvi, 27, quæst. 1, cap. Nuptiarum, cujus non est levis autoritas: etiamsi alii postea aliter senserunt.

Quanquam autem mandatum Dei de conjugio videatur plerosque liberare à votis: tamen afferunt nostri & aliam rationem de votis, quod sint irrita, quia omnis cultus Dei, ab hominibus, sine mandato Dei, institutus, & electus ad promerendam justificationem & gratiam, impius est, sicut Christus ait: Frustra colunt me mandatis hominum. Et Paulus ubique docet, justitiam non esse quærendam ex nostris observationibus, & cultibus, qui sint excogitati ab hominibus, sed contingere eam per fidem, credentibus, se recipi in gratiam à Deo propter Christum.

Constat autem Monachos docuisse, quod factitiæ religiones satisfaciant pro peccatis, mereantur gratiam & justificationem. Quid hoc est aliud, quam de gloria Christi detrahere & obscurare ac negare justitiam fidei? Sequitur igitur, ista vota usitata impios cultus fuisse, quare sunt irrita. Nam votum impium, & factum contra mandata Dei, non valet, neque enim debet votum vinculum esse iniquitatis, ut Canon dicit.

Paulus

Paulus dicit : Evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini, à gratia excidistis. Ergo etiam, qui votis justificari volunt, evacuantur à Christo, & à gratia excidunt. Nam & hi, qui votis tribuunt justificationem, tribuunt propriis operibus, hoc, quod proprie ad gloriam CHRISTI pertinet. Neque vero negari potest, quin Monachi docuerint, se per vota & observationes suas justificari & mereri remissionem peccatorum, imo affinxerunt absurdiora, & dixerunt se aliis mutuari sua opera. Hæc si quis velit odiose exaggerare, quam multa possit colligere, quorum jam ipsos Monachos pudet. Ad hæc persuaserunt hominibus, factitias religiones esse statum Christianæ perfectionis. An non est hoc justificationem tribuere operibus? Non est leve scandalum, in Ecclesia populo proponere, certum cultum ab hominibus excogitatum sine mandato Dei, & docere, quod talis cultus justificet homines. Quia justitia fidei, quam maxime oportet tradi in Ecclesia, obscuratur, cum illæ mirificæ religiones Angelorum, simulatio paupertatis & humilitatis, & cœlibatus offunduntur oculis hominum.

Præterea obscurantur præcepta Dei, & verus cultus Dei, cum audiunt homines, solos Monachos esse in statu perfectionis, quia perfectio Christiana est serio timere Deum, & rursus concipere magnam fidem, & confidere propter Christum, quod habeamus Deum placatum, petere à Deo, & certo expectare auxilium in omnibus rebus gerendis, juxta vocationem, interim foris diligenter facere bona opera, & servire vocationi. In his rebus est vera perfectio, & verus cultus Dei: non est in cœlibatu aut mendicitate,

aut

aut veſte ſordida. Verum populus concipit multas pernicioſas opiniones ex illis falſis præconiis vitæ Monaſticæ. Audit ſine modo laudari cœlibatum, ideo cum offenſione conſcientiæ verſatur in conjugio. Audit ſolos mendicos eſſe perfectos, ideo cum offenſione conſcientiæ retinet poſſeſſiones, negotiatur. Audit conſilium Euangelicum eſſe de non vindicando, ideo alii in privata vita non verentur ulciſci, audiunt enim conſilium eſſe, non præceptum. Alii omnes Magiſtratus & civilia officia judicant indigna eſſe Chriſtianis.

Leguntur exempla hominum, qui deſerto conjugio, deſerta reipublicæ adminiſtratione, abdiderunt ſe in Monaſteria. Id vocabant fugere ex mundo, & quærere vitæ genus quod Deo magis placeret, nec videbant Deo ſerviendum eſſe in illis mandatis, quæ ipſe tradidit, non in mandatis quæ ſunt excogitata ab hominibus. Bonum & perfectum vitæ genus eſt, quod habet mandatum Dei. De his rebus neceſſe eſt admonere homines. Et ante hæc tempora reprehendit Gerſon errorem Monachorum de perfectione, & teſtatur, ſuis temporibus novam vocem fuiſſe, quod vita Monaſtica ſit ſtatus perfectionis.

Tam multæ impiæ opiniones hærent in votis, quod juſtificent, quod ſint perfectio Chriſtiana, quod ſervent conſilia & præcepta, quod habeant opera ſupererogationis. Hæc omnia cum ſint falſa & inania, faciunt vota irrita.

VII.

De potestate Ecclesiastica.

MAgnæ disputationes fuerunt de potestate Episcoporum, in quibus nonnulli incommode commiscuerunt potestatem Ecclesiasticam, & potestatem gladii. Et ex hac confusione, maxima bella, maximi motus extiterunt, dum Pontifices freti potestate clavium, non solum novos cultus instituerunt, reservatione casuum, violentis excommunicationibus conscientias oneraverunt, sed etiam regna mundi transferre, & Imperatoribus adimere imperium conati sunt. Hæc vitia multo ante reprehenderunt in Ecclesia homines pii & eruditi. Itaque nostri ad consolandas conscientias, coacti sunt ostendere discrimen Ecclesiasticæ potestatis, & potestatis gladii, & docuerunt, utramque propter mandatum Dei religiose venerandam & honore afficiendam esse, tanquam summa Dei beneficia in terris.

Sic autem sentiunt, potestatem clavium, seu potestatem Episcoporum juxta Euangelium, potestatem esse, seu mandatum Dei, prædicandi Euangelii, remittendi & retinendi peccata, & administrandi Sacramenta. Nam cum hoc mandato Christus mittit Apostolos: Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis peccata, retenta sunt. Marci 16, Ite, prædicate Euangelium omni creaturæ, &c.

Hæc potestas tantum exercetur docendo seu prædicando verbum, & porrigendo Sacramenta, vel

vel multis vel singulis, juxta vocationem, quia conceduntur non res corporales, sed res æternæ, justitia æterna, Spiritus sanctus, vita æterna. Hæc non possunt contingere, nisi per ministerium verbi & sacramentorum, sicut Paulus dicit: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Itaque cum potestas Ecclesiastica concedat res æternas, & tantum exerceatur per ministerium verbi, non impedit politicam administrationem, sicut ars canendi nihil impedit politicam administrationem. Nam politica administratio versatur circa alias res, quam Euangelium. Magistratus defendit, non mentes, sed corpora & res corporales, adversus manifestas injurias, & coercet homines gladio & corporalibus pœnis, ut justitiam civilem & pacem retineat.

Non igitur commiscendæ sunt potestates Ecclesiastica & civiles. Ecclesiastica suum mandatum habet, Euangelii docendi, & administrandi sacramenta. Non irrumpat in alienum officium, non transferat regna mundi, non abroget leges Magistratuum, non tollat legitimam obedientiam, non impediat judicia de ullis civilibus ordinationibus aut contractibus, non præscribat leges Magistratibus, de forma reipublicæ, sicut dicit Christus: Regnum meum non est de hoc mundo. Item: Quis constituit me judicem aut divisorem super vos? Et Paulus ait Phil. 3, Nostra politia in cœlis est. 2 Corinth. 10, Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo, ad destruendas cogitationes, &c. Ad hunc modum discernunt nostri utriusque potestatis officia, & jubent, utramque honore afficere, & agnoscere, utramque Dei donum & beneficium esse.

Si quam habent Episcopi potestatem gladii, hanc non habent Episcopi ex mandato Euangelii, sed jure humano donatam à Regibus & Imperatoribus, ad administrationem civilem suorum bonorum. Hæc interim alia functio est ; quam ministerium Euangelii.

Cum igitur de jurisdictione Episcoporum quæritur, discerni debet imperium ab Ecclesiastica jurisdictione. Porro secundum Euangelium, seu ut loquuntur, de jure divino, nulla jurisdictio competit Episcopis, ut Episcopis, hoc est, his, quibus est commissum ministerium verbi & Sacramentorum, nisi remittere peccata. Item, cognoscere doctrinam, & doctrinam ab Euangelio dissentientem rejicere, & impios, quorum nota est impietas, excludere à communione Ecclesiæ, sine vi humana, sed verbo. Hic necessario & de jure divino, debent eis Ecclesiæ præstare obedientiam, juxta illud : Qui vos audit, me audit.

Verum cum aliquid contra Euangelium docent aut statuunt, tunc habent Ecclesiæ mandatum Dei, quod obedientiam prohibet, Matth. 7, Cavete à Pseudoprophetis. Gal. 1, Si Angelus de cœlo aliud Euangelium evangelizaverit, anathema sit. 2 Corinth. 13, Non possumus aliquid contra veritatem, sed pro veritate. Item : Data est nobis potestas ad ædificationem, non ad destructionem. Sic & Canones præcipiunt, 2, q. 7, Cap. Sacerdotes, & cap. Oves. Et Augustinus contra Petiliani Epistolam inquit : Nec Catholicis Episcopis consentiendum est, sicubi forte falluntur, aut contra Canonicas Dei scripturas aliquid sentiunt.

Si quam habent aliam vel potestatem, vel juris di-

risdictionem in cognoscendis certis causis, videlicet matrimonii, aut decimarum, &c. hanc habent humano jure. Vbi cessantibus ordinariis coguntur Principes vel inviti, suis subditis jus dicere, ut pax retineatur.

Præter hæc disputatur, utrum Episcopi seu Pastores habeant jus instituendi ceremonias in Ecclesia, & leges de cibis, feriis, gradibus ministrorum, seu ordinibus, &c. condendi. Hoc jus qui tribuunt Episcopis, allegant testimonium : Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò : cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Allegant etiam exemplum Apostolorum, qui prohibuerunt abstinere à sanguine, & suffocato. Allegant sabbatum mutatum in diem Dominicum contra Decalogum, ut videtur. Nec ullum exemplum magis jactatur, quam mutatio sabbati. Magnam contendunt Ecclesiæ potestatem esse, quod dispensaverit de præcepto Decalogi.

Sed de hac quæstione nostri sic docent, quod Episcopi non habent potestatem statuendi aliquid contra Euangelium, ut supra ostensum est. Docent idem Canones 9 Distin. Porro contra scripturam est, traditiones condere aut exigere, ut per eam observationem satisfaciamus pro peccatis, aut mereamur gratiam & justitiam. Læditur enim gloria meriti Christi, cum talibus observationibus conamur mereri justificationem. Constat autem propter hanc persuasionem, in Ecclesia pene in infinitum creviſſe traditiones, oppressa interim doctrina de fide & justitia fidei, quia subinde plures feriæ factæ sunt, jejunia indicta, ceremoniæ novæ, novi honores Sanctorum instituti

sunt, quia arbitrabantur se autores talium rerum, his operibus mereri gratiam. Sic olim creverunt Canones pœnitentiales, quorum adhuc in satisfactionibus vestigia quædam videmus.

Item, autores traditionum faciunt contra mandatum Dei, cum collocant peccatum in cibis, in diebus, & similibus rebus, & onerant Ecclesiam servitute legis, quasi oporteat apud Christianos ad promerendam justificationem cultum esse similem Levitico, cujus ordinationem commiserit Deus Apostolis & Episcopis, sic enim scribunt quidam: Et videntur Pontifices aliqua ex parte exemplo legis Mosaicæ decepti esse. Hinc sunt illa onera, quod peccatum mortale sit, etiam sine offensione aliorum, in feriis laborare manibus: quod sit peccatum mortale omittere horas Canonicas, quod certi cibi polluant conscientiam, quod jejunia sint opera placantia Deum, quod peccatum in casu reservato non possit remitti, nisi accesserit autoritas reservantis, cum quidem ipsi Canones non de reservatione culpæ, sed de reservatione pœnæ Ecclesiasticæ loquantur.

Vnde habent jus Episcopi has traditiones imponendi Ecclesiis, ad illaqueandas conscientias? Cum Petrus vetet imponere jugum discipulis, cum Paulus dicat, potestatem ipsis datam esse ad ædificationem, non ad destructionem. Cur igitur augent peccata per has traditiones?

Verum extant clara testimonia, quæ prohibent condere tales traditiones ad promerendam gratiam, aut tanquam necessarias ad salutem. Paulus Coloss. 2. Nemo vos judicet in cibo, potu, parte diei festi, novilunio aut sabbatis. Item: Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi,

quare

quare tanquam viventes in mundo, decreta facitis? Non attingas, non guſtes, non contrectes; quæ omnia pereunt uſu, & ſunt mandata & doctrinæ hominum, quæ habent ſpeciem ſapientiæ. Item, ad Titum aperte prohibet traditiones: Non attendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum averſantium veritatem. Et Chriſtus Matth. 15 inquit de his, qui exigunt traditiones: Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum. Et improbat tales cultus: Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœleſtis, eradicabitur.

Si jus habent Epiſcopi onerandi Eccleſias infinitis traditionibus, & illaqueandi conſcientias, cur toties prohibet ſcriptura condere & audire traditiones? cur vocat eas doctrinas dæmoniorum? Num fruſtra hæc præmonuit Spiritus ſanctus? Relinquitur igitur, cum ordinationes inſtitutæ tanquam neceſſariæ, aut cum opinione promerendæ gratiæ, pugnent cum Euangelio, quod non liceat ullis Epiſcopis tales cultus inſtituere aut exigere. Neceſſe eſt enim, in Eccleſiis retineri doctrinam de libertate Chriſtiana, quod non ſit neceſſaria ſervitus legis ad juſtificationem, ſicut in Galatis ſcriptum eſt: Nolite iterum jugo ſervitutis ſubjici. Neceſſe eſt retineri præcipuum Euangelii locum, quod gratiam per fidem in Chriſtum gratis conſequamur, non propter certas obſervationes, aut propter cultus ab hominibus inſtitutos.

Quid igitur ſentiendum eſt de die Dominico, & ſimilibus ritibus templorum? Ad hæc reſpondent, quod liceat Epiſcopis ſeu paſtoribus facere ordinationes, ut res ordine gerantur in Eccleſia,

non ut per illas mereamur gratiam, aut satisfaciamus pro peccatis, aut obligentur conscientiæ, ut judicent esse necessarios cultus, ac sentiant, se peccare, cum sine offensione aliorum violant. Sic Paulus ordinat, ut in congregatione mulieres velent capita, ut ordine audiantur in Ecclesia interpretes, &c.

Tales ordinationes convenit Ecclesias propter caritatem & tranquillitatem servare eatenus, ne alius alium offendat, ut ordine & sine tumultu omnia fiant in Ecclesiis. Verum ita, ne conscientiæ onerentur, ut ducant res esse necessarias ad salutem, ac judicent, se peccare, cum violant eas sine aliorum offensione, sicut nemo dixerit, peccare mulierem, quæ in publicum non velato capite procedit, sine offensione hominum.

Talis est observatio diei Dominici, Paschatis, Pentecostes, & similium feriarum & rituum. Nam qui judicant Ecclesiæ autoritate pro sabbato institutam esse diei Dominici observationem, tanquam necessariam, longe errant. Scriptura abrogavit sabbatum, quæ docet omnes ceremonias Mosaicas, post revelatum Euangelium omitti posse. Et tamen, quia opus erat constituere certum diem, ut sciret populus, quando convenire deberet, apparet, Ecclesiam ei rei destinasse diem Dominicum, qui ob hanc quoque causam videtur magis placuisse, ut haberent homines exemplum Christianæ libertatis, & scirent, nec sabbati, nec alterius diei observationem necessariam esse.

Extant prodigiosæ disputationes de mutatione legis, de ceremoniis novæ legis, de mutatione sabbati, quæ omnes ortæ sunt ex falsa persuasione,

ne, quod oporteat in Eccleſia cultum eſſe ſimilem Levitico, & quod Chriſtus commiſerit Apoſtolis & Epiſcopis excogitare novas ceremonias, quę ſint ad ſalutem neceſſariæ. Hi errores ſerpſerunt in Eccleſiam, cum juſtitia fidei non ſatis clare doceretur. Aliqui diſputant diei Dominici obſervationem non quidem juris divini eſſe, ſed quaſi juris divini; præſcribunt de feriis, quatenus liceat operari. Hujuſmodi diſputationes, quid ſunt aliud niſi laquei conſcientiarum? Quanquam enim conentur epiikeizare traditiones: tamen nunquam poteſt æquitas deprehendi, donec manet opinio neceſſitatis, quam manere neceſſe eſt; ubi ignorantur juſtitia fidei, & libertas Chriſtiana.

Apoſtoli juſſerunt abſtinere à ſanguine, quis nunc obſervat? neque tamen peccant, qui non obſervant, quia ne ipſi quidem Apoſtoli voluerunt onerare conſcientias tali ſervitute, ſed ad tempus prohibuerunt propter ſcandalum. Eſt enim perpetua voluntas Euangelii conſideranda in decreto. Vix ulli Canones ſervantur accurate, & multi quotidie exoleſcunt apud illos etiam, qui diligentiſſime defendunt traditiones. Nec poteſt conſcientiis conſuli, niſi hæc æquitas ſervetur, ut ſciamus, eos ſine opinione neceſſitatis ſervari, nec lædi conſcientias, etiamſi traditiones exoleſcant.

Facile autem poſſent Epiſcopi, legitimam obedientiam retinere, ſi non urgerent ſervare traditiones, quæ bona conſcientia ſervari non poſſunt. Nunc imperant cœlibatum, nullos recipiunt, niſi jurent, ſe puram Euangelii doctrinam nolle docere. Non petunt Eccleſiæ, ut Epiſcopi honoris ſui jactura farciant concordiam, quod tamen decebat bonos paſtores facere. Tantum petunt, ut

injusta onera remittant, quæ nova sunt, & præter consuetudinem Ecclesiæ Catholicæ recepta. Fortassis initio quædam constitutiones habuerunt probabiles causas, quæ tamen posterioribus temporibus non congruunt. Apparet etiam, quasdam errore receptas esse. Quare Pontificiæ clementiæ esset, illas nunc mitigare, quia talis mutatio non labefacit Ecclesiæ unitatem. Multæ enim traditiones humanæ tempore mutatæ sunt, ut ostendunt ipsi Canones. Quod si non potest impetrari, ut relaxentur observationes, quæ sine peccato non possunt præstari, oportet nos regulam Apostolicam sequi, quæ præcipit, Deo magis obedire, quam hominibus. Petrus vetat Episcopos dominari, & Ecclesiis imperare. Nunc non id agitur, ut dominatio eripiatur Episcopis, sed hoc unum petitur, ut patiantur Euangelium pure doceri, & relaxent paucas quasdam observationes, quæ sine peccato servari non possunt. Quod si nihil remiserint, ipsi viderint, quomodo Deo rationem reddituri sint, quod pertinacia sua causam schismati præbent.

FINIS.

Hi sunt præcipui articuli, qui videntur habere controversiam: quanquam enim de pluribus abusibus dici poterat, tamen, ut fugeremus prolixitatem, præcipuos complexi sumus: ex quibus cætera facile judicari possunt. Magnæ querelæ fuerunt de indulgentiis, de peregrinationibus, de abusu excommunicationis. Parochiæ multipliciter vexabantur per stationarios. Infinitæ contentiones erant pastoribus cum Monachis, de jure parochiali, de confessionibus, de sepulturis, de extraordinariis concionibus, & de aliis innumerabilibus rebus. Hujusmodi negotia prætermisimus, ut illa, quæ sunt in hac causa præcipua, breviter proposita, facilius cognosci possent. Neque hic quicquam ad ullius contumeliam dictum aut collectum est: tantum ea recitata sunt, quæ videbantur necessario dicenda esse, ut intelligi possit in doctrina ac ceremoniis, apud nos nihil esse receptum contra Scripturam aut Ecclesiam catholicam, quia manifestum est, nos diligentissime caviisse, ne qua nova & impia dogmata in Ecclesias nostras serperent.

Hos articulos supra scriptos, voluimus exhibere juxta edictum C. M. in quibus confessio nostra extaret, & eorum, qui apud nos docent, doctrina summa cerneretur. Si quid in hac Confessione desiderabitur, parati sumus latiorem informationem, Deo volente, juxta scripturas exhibere.

Cæsareæ Majest. V.

Fideles & subditi,

Ioannes Dux Saxoniæ Elector.
Georgius Marchio Brandenburgensis.
Ernestus Dux Luneburgensis.
Philip-

Philippus Landgravius Heſſorum.
Iohannes Fridericus Dux Saxoniæ.
Franciſcus Dux Luneburgenſis.
Wolfgangus Princeps ab Anhalt.
Senatus Magiſtratuſque Nurnbergenſis.
Senatus Reutlingenſis.

GEOR-

GEORGII CASSANDRI

DE ARTICVLIS RELIGIONIS

Inter Catholicos & Proteſtantes controverſis,

Ad Invictiſſimos Imperatores Auguſtos, Ferdinandum I, & Maximilianum II, ejus ſucceſſorem

CONSVLTATIO.

Paulus ad Rom. cap. 14, 17.

Itaque qua Pacis ſunt ſectemur, & qua ædificationis ſunt invicem.

FERDINANDVS

Divina favente Clementia Electus Romanorum Imp. Semper Augustus.

DOcte, Fidelis, dilecte. Cum nobis eximia tua eruditio, ac singularis pietas, ardentissimumque juvandæ Ecclesiæ Catholicæ studium magnis laudibus commendatum fuerit; in certam spem venimus, tuam præsentiam & operam nobis in quodam magni momenti negotio ad gloriam Dei Opt. Max. ac salutem & beneficium Regnorum & Dominiorum nostrorum, atque universæ Germaniæ pertinente, quod modo præ manibus habemus, haud vulgari usui futuram. Ideoque abs te clementer postulamus, ut quam primum tibi præsentes literæ nostræ reddentur, dispositis mox rebus tuis privatis, non graveris huc ad nos venire; quo ad duos aut tres menses, prudentia, consilio, & industria tua uti queamus. Viaticum accepturus CCC Florenorum, cura & opera Ioannis Lang. Commissarii nostri Spiræ existentis, & si fieri poterit, aliquot libros etiam Theologicos ad hoc seculum nostrum accommodatos tecum adferas. Feceris enim in his rem virtute tua dignam, & nobis singulariter gratam, omni erga te benignitate Cæsarea recognoscendam. Datum in Civitate nostra Vienna, die XXII Maji, Anno Domini 1564, Regnorum nostrorum, Romani, XXXIV. Aliorum, XXXIIX.

Ferdinandus.

Inscriptio litterarum.

Docto nostro, & Sacri Imperii Fideli, Dilecto Georgio Cassandro, Theologo.

FER-

FERDINANDO

Imperatori Romanorum.

REdditæ sunt mihi Majestatis tuæ literæ Clementissime Imperator Duisburgi in Clivia ad tempus commorantı, vigesima die Iunii, per Consiliarium Reverendissimi & Illustrissimi Archiepiscopi Colonienſis, huc ea de causa missum, ex quibus literis Sacræ tuæ Cæsareæ Majestatis Clementissimæ voluntatem, ac sanctissimum juvandæ Ecclesiæ jam miserabiliter afflictæ studium libenter intellexi. Atque utinam huic Majestatis tuæ de me judicio aliqua ex parte respondere, ac voluntati ac mandato parere & obsequi possim: nam quamvis me juvandæ & pacificandæ Ecclesiæ desiderio & studio flagrare profitear, tamen iis animi dotibus, quas tanti negotii moles requirit, destitutum sentio. Nam si qua est vis ingenii, quæ sane est perexigua, eam omnem continuus languor & creberrimi morbi, cum summo corporis cruciatu conjuncti, auferunt & debilitant, ac omnem studiorum laborem & contentionem prohibent & impediunt. Equidem, si quod mihi tempus jam inde ab aliquot annis à morbis & cruciatibus vacuum fuit, id omne cognoscendis hujus ætatis controversiis & fontibus horum dissidiorum investigandis, & rationibus, quibus hæc tempestas Ecclesiæ utcunque sedari, & gravissima hæc dissidia, quibus Ecclesia indies quotidie magis distrahitur & dilaceratur, componi, vel certe, ne major distractio & dilaceratio fiat, occurri possit, conquirendis impendi. Atque id tandem deprehendisse videor, assiduis istis & ociosis nixis rem eo

deductam, ut utraque pars ad extrema deflexerit. Quare neminem de his controversiis & ratione constituendæ Ecclesiæ recte judicare posse, qui non animum ab omni adfectu & studio partium abducat, & æquo sinceroque animo unicam Dei veritatem à Christo proditam, & Apostolorum ministerio per universum orbem diffusam, partim literis consignatam, partim antiqua universali & perpetua eorum, qui Ecclesias post Apostolos gubernandas acceperunt, traditione conservatam proponat. Quare non alia ratione Ecclesiæ hoc tempore consuli & succurri posse video, quam si antiqua illius Ecclesiæ sententia & judicium requiratur, ut ad ejus descriptionem & formam, quoad fieri potest, præsens hæc Ecclesia, quæ ab ea propagata est, instauretur, idque potissimum ejus Ecclesiæ, quæ ab ætate Constantini floruit, ut in qua præcipue omnes controversiæ de summis religionis nostræ capitibus in Conciliis illis gravissimis diligentissime pertractatæ & explicatæ fuerunt, & Ecclesiæ gubernatio, restituta jam plane libertate, optimis & saluberrimis regulis & decretis constituta. Ex qua non modo quid in singulis articulis credendum, verum etiam quid in externis ceremoniis observandum sit, clarissime perspici potest. Ea demum illius Ecclesiæ est auctoritas, ut nullus ei Ecclesiæ titulum detrahere ausit. Eoque res jam devenit, ut utraque pars adsiduis rixis fatigata, etiam ea quæ ad solas scripturas provocare solet, ad ejus judicium & arbitrium appellarit, & in ejus sententiam quasi compromiserit. Sed hic prolixior esse nolo, cum tua Cæsarea Majest. doctissimorum, gravissimorum, prudentissimorum, & religiosissimorum virorum copia abun-

abundet, qui hæc omnia longe melius explorata, & perſpecta habent, ut neſciam qui meus uſus inter tantos viros eſſe poſſit. Si quid tamen ad eam rem, quam tua Majeſtas ſancte pieque molitur, ex mea tenuitate conferre poſſim, id quidem libentiſſime in gratiam Catholicæ Eccleſiæ, cui, ut debeo, vehementer adficior, ſum facturus. Sed ea eſt corpuſculi hujus imbecillitas, ut tam longam profectionem abſque certo vitæ periculo ſuſcipere non poſſim, cum facillima de cauſa, & ob leviſſimam offenſionem in acerbiſſimos arthritidis dolores incidam, qui ter vel quater in anno recurrentes magnam anni partem in lecto me detinent, & ad omnem animi & corporis functionem inutilem reddunt. Id quod Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Archiepiſcopo Colonienſi ſatis cognitum eſt. Quare rogo Clement. tuam Invictiſſime Imperator, ut hanc juſtiſſimam meam excuſationem in optimam partem accipiat. Interim tamen, ſi quid abſens ad eam rem vel ſcribendo, vel cum aliquo erudito & pio viro, qui ea ad M.T. referat, conferendo, præſtare poſſum, nullum laborem, quod in me erit, ſum detrectaturus. Demum unicum pacis auctorem ex intimis animi affectibus rogo, ut Majeſt. T. incolumem conſervet, & tam pium inſtitutum Spiritus ſui favore proſequatur, eruditiſſimiſque & optimis viris, qui T. M. à conſiliis ſunt, vera rectaque juvandæ & conſtituendæ Eccleſiæ conſilia inſpiret. XIIX Iulii, Anno 1564.

Fideliſſ.

Georgius Caſſander, Theologus.

FERDINANDVS

Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus.

HOnorabilis, fidelis, nobis dilecte. Accepimus literas tuas Duisburgi die XXVII Iunii datas, quibus te excusas, quod propter adversam valetudinem, qua te majorem anni partem in lecto detineri ostendis, non possis, sicuti nos summopere cupiebamus, hoc tempore ad nos venire. Id quod nobis valde molestum accidit, cum propter magnitudinem negotii, in quo tua decrevimus uti opera, tum etiam, quod pro ea benignitate, qua te complectimur, dolemus, te uti virum, cujus pietas, doctrina, & ardentissimum juvandæ Reip. studium nobis summopere commendatum est, morbo impediri, quo minus desiderio tuo juvandæ & pacificandæ valeas in hac parte satisfacere. Itaque haud gravatim acquiescimus humili & nimis necessariæ excusationi tuæ, qua utique vellemus tibi non fuisse opus. Cum vero nobis in hac re absens quoque possis & velis inservire, vel scribendo, vel cum aliquo erudito & pio viro, qui ea ad nos referat, conferendo, nos id ipsum benigno abs te animo susceptmus, siquidem illud etiam futurum nobis est gratum, si quod hic fieri volebamus, domi tuæ conficias, licet fortassis præsentia tua ad rem bene gerendam plurimum momenti allatura fuisset. Est autem illud, quod à te requirimus, ejusmodi: Recordamur nimirum super Articulis Augustanæ Confessionis, quæ à nonnullis sacris Romani Imperii Electoribus, Principibus

pibus & Statibus Divo fratri noſtro præclariſſimæ memoriæ, Imperatori Carolo Quinto, Anno Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo exhibita fuit, una cum Apologia ejuſdem Confeſſionis, concordiæ & unitatis ſarciendæ gratia, ante hac in Sacro Romano Imperio diverſis locis & temporibus ſæpius Conventus, Colloquia & Tractatus inſtitutos fuiſſe, & utcunque tales Conventus & Tractatus non omnino ſint ſortiti plenum & optatum effectum, interdum tamen inter colloquentes ſeu diſputantes de nonnullis Articulis non poſtremis quadantenus conveniſſe, reliquorum vero, qui adhuc ſunt in controverſia, non uſque adeo magnũ eſſe numerum, nobiſque à multis piis, doctis, Catholicis, & modeſtis viris, non exiguam ſpem factam fuiſſe recuperandæ unitatis & concordiæ in Eccleſia, nec non conciliandorum animorum, qui nunc perniciosiſſima diffidentia & ſimultate ob Religionis differentiam diſtracti ſunt; ſi manifeſti illi abuſus, qui hiſce noviſſimis & calamitoſiſſimis temporibus in Eccleſiam Catholicam irrepſerunt, expurgarentur, & è medio tollerentur, & quædam, quæ magis ſunt Poſitivi Iuris, quam Divini, concederentur, ac præterea quædam diſputationes nimis ſubtiles & abſtruſæ, quarum cognitio, cum excedat captum rudis populi, non videtur uſque adeo illa ad ſalutem eſſe neceſſaria, ad alia feliciora tempora rejicerentur, modo in cæteris, quæ ad fidem & mores ac intellectum & uſum Sacramentorum & ceremoniarum pertinent, probe inſtitueretur. Cum igitur, ut Imperatori Catholico, pro ratione divinitus nobis commiſſi muneris incumbat, ſedulo curare, ut fideles ſubditi noſtri ex errorum & hæreſium laqueis, quibus miſer-

HOnorabilis, fidelis, nobis dilecte. Accepimus
literas tuas Duisburgi die XXVII Iunii da-
tas, quibus te excuſas, quod propter adverſam
valetudinem, qua te majorem anni partem in lect
detineri oſtendis, non poſſis, ſicuti nos ſum
pere cupiebamus, hoc tempore ad nos veni
quod nobis valde moleſtum accidit, cum
magnitudinem negotii, in quo tua de
uti opera, tum etiam, quod pro ea be
qua te complectimur, dolemus, te uti
pietas, doctrina, & ardentiſſimum j
ſtudium nobis ſummopere com
morbo impediri, quo minus de
dæ & pacificandæ valeas in hac
Itaque haud gravatim acqui
nimis neceſſariæ excuſationi
lemus tibi non fuiſſe opus.
re abſens quoque poſſis &
bendo, vel cum aliqu
ea ad nos referat, co
gno abs te animo f
iam futurum nob
lebamus, domi
ſentia tua ad r
menti allatur
requirimus
per Artic
nullis fac

pibus & Statibus Divo fratri nostro præclarissimæ memoriæ, Imperatori Carolo Quinto, Anno Millesimo Quingentesimo Trigesimo exhibita fuit, una cum Apologia ejusdem Confessionis, Concordiæ & unitatis sarciendæ gratia, ante hac in Sacro Romano Imperio diversis locis & temporibus sæpius Conventus, Colloquia & Tractatus institutos fuisse, & utcunque tales Conventus & Tractatus non omnino sint sortiti plenum & optatum effectum, interdum tamen inter colloquentes seu disputan[illegible] de nonnullis Articulis non postremis quad[illegible] convenisse, reliquorum vero, qui adhuc s[illegible] oversia, non usque adeo magnũ [illegible] pisque à multis piis, doctis, Ca[illegible] is viris, non exiguam spem fa[illegible] randæ unitatis & concordiæ in [illegible] conciliandorum animorum, qui [illegible] identia & simultate ob [illegible] stracti sunt, si manifesti [illegible] mis & calamitosissimis [illegible] atholicam irrepserunt, [illegible] o tollerentur, & quæ[illegible] vi Iuris, quam Divini, [illegible] ea quædam disputatio[illegible] sæ, quarum cognitio, [illegible] s populi, non videtur [illegible] esse necessaria, ad alia [illegible] tur, modo in cæteris, [illegible] c intellectum & usum [illegible] noniarum pertinent, [illegible] igitur, ut Imperatori [illegible] vinitus nobis commissi [illegible] o curare, ut fideles sub

QVANDO TANDEM.

DEO OPT. MAX. SACR.

GEORGIO CASSANDRO,

Belgæ, Theologo, in perſcrutandis ſacris Bibliis, & expendendis ſanctor. Patrum monimentis atq; ſententiis diligentiſſimo. Qui hoc nomine, tum pietate animiq; moderatione clarus, ab invictiſſimis Imperatoribus Ferdinando I, *& Maximiliano* II, *de conciliandis articulis in Religione controverſis, cõſultus & in aulam adſcitus fuit. Iter autem eo, propter podagram, cujus poſt dolorib. occubuit, ſuſcipere prohibitus, librum de ea conciliatione perutilem pacis amantib. Eccleſiis ex eorundem Cæſarum auctoritate juſſu mandatoq; confecit. Viro itaque vario doctrinæ genere præſtanti*

CORNELIVS GVALTERIVS,

Gandavenſis, ſtudior. ejus atque peregrinationum ſocius individuuſque comes, populari ſuo poſuit. Vixit ANN. LII. M.V. D.X. H.V. obiit III non. Febr. M. D. LXVI.

Te vivente, mihi gratiſſima, Docte Georgi,
Vita fuit, liceat, te moriente, mori.

Infra diem ſcriptum.

MORS META LABORVM.

Infimo, poſt, loco.

Abſit gloriari, niſi in Cruce Domini.

Inſculptum Lapidi ad Altare in S. Franciſci Templo, Coloniæ.

Art. I. *De Vnitate Divinæ eſſentiæ in tribus Perſonis.*

N Confeſſione Auguſtana nonnulli articuli, ſi ad Diuinas literas, & Catholicam traditionem expendantur, extra omnem controverſiam & dubitationem poſiti ſunt: ex quibus eſt primus, De unitate divinæ eſſentiæ in tribus perſonis, juxta decretum Niceni Concilii. Item: Perſonam non ſignificare partem aut qualitatem in alio, ſed quod proprie ſubſiſtit, qua ſignificatione, ea voce uſi ſunt Eccleſiaſtici ſcriptores. Hic autem annotandum eſt, hunc articulum, quamvis habeat firma & certa teſtimonia divinarum literarum, tamen hanc diſtinctionem, & expreſſam confeſſionem, & appellationem perſonarum in Eccleſia receptam, & obſervatam eſſe, ex antiqua, & perpetua traditione, decreto Concilii Niceni, & concordi Eccleſiaſticorum Scriptorum teſtimonio conſignata, ut vel hinc appareat, quæ vis ſit Catholicæ traditionis, in præcipuis quoque fidei controverſiis.

Art. II. *De Peccato Originis.*

ALter eſt Articulus (ut ordinem in Confeſſione poſitum retineamus) de peccato Originis, qui & ipſe Catholicæ traditioni conſentaneus eſt, qua confitetur, poſt lapſum Adæ, omnes homines ſecundum naturam propagatos, naſci cum peccato & concupiſcentia: quodque hic morbus, ſeu vitium originis, vere ſit peccatum, damnans eos, qui

non renaſcantur per Baptiſmum & ſpiritum ſanctum. Quamquam explicatio, ſeu definitio, quæ additur voci peccati, nempe: eſſe ſine metu, ſine fiducia erga Deum, à nonnullis reprehenſa fuerit, exiſtimantibus hæc ad actuale potius peccatum, quam ad originis vitium pertinere: ſed hæc definitio ingenue excuſatur, & probatur ab eruditiſſimo & modeſtiſſimo viro Ioanne Hoffmeiſtero, qui in excutiendis & explicandis his articulis Auguſtanæ Confeſſionis, præter eximiam eruditionem, ſummum quoque candorem, & moderationem adhibuit, quæ moderatio & æquitas, multo plus ad Eccleſiæ pacificationem conducet, quam nonnullorum rigor atque ſeveritas, qui odium potius partium, quam concordiæ ſtudium præſeferunt. Recte itaque Hoffmeiſterus articulum hunc nil habere ait, cur à candidis Theologis rejici debeat, maxime ſi interpretatio ex Apologia repetatur, in qua teſtatur Auctor, ſe non actus ſolum, ſed etiam potentiam ſeu dona efficiendi timorem, & fiduciam erga Deum, adimere iis, qui natura ex Adam propagati ſunt. Nam ſi originale peccatum, inquit, eſt carentia, ſeu defectus juſtitiæ originalis debitæ ineſſe, & ſi homo ſecundum naturam natus, iis virtutibus caret, quibus privatus eſt Adam, per quem peccatum intravit in mundum, non inepte loquuntur, hominem naſci cum peccato, hoc eſt ſine metu Dei, ſine fiducia erga Deum, cum concupiſcentia. Veruntamen quia hæc forma loquendi de peccato originis inſolens eſt, ſatius erit, ſi ea definitio retineatur, quæ in libro eſt à Cæſ. Majeſt. oblato Ratisbonæ, Nempe: peccatum originale eſſe carentiam ſeu defectum originalis juſtitiæ debitæ ineſſe,

nunc

nunc concupiscentia. Eodem quoque modo peccatum originis definitur in definitione Cæs. Majest. quæ vulgo: Interim dicitur, Nempe peccatum, hoc esse, carentiam justitiæ originalis, cum vitioso concupiscentiæ habitu, quæ spiritui & superioribus animi viribus perpetuo repugnat. Quo loco justitia originalis, magis ex recepta in Ecclesia sententia, quam in libro proposito explicatur, ejus videlicet hanc esse vim, ut per eam homo esset omnibus, tum corporis, tum animi viribus rectus, nec agitaretur ullis turbidis & pravis motibus, sed in eo caro spiritui, & inferiores animi vires superioribus, quæ tantum ad bonum hortantur, parerent. Ex hac explicatione magis apparet notio peccati originis, quod in carentia illius originalis justitiæ consistit, addita vitiosa concupiscentia, quæ legi mentis repugnat, & ad illicitos motus, & actus, perpetuo inclinat. Hæc itaque definitio peccati originis, doctrinæ veterum, & recentiorum magis est consentanea, sed de hoc Articulo agnoscit ipse Eccius, nullam esse controversiam, ut qui in colloquio Wormacienſi plene conciliatus, & concordatus fuerit; in hanc, quam diximus, sententiam.

De concupiscentia manente in renatis.

MAgna vero controversia hactenus extitit, de vitiosa illa concupiscentia quam constat etiam post Baptismum esse reliquam, sit ne propria ratione peccatum, etiam postquam Baptismo remissa est? Sed hæc vocis magis, quam rei contentio esse videtur. Nam primum ex Augustino, &

Ephesini & Calcedonensis decretis, adversus Nestorium & Eutychen jam olim vindicatus est, qui error vetustus Eutychetis, hodie, auctore quodam Melchiore Hoffmanno, ex inferis est resuscitatus, & multorum hominum, alioqui non malorum animos occupavit: Christum videlicet in utero quidem Virginis humanam naturam assumpsisse, at non ex substantia virginis, sed suapte virtute Verbum in carnem esse conversum, quibus divinarum literarum auctoritate occurrendum est, quæ docent: Christum non modo ex semine Davidis esse factum, sed ipsum etiam esse florem ex radice Iesse, & fructum lumborum David; sed de hoc Articulo inter partes, de quarum conciliatione agitur, probe convenit. Quin etiam illi, qui longius ab Ecclesia recessisse videntur, præclaram in hoc negotio Ecclesiæ operam navarunt. Ex hac autem unione humanæ naturæ cum Divina, quæ facta est per incarnationem, & assumptionem humanæ naturæ à verbo, orta est jam olim quæstio (quæ nunc vehementer exarsit) de humana natura in persona Christi, afferentibus nonnullis, iisque principibus hujus causæ, & ut regulam idei afferentibus, humanam in Christo naturam, propter unionem hypostaticam cum Verbo, & maxime propter sessionem ad dexteram, totius Majest. divinæ esse participem, ita, ut ratione hunionis, & sessionis, humana natura sit ubique, aud aliter, atque ipsa Divinitas, utraque natura confusa manente. Quæ sane sententia hactenus Ecclesia Christi inaudita fuit, omnibus tam veteribus Ecclesiasticis, quam recentioribus Scholasticis, uno ore profitentibus: Christum esse ubique, secundum quod Deus est: in certo autem loco,

loco, & modo in Cœlo, ſecundum quod homo eſt, ut diffuſe diſputatur ab Auguſtino in Epiſtola ad Dardanum. Atque ex hac proprietatum diſtinctione, naturarū quoque diſtinctionem adverſus Eutychianos concluſerunt. Quemadmodum igitur non ſequitur, ut quia humana natura naturæ æternæ unita ſit, ideo quoque ſit æterna, ita nec ſequitur, ut quia infinitæ, & immenſæ naturæ ſit unita, ipſa quoque infinita ſit, & immenſa. Neque vero hæc inſeparabilis conjunctio divinitatis, & humanitatis id effecit, ut ubicunque ſit divinitas, ibidem quoque humanitatem eſſe neceſſe ſit, hæc enim ita inter ſe affecta ſunt, ut alterum ab altero excedatur. Thomas contra gentiles: In nobis (inquit) natura excedit perſonam, quia humanitas reperitur extra individuum ſuum: verum in Chriſto excedit perſona naturam aſſumptam, quia perſona illa ubique eſt, non aſſumpta natura. Hujus rei qualecunque exemplum adferri poteſt de anima & corde, quæ in homine non ſeparantur, & tamen non ubicunque eſt anima, ibi eſt cor; anima enim eſt in toto corpore: cor vero in media corporis parte. Neque vero dextera patris, ad quam Chriſtus aſſumptus eſt, unquam à quoquā ſic intellecta fuit, ut ex ea immenſitas, vel (ut nunc loquuntur) ubiquitas corporis Chriſti, ſeu humanæ in Chriſto naturæ ſtatueretur, ſed per eam omnes ſummam, & præcipuam felicitatem, vel judiciariam poteſtatem, Chriſto homini collatam, intellexerunt. Illud vero novum, & inauditum, quòd ex hac immenſitate humanitatis Chriſti, præſentiam corporis Chriſti, in ſacramento Euchariſtiæ confirmant, quam alii magis & rectius, ad divinam voluntatem, & omnipotentiam

referunt. Quemadmodum illi, qui cum veteribus, humanitatem Christi finitam agnoscunt: contra veteres ex eo præsentiam corporis Christi in sacrosancta Eucharistia tollendam sentiunt.

Art. IV. *De Iustificatione.*

QVod in quarto articulo dicitur, homines non posse justificari coram Deo propriis viribus, meritis aut operibus, sed gratis justificari per fidem, semper in Ecclesia probatum, & retentum fuit, & hodie quoque ab omnibus Ecclesiasticis Scriptoribus approbatur: ut mirer, cur Apologia dicat, damnari in hoc articulo, quod doceantur homines, propter sua merita, non gratis propter Christum consequi remissionem peccatorum. Certe Eccius in quodam scripto, ad hunc articulum ita loquitur: Recte affirmatur, homines non posse justificari propriis viribus, secludendo enim gratiam Dei, nec vires nostræ aliquid possunt, nec opera nostra merentur. Quare cum Catholici hodie ita doceant, non sunt hæresi Pelagiana falso onerandi. Postea ex sententia Monachorum ita scribitur: Recte pronunciant, neminem suis propriis viribus posse justificari, quia enim gratia Dei destituti sumus, nec vires nostræ aliquid possunt, & ad bene operandum sunt infirmæ, & quicquid bene operantur, hic tantum moralem habet bonitatem, cæterum non habent, quod Deus agnoscat, & præmio æterno dignum ducat. Et quum non ignoret adversa pars hanc esse doctrinam Ecclesiæ, omniumque Theologorum, vulgo prædicant, nos contraria docere, à

quo

quo deinceps debent se abstinere. Quod vero additur in Confessione. Cum credunt se in gratiam recipi, & peccata remitti propter Christum, merito ut impium rejici non debet, cum eruditissimorum virorum, ex iis, qui Catholici nomen retinent, sententiæ, & scriptis consentiat, ut patet in Enchiridio Christianæ religionis, in Concilio Provinciali Colonienſi, anno trigesimosexto, edito, qui liber ab omnibus eruditioribus Theologis, etiam per Italiam, & Galliam summopere fuit collaudatus, ut qui summam sententiæ veterum de Christiana religione, (ex quorum scriptis quasi conformatus est,) pulcherrime referat. In eo itaque sic legitur: Dicimus hominem per fidem donum justificationis tum demum accipere, cum & perterrefactus, & concussus in pœnitentia rursus erigitur per fidem, credens sibi remissa esse peccata propter meritum Christi, qui in se credentibus remissionem peccatorum pollicitus est, & cum novum in se sentit affectum, quo detestans malum, & carnis infirmitati resistens, ad bonum faciendum intus accenditur, tametsi affectus nondum perfectus sit. Post pauca: Fatemur, inquit, verum esse, ad justificationem hominis omnino requiri, ut homo certo credat, non tantum generaliter, quod propter Christum vere pœnitentibus remittantur peccata, sed & quod ipsi homini remissa sint, propter Christum per fidem. Hæc etiam explicatio posita est in libro Cæsar. Majest. Ratisbonenſi, cujus formam loquendi, utpote non satis scholasticam, quamvis Eccius non per omnia probarit, rem tamen ipsam, in quam Collegæ ejus consenserant, non improbavit. In eo libro ita scriptum est: Firma & sana doctrina est, per fidem vivam

vivam & efficacem juſtificari peccatorem. Vocamus autem fidem vivam, motum Spiritus ſancti, quo vere pœnitentes veteris vitæ eriguntur ad Deum, & vere apprehendunt miſericordiam in Chriſto promiſſam, ut jam vere ſentiant, quod remiſſionem peccatorum, & reconciliationem propter meritum Chriſti, gratuita Dei bonitate acceperunt, & clamant, Abba pater. Recte itaque & divinis literis conſentanee dicitur hanc eſſe naturam juſtificantis fidei, ut ſenſum illum divinæ gratiæ, quam in nobis efficit Spiritus ſanctus, percipiat: dicit enim Apoſtolus, Spiritum ſanctum, quem accipiunt credentes, teſtimonium reddere ſpiritui ipſorum, quod ſint filii Dei. Verum ſi res diligentius conſideretur, hæc certitudo fidei, quæ ex hoc Spiritus ſancti teſtimonio concipitur, natura ipſam juſtificationem, & remiſſionem peccatorum conſequitur, nam donum eſt Spiritus ſancti, quod juſtificatis infunditur, quo, de remiſſione peccatorum, & gratuita Dei patris erga ſe benevolentia, certi redduntur. Ad juſtificationem autem conſequendam requiritur talis fides, qua homo exemplo Abrahæ ad promiſſionem Dei non hæſitet per diffidentiam, ſed præter ſpem, in ſpem credat: Deum videlicet, credenti in eum, qui ſuſcitavit Ieſum Chriſtum à mortuis, qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram, imputaturum hanc fidem ad juſtificationem, & peccata non imputaturum, & eum, qui mortuus erat peccato, per Spiritum ſanctum vivificaturum. Hujus rei exemplum eſt in ſanatione corporalium morborum, quæ internæ ſanationis imaginem gerit, ibi enim à Chriſto requiritur fides, non qua homo credat

ſe

se jam sanatum, sed qua credat Christum ea potentia præditum, ut sanare possit: & confidat eam ejus esse bonitatem, ut sanare velit, qua fide sanitatem consequuti sunt, ipsam vero sanitatem jam sibi donatam sensu perceperunt, quare ad eam cognoscendam fide opus non erat. In sanatione vero interiori, quæ occulta est, solaque Spiritus sancti inspiratione cognoscitur, fide opus est, qua huic Spiritus testimonio assentiamur. In hac autem doctrina de fide, qua accipitur remissio peccatorum & justificatio, duo observanda, & cavenda sunt: Primum, ut pavidis conscientiis occurratur, quæ hoc testimonium Spiritus obscurius sentiunt: Alterum, ne timor Dei excutiatur, ne securitas alatur, ne quod bene operandi studium remittatur. Vtrumque in libro illo Ratisbonæ proposito breviter fit, de priore enim sic loquitur: Quoniam perfecta certitudo in hac imbecillitate non est, sunt que multæ infirmæ & pavidæ conscientiæ, quæ cum gravi sæpe dubitatione luctantur, nemo est à gratia CHRISTI propter illam infirmitatem excludendus, sed convenit tales diligenter admoneri, ut his dubitationibus promissiones Dei fortiter opponant, augeri sibi fidem sedulis precibus orent. Ob hanc dubitationem, quæ ex consideratione propriæ infirmitatis nata, semper hæret etiam in sanctissimis viris: Item quia persuasio hæc falsa, & inanis esse potest, in impiis videlicet, spiritu Dei destitutis, ideo nonnulli senserunt, hanc certitudinem non fidei proprie, in qua dubitatio hæreticum facit, sed fiduciæ potius, quæ ex sensu quodam divinæ benevolentiæ nascitur, esse tribuendam, cui opposita aliquanta hæsitatio infirmitatem fidei arguit, cum

qua

qua hæsitatione fidelibus animis est luctandum.

Canon. 6. in Matth. Veteres sane in hoc loco inter spem & fidem non admodum distinxerunt, ut patet ex Hilario. Ergo

in illud, Nonne anima plus est quam corpus. regnum (inquit) cœlorum, quod Prophetæ prædicarunt, Dominus noster in se positum esse confessus est, vult absque aliqua incertæ voluntatis ambiguitate sperari, alioqui justificatio ex fide nulla est, si fides ipsa fuit ambigua. Certe nemo est Ecclesiasticorum, nec è scholasticis quidem, qui non hanc fiduciam, & certitudinem de gratia & misericordia Dei, & glorificatione futura, diligenter urgeat, & dubitationi, ac diffidentiæ opponendam doceat. Tradit autem Bonaventura, hanc

In 3. dist. 26. quæst. 5. certitudinem haberi, per quandam bonæ voluntatis confidentiam, quæ consurgat ex conscientia

In epistol. cap. 3. bona. Consentiunt hæc cum verbis Apostoli, Glorificatio nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Item Ioannis, Nos scimus (inquit) quoniam translati sumus ad vitam, quia diligimus fratres: filioli, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate. In hoc cognoscimus, quoniam ex veritate sumus, & in conspectu ejus suadebimus corda nostra. Chariſſimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. Quamvis hæc fiducia, qua confidimus nos in misericordia Dei salvatos, & regni Dei hæreditatem consequutos, non soli huic testimonio conscientiæ, sed divinis quoque promissionibus

Sermo. 6 de dedicatione templi. inniti debet. De quo præclare Bernardus, Quis poterit salvus esse, dicunt discipuli Salvatori? & ille: Apud homines hoc impossibile est, sed non apud Deum. Hæc sola fiducia nostra, hæc sola consolatio nostra, hæc tota ratio spei nostræ. Sed de possibilitate jam certi, de voluntate quid agimus?

Quis

Quis ſcit, ſi eſt dignus odio an amore? Quis novit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit? Hic jam plane fidem nobis ſubvenire neceſſe eſt, hic oportet ſuccurrere pietatem, ut quod in nobis latet, in corde Patris, nobis per ipſius Spiritum reveletur, Spiritus ejus teſtificans perſuadeat ſpiritui noſtro, nos eſſe filios Dei. Idem: Tria, inquit, conſidero, in quibus ſpes mea tota conſiſtit: Charitatem adoptionis, veritatem promiſſionis, poteſtatem redditionis. Adhæc Doctores hujus ætatis, non ſe dubitationem docere dicunt, qua de miſericordia Dei dubitetur, & diffidatur, ſed timorem Dei, quo ſolicitudo bene operandi, & acceptam gratiam conſervandi, in nobis excitetur, & augeatur, de quo Apoſtolus: Cum timore & tremore veſtram ſalutem operamini. Eum timorem caſtum & filialem appellant, quem perfecta charitas non pellit, ſed retinet, & fovet, qui timor ſemper fiduciam, & ſpem paternæ benevolentiæ adjunctam habet. Vide ſi lubet Auguſt. Hæc cum in Eccleſia Catholica, etiam hodie tractentur, non recte Proteſtantes Eccleſiam præſentem incuſant, quod doceat & jubeat, de gratia Dei, & vita æterna dubitare, atque hanc blaſphemiam (ut ajunt) doctrinam, inter præcipuas cauſas ponunt, cur ab ea diſcedendum ſibi putent. Et enim quomodo dubitare jubeant, qui jubent confidere, omnemque hæſitationem, & diffidentiam ex animo profligare? Quod autem attinet ad timorem Dei, & ſtudium operandi, quem juſtificatis eſſe debent, recte docet liber: In renovatis (inquit) ſemper creſcere debet timor Dei, patientia & humilitas, & aliæ virtutes, cum renovatio ſit imperfecta, & hæreat in eis ingens infirmitas. *In ſerm. de fragment.*

Item Christiano cuique debet esse compertum, non in hoc datum nobis esse hanc gratiam, & hanc regenerationem, ut in eo gradu innovationis nostræ, quem primum nacti sumus, ociosi consistamus: sed crescamus in ipsum per omnia, qui est caput, &c. Recte quoque docet Enchiridion, loca illa divinæ scripturæ: (Beatus homo, qui semper est pavidus. Item: Cum metu & tremore vestram salutem operamini) non respicere justificationem, nec fiduciæ de misericordia Dei quicquam detrahere: sed respicere jam justificatos, hi enim si sentiant, se Dei beneficio innovatos, absit ut posthac sibi vivant, & suis viribus posthac legem implere contendant, quin potius suæ infirmitatis sibi conscii, toti à gratia Dei pendebunt, & filiali timore semper solliciti esse debebunt, ne in vacuum gratiam Dei receperint, neve à gratia recepta, sua injuria & arrogantia, rursus cadant in priores sordes. In quam sententiam dixit Apostolus, In fide stas, noli altum sapere, sed time, &c. quæ sequuntur. Quæ non video cur merito à Protestantibus improbari possint, nec etiam Theologis catholici nominis, tametsi non per omnia scholasticam phrasim referant, modo doctrinæ Catholicæ non repugnent, & Christianæ concordiæ serviant.

Quod autem Protestantes passim urgent, sola nos fide justificari, tolerabilius est, cum interpretantur, se in fidei nomine, gratiam, quæ ei ex adverso respondet, intelligere, ut idem sit, sola fide justificari, quod sola gratia, non ex operibus, justificari. Item, cum ab hac fide non excludunt pœnitentiam, timorem Dei, fiduciam, dilectionem, denique obedientiam erga legem Dei propositam,

tam, &c. Item, in argumento in Epistol. ad Rom. Colos. Fides, inquit, nil est sine pœnitentia, nisi inane somnium. Habet etiam hæc locutio exempla vetustatis, nam Origines in Epist. ad Rom. demonstrat, fide sola absque operibus aliquos esse justificatos. Et Hilarius de Paralytico, A Christo (inquit) per fidem remissio est, quod lex laxare non poterat, fides enim sola justificat, &c. Per hanc autem solam fidem intelligunt haud dubie solum meritum, & confidentiam operum excludi, ut gratia stabiliatur, quomodo Paulus inquit, Si ex operibus, jam non ex gratia, &c. Illud autem accurate observetur, si sola fide apud populum homo justificari dicatur, illud simul inculcetur, fidem, tametsi solam justificare dicatur, tamen solam esse non posse, sed necessario pœnitentiam, & vitæ melioris propositum adjunctam habere, ne videlicet inanem quandam & adumbratam imaginem fidei, pro solida & expressa fide amplectamur. Providit hoc quoque Lutherus in visitatione Saxonica, Multi (inquit) dum audiunt, ut solummodo credatur omnia ipsis remitti peccata, fingunt sibi fidem, & putant se mundos esse, per quod fiunt temerarii & securi. Hujusmodi autem carnalis securitas pejor est omni errore, qui ante hoc tempus nunquam fuit. hæc ille. Quare multis eruditis & piis viris satius videtur, ut in concionibus popularibus vox illa prætermittatur, sed scripturæ tantum verba usurpentur, ut gratia salvi facti estis, per fidem absque operibus justificati gratis, per gratiam ipsius, arbitramur hominem justificari fide, non ex operibus legis.

Hæc de fide, qua accipitur justificatio, dicta sint. De ipsa autem justitia, qua justificamur, magna

hactenus certamina extiterunt, aliis in sola Christi justitia nobis imputata, aliis in justitia novæ vitæ nobis communicata, justificationis formam ponentibus, etiam postea à doctissimis viris observatum sit, ex Apostolica doctrina, & Patrum traditione, utramque justitiam, in justificationis ratione, conjungi debere. Et quidem de justitia, id est, merito & satisfactione Christi, nobis imputata, hoc est, nobis, ac si propria esset, attributa, Scripturæ satis aperte loquuntur. Per eam enim justitiam, id est, meritum & intercessionem sanguinis Christi, peccata nobis remittuntur, id est, non imputantur. Ita Apostolus loquitur Christum esse perfectionem legis, ad justitiam omni credenti. Item, eum qui non novit peccatum, pro nobis peccatum factum, ut nos efficeremur justitia Dei in illo. Item, Christum nobis à Patre factum justitiam, sapientiam, & sanctificationem, & redemptionem. Pulchrè hanc justitiam explicat Bern. *Epist. 119* Affignata (inquit) est homini justitia aliena, qui carnit sua, &c. Nam si unus pro omnibus mortuus est, igitur omnes mortui sunt, ut videlicet satisfactio unius omnibus imputetur, sicut omnium portavit. Ibidem. Justum me dixerim, sed illius justitia. Quæ nam ipsa? Finis legis Christus, ad justitiam omni credenti. Denique, qui factus est nobis (inquit) justitia à Deo Patre. Quæ ergo mihi justitia facta est, mea non est. Idem in Cantic. Ego quoque misericordias Domini in æternum cantabo, nunquid justitias meas? Domine memorabor justitiæ tuæ solius, ipsa enim est mea, nempe factus es tu mihi justitia à Deo, nunquid mihi verendum est, ne non una ambobus sufficiat? Non est pallium breve, quod secundum Prophetam, non po-

 test

teſt operire duos. Et hoc quidem extra controverſiam eſt, juſtitiam illam, qua juſtificamur, conſiſtere in remiſſione peccatorum, hoc eſt, cum propter meritum paſſionis Chriſti, quam ſuſcepit noſtri cauſa, peccata nobis non imputantur: quod nil aliud eſt, quam ipſum Chriſti meritum, ad remiſſionem peccatorum nobis imputari. Atque hoc eſt, quod Paulus toties inculcat, imputari nobis fidem ad juſtitiam, eam videlicet fidem, qua credimus in eum, qui ſuſcitavit Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum à mortuis, qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram. Verum hic rurſum neceſſe eſt, ut ii qui Proteſtantes vocantur, reliquis Catholicis in eo conſentiant, qui dicunt hanc juſtificationem, ſeu juſtitiam, qua juſtificamur, non in ſola remiſſione peccatorum, ſed etiam in renovatione interiore hominis eſſe poſitam, cum per Spiritum ſanctum Charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, & nova creatura efficimur, nec ſolum dicimur, ſed etiam vere juſti efficimur, & ad opera juſtitiæ facienda præparamur: ut juſtificandi verbum non ſolum ſignificet abſolvi à peccatis, ſed etiam juſtitia donari, & ex impio juſtum effici. Porro juſtificari hominem non ſola imputatione, ſed etiam veræ juſtitiæ participatione, manifeſte declarat analogia illa peccati & juſtitiæ, ex inobedientia & obedientia unius hominis, quæ explicatur à Paulo, cum inquit: Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita per unius hominis obedientiam juſti conſtituuntur multi. Sicut enim peccatum à primo parente contractum, à quo peccatores dicuntur, non in ſolo reatu, & imputatione conſiſtit, ſed

etiam vitii & culpæ, qua natura depravata & infecta est, rationem habet: Ita justitia illa quæ nobis per Christum restituitur, non in sola imputatione posita est, sed vera quoque justitia est, qua natura, & voluntas depravata corrigitur & sanatur. Hanc analogiam pulchre explicavit Augustinus. Sicut ille, inquit, in quo omnes vivificabuntur, præter quod ad justitiam exemplum imitantibus præbuit, dat etiam sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & parvulis: sic & ille, inquit, in quo omnes moriuntur, præter quod eis, qui præceptum Domini voluntate transgrediuntur, imitationis exemplum est, occulta etiam carnalis concupiscentiæ lue tabificavit in se omnes de Evæ stirpe venientes. De hac justitia loquitur eodem libro, cum inquit: Legimus justificari in Christo, qui credunt in eum, propter occultam communicationem & inspirationem gratiæ spiritualis, qua quisquis hæret Domino, unus spiritus est. Hanc autem gratiam spiritualem, alibi charitatem appellat, ut de natura & gratia, cum ait, Per Spiritum sanctum diffundi charitatem in cordibus nostris, qua una justi sunt, quicunque justi sunt. Atque hanc justitiam hodie plerique inhærentem, Scholastici habitualem appellant, ex qua altera illa nascitur, quæ exercitio bonorum operum constat, quam actualem nominant. Porro utramque hanc justitiæ partem, & eam quæ in remissione peccatorum, & in satisfactione, & innovatione per Spiritum sanctum consistit, apertissime complexus est Cyrillus libro primo contra Iulianum. Cum prius (inquit) deposuerimus tenebras levitatis Græcorum à mente nostra, & dæmoniorum turbis valedixerimus, om-

De peccatorum meritis & remissione.

omnemque ipsorum pompam & cultum prudentissimè respuerimus, & cum veritatis lumine cordis oculum dilataverimus, agnoscentes eum, qui naturæ & verè omnium nativitatis auctor, & maximus Rex, & Deus est, confitemur fidem in Patrem, & Filium & Spiritum sanctum, & ita ad alterius vitæ exordium venientes, ingressi veræ pietatis semitas Christo annuente justificamur, per illum enim nobis misericors est Pater, justificante legislatore, & ab omni nos crimine liberante, & pœnam prævaricationum remittente, & etiam in mente sanctificante per Spiritum sanctum, & reformante nos modo, quo ipse novit, ad novitatem mentis castæ, & justæ. Quare caussa non est, cur ii, qui Protestantes vocantur, hanc justificationis definitionem defugiant, quomodo à doctissimis viris est explicata, &c. Primum, quia ipsimet agnoscunt hanc renovationem, & sanctificationem semper cum remissione peccatorum esse conjunctam, & justitiæ quidem nomen illi tribuunt, sed imperfectam & inchoatam vocant. Quod certa quadam ratione verum est, hoc est, si in se consideretur, & ad severitatem divinæ legis expendatur, quæ tamen rursum perfecta est, hoc est, Deo grata, & accepta, si ex fide, & gratia DEI æstimetur, cum ejus perfectio, propter CHRISTVM, per fidem in nobis habitantem, imputetur. Quapropter non defuerunt, ex ea quoque parte, qui justificationem his duabus partibus definierunt: remissione peccatorum, & regeneratione, seu sanctificatione. In quibus Ioannes Æpinus, magnæ apud suos auctoritatis. Quin ex Margarita illa Theologica, tria, Remissionem peccatorum, acceptionem ad vitam æternam, &

In defens. de just. Christiana.

donationem Spiritus sancti. Et Andreas Fricius, vir eruditissimus, & concordiæ, ut apparet, & moderationis amantissimus, quamvis Protestantium partis studiosior videatur, hanc tamen sententiam de Iustificatione, ingenue agnoscit. Concedimus (inquit,) non sola CHRISTI imputatione, sed vere realiter inhærente nobis justitia, nos esse justos. Item, Non nego nos vere justos esse, justitia nobis inhærente. Hancque justitiam præclarum esse Dei donum affirmat, qua regeneremur, & qua nova Christiani hominis vita constet, Verum quia illa in hac vita cœpta, & imperfecta est, multasque habet admixtas maculas, propter abhorrens peccatum, ideo nobis Christi imputatur justitia perfecta, & numeris omnibus absoluta, propter quam & peccata nobis remittuntur, & vita æterna donatur. Hæc ille, &c. Item, cum fatentur, Veteres, cum de justificatione agunt, justificationis nomine non solum remissionem peccatorum, sed veræ justitiæ collationem intelexisse, quæ in dono Charitatis per Spiritum sanctum in nos diffuso consistit: ut ex locis supra ex Augustino allatis, & aliis multis manifestum est. Tertio, quod in Ratisbonensi conventu, hic articulus justificationis, ad eam quam diximus formam, conciliatus est, in quam illorum Colloquutores consenserunt, quam conciliationem Bucerus quoque accurate tractavit, & ad eam subinde provocat. In eo autem conventu ita articulus iste explicatus legitur: Id quod tamen nulli contigit, videlicet, ut remissionem peccatorum accipiat, nisi etiam simul infundatur charitas sanans voluntatem, & voluntas sanata, (quemadmodum ait Augustinus) incipiat implere legem.

Fides

Fides ergo viva est, quæ & apprehendit misericordiam Dei in Christo, & credit justitiam, quæ est in Christo, sibi gratis imputari, & quæ simul pollicitationem Spiritus sancti, & Charitatem accipit: & sic, qui justificatur, justitiam accipit, & habet per Christum etiam inhærentem, sicut dicit Apostolus, Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis: tamen anima fidelis huic non innititur, sed soli Christi justitiæ nobis donatæ. In qua explicatione nil video, quod etiam gratiæ DEI studiosissimus desiderare possit.

Art. V. *De ministerio Verbi externi, & Sacramentorum.*

IN quinto Articulo docetur, ut fidem consequamur, institutum esse ministerium docendi Euangelium, & porrigendi Sacramenta, nam per verbum, & sacramenta, tanquam instrumenta, donari Spiritum sanctum, qui fidem efficiat, ubi, & quando visum est Deo. Quod de ministerio verbi dicitur, quo & in nondum credentibus fides efficitur, & in credentibus augetur, & confirmatur, controversiam non habet, est enim consentaneum dicto Apostoli: Fides ex auditu est, auditus autem per verbum Dei. Quamquam quod docent, per verbum Dei dari Spiritum sanctum, non satis convenit cum divinis literis, quæ tradunt, Spiritum sanctum non dari, nisi jam credentibus: imo per fidem accipi Spiritum sanctum, id quod in Apologia quoque agnoscunt. Sed esto, intelligamus per ministerium verbi effici in hominibus fidem, quæ donum est Spiritus sancti. Hoc modo adden-

dum est, externi istius verbi ministerium, quamvis necessarium, inutile tamen esse, nisi intus Pater per unctionem Spiritus doceat. Quod pulchre dictum est ab Augustino ad illud, Vnctio docebit vos: Nolite putare, quenquam hominem quicquam discere ab homine, admonere possumus per strepitum nostræ vocis, si non intus sit qui doceat, manifeste inanis sit strepitus noster. Sed hoc indicasse videtur Confessio, cum ait: Vbi, & quando illi visum est, quo significatur omnem virtutem verbi & Sacramentorum ex Dei voluntate, & interna operatione pendêre. De usu igitur externi verbi ita tenendum est: Quamvis solo afflatu interiore Spiritus, Deus salutem nostram operari potuerit, externum tamen verbi ministerium adhibere voluisse, quod non hominis, sed Dei verbum dicitur, ita tamen, ut vim omnem suam ab interno motu Spiritus sancti accipiat. Quare merito illi reprehenduntur, qui, neglecto organo verbi divinitus traditi, alias salutis vias sectantur. Quemadmodum nec illi probandi sunt, qui ita auditui externi verbi affiguntur, ut internam operationem Spiritus minus attendant. Idem quoque de virtute, & usu Sacramentorum intelligendum est. Quod autem in hoc articulo dicitur, per sacramenta quoque, tanquam per instrumenta dari Spiritum sanctum, qui fidem efficiat, non satis consideratè dictum videtur, nisi per illud confirmationem & incrementum fidei intelligas, aut nisi ad infantes referas, quos (ut ait Augustinus,) Sacramentum fidei fideles efficit. Quamvis id eorum quoque dogmati adversaretur, qui tradunt etiam infantibus adesse motum fidei, qua gratiam Baptismi apprehendant, sin ad adultos simpliciter

In epistolā Ioan. tract. 4.

referrent, non modo cum universa Ecclesia, sed secum ipsi pugnarent, qui in omni usu Sacramentorum in adultis, ut digne percipiantur, fidem antecedere debere docent. Quòd in Appendice Anabaptistæ, & alii damnantur, qui sentiunt Spiritum contingere sine verbo externo, per ipsorum operationes & opera, non video, quid in eo reprehendi debeat, neque enim hic simpliciter eos de operibus præparatoriis loqui puto, ut sunt opera pœnitentiæ, quibus homines ad remissionem peccatorum, & justificationem percipiendam, præparari divinæ literæ, & Ecclesiastica scriptura testantur (de quibus alius erit dicendi locus) hæc enim sine auxilio, & motu Spiritus sancti, & sine initiis aliquibus fidei, ordine & modo divinitus instituto, per externi verbi prædicationem, in qua Spiritus sanctus potenter operatur, contingunt, juxta illud Apostoli: Fides ex auditu est: credo autem eos loqui, de iis operibus, quibus homines fanatici, neglecto verbi externi ministerio, per (nescio quas) exercitationes, se Spiritum sanctum elicere, qui agenda, & credenda inspiret, falso existimarunt.

Art. VI. *De bonis Operibus fidelium.*

SExtus Articulus magna ex parte cum Catholica professione convenit. Omnes enim tam Veteres, quam recentes communiter docent, fidem debere bonos fructus parere, ut quæ sine operibus mortua sit. Item, Quod oporteat bona opera facere à Deo mandata. Quod subjicitur, propter Dei voluntatem, non vero ut confidamus,

graviora scelera post lapsum requiruntur, aut in desperationis aut falsæ fiduciæ periculum impellant, eorumdem Patrum salubris & Euangelio prorsus consentanea doctrina adjungenda est: cujusmodi est illud Chrysostomi: Proinde & tu, quibus rebus provocasti Deum, per has rursum facito propitium. Provocasti illum pecuniarum rapina? per easdem eum reconcilia: provocasti illum maledicentia? vicissim lingua placato, puras emittens preces: hæc non egent multis diebus annisve, sed solo animi proposito, unico die perficiuntur: discede à malo, virtutem amplectere, pollicetor te posthac ista non commissurum, & istud sufficiet ad excusationem: ego testificor ac fide jubeo fore, ut si nostrum quisque, qui peccatis obnoxius recedens à pristinis malis, ex animo vereque promittat Deo, se postea nunquam ad illa rediturum, nil aliud Deus requirat ad satisfactionem ulteriorem: benignus enim est, & quemadmodum parturiens cupit enixi fœtum, ita & ille cupit effundere suam misericordiam. Basilius in definitionibus contractioribus: Cum quanto timore, & quantis lacrymis à peccato secedere debet anima multis afflicta peccatis, & qua spe ad Dominum possit accedere? Principio debet damnatam pristinam vitam odio prosequi, deinde comminationem æterni judicii, ac supplicii, per timoris Dei doctrinam, complecti; certa, quòd mundatio peccatorum fit per sanguinem Christi, in amplitudine misericordiæ, & multitudine miserationum Dei, qui dixit: Si fuerint peccata vestra, sicut purpura, velut nivem illa dealbabo; atque ita ad Deum accedens psallat dicens: Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, & non læti-

De B. Philogenio.

lætificasti inimicos meos super me. Quod autem in his operibus, fiducia remissionis peccatorum collocanda non sit, pulchre quoque attestatur & monet Gregorius, Non in fletibus (inquit) & actibus nostris, sed in advocati nostri allegatione confidimus. Quare & hæc doctrina prætermittenda non est; quam summo consensu Veteres omnes tradunt, fiduciam remissionis peccatorum, etiam eorum, quæ post regenerationem admittuntur, & spem veniæ & vitæ æternæ, in sola Dei misericordia, & merito Christi esse collocandam, quomodo præclare dictum est ab Augustino. Omnium (inquit) piorum, sub hoc onere corruptibilis carnis, & in vitæ istius infirmitate gementium, spes una est, quod advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum justum, & ipse est exoratio peccatorum nostrorum.

SEd ut tota hæc de fide, & operibus disputatio melius intelligatur, illud tenendum est, triplicem tum in Evangelicis literis, tum in Ecclesiasticis scripturis justificationem extare: Prima, qua prorsus infidelis, & alienus ab Ecclesia Christi per fidem, & fidei Sacramenta, in Christo regeneretur, atque ea est, quæ proprie, ut diximus, ab Ambrosio sola fide, id est, sola Baptismi gratia obtineri dicitur. Altera est, qua amissa per peccatum justitia recuperatur, ad quam obtinendam pœnitentiæ Sacramentum est institutum. Tertia est, qua, ex dono justitiæ nobis infuso, & communicato, juste operamur, Dei voluntati paremus, & ad ejus imaginem paulatim renovamur, de qua est illud Ioannis: Qui justus est, justificetur adhuc: de qua & illud Iacobi intelligitur: Abraham ex operibus justificatum esse, non ex fide tantum, id

est, non eo tantum justum habitum à Deo, quod credíderit, sed ex eo quoque justum habitum fuisse, quod ex ea fide, Deo jubenti obtemperaverit, ita, ut fides cooperata sit operibus ejus. De hac quoque justitia, quæ in obedientia divinorum mandatorum posita est, ex qua Zach. & Elisabeth justi fuisse coram Deo dicuntur, illud ab universa Ecclesia diligenter asseritur, eam potissimum in fide remissionis peccatorum, & Dei misericordia, per intercessionem sanguinis Christi, consistere, cum per se ipsa impura, & imperfecta sit, de qua multa & præclara antiquitatis testimonia adferri possunt, ut est illud Hieronymi: Tunc justi sumus, quando nos peccatores fatemur, & justitia nostra non in proprio merito, sed in Dei confisit misericordia. Et ab Augustino de civit. Dei, lib. 29, recte concluditur: Justitiam nostram potius remissione peccatorum constare, quam perfectione virtutum. Huc pertinet illud Basilii ex concione de humilitate. Hæc est (inquit) integra & perfecta gloriatio in Deo, quando ne quidem propter justitiam suam quis effertur, sed agnoscit sibi deesse veram justitiam, fide autem sola in Christum justificari. Valet autem hic Basilio sola fide justificari idem, quod sola misericordia justitiæ nostræ imperfectionem non imputante. Ita Bernardus: Quid potest (inquit) esse omnis justitia nostra coram Deo, nonne juxta Prophetam, velut pannus menstruatæ reputabitur? Quapropter obnixe cum Propheta clamantes, Ne intres judicium cum servo tuo Domine, tota humilitate ad misericordiam recurramus, quæ sola potest salvare animas nostras. Nec ab hac sententia abhorrent Scriptores Scholastici, & recentiores Ecclesiæ

Li. 1 contra Pelagian.

Serm. 1 de Omnibus sanctis.

cleſiaſtici, qui omnem vim meriti hujus juſtitiæ, in ſola gratuita Dei acceptatione, & liberali promiſſione conſtituunt, cum & hæc ipſa qualiſcunque juſtitia, donum ſit Dei, & jure ſervitutis Deo debeatur. Videatur Thomas in 1, 2, Quæſt. 114, Artic. 1. Meritum hominis apud Deum eſſe non poteſt, niſi ſecundum præſuppoſitionem divinæ ordinationis, &c. Præclare hac de re differit Durandus in 2, Diſtin. 27, Quæſt. 2. & ex recentioribus Theologis Adrianus de Trajecto, poſtea Pontifex Maximus, in 4 ſententiarum: Sunt (inquit) merita noſtra veluti baculus arundineus, cui dum quis innixus fuerit, confringitur, & perforat manum innitentis; & quaſi pannus menſtruatæ ſunt omnes juſtitiæ noſtræ. Ingiter igitur ſuper pannum bonæ vitæ, quem juſtitiæ operibus teximus, ſtillamus ſaniem diverſorum criminum. Quæ igitur ex eis poterit eſſe fiducia ad Deum, qui neminem diligit, niſi ex toto corde converſum? Recte igitur ſuaſit Salvator: Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, Servi inutiles ſumus. Item è Schola Pariſienſi Iodocus Clithoveus in Canonem, ad illud, Non æſtimator meriti: Quid meriti (inquit) apud Deum poterimus obtendere, cui debemus omnia? Cum feceritis (inquit) omnia, &c. Quid nobis de bonis operibus poterimus applaudere, cum univerſæ juſtitiæ noſtræ ſint quaſi pannus menſtruatæ ante Dominum? Nulla igitur in Deum noſtra ſunt merita, cui debita ſunt omnia quæ præſtamus, cum non ex nobis, ſed ſola ſua bonitate, ſi qua bona ſunt opera noſtra, accepta ſunt, & grata, à quo ut præcipuo Auctore profecta ſunt. Hæc ideo aſſcribere viſum fuit, ut præſens Eccleſia à

calumnia vindicetur, qua nimium huic juſtitiæ, & merito bonorum operum tribuere, & in Chriſti meritum ingrata, & contumelioſa eſſe traducitur: & ut Proteſtantes, hac Confeſſione conſiderata, in hoc præcipuo Capite, in quo de Iuſtificatione coram Deo agitur, facilius, & libentius Eccleſiæ unitati accedant.

Hæc etiam dicta ſint ad vigeſimum Articulum, in quo de bonis operibus copioſius agitur, cujus longæ diſputationis ſumma hæc eſt. Nulla bona opera præſtari poſſe ſine fide Chriſti. Item: Opera noſtra non poſſe nos reconciliare Deo, aut mereri remiſſionem peccatorum, & gratiam. Qua in re, non modo divinas literas, ſed antiquos omnes & recentes Eccleſiaſticos ſcriptores conſentientes habent. Notum eſt illud Apoſtoli: Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Item: Quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt. Quam ſententiam Auguſtinus generalem eſſe contendit. Sine me (inquit Chriſtus) nil poteſtis facere. Et ſicut palmes non poteſt facere fructum, niſi manſerit in vite, ſic & vos, niſi in me manſeritis.

Lib. 4 cont. Iulian. Et de nuptiis & concupiſcent. & c. 2. & 3.

De Operibus impiorum.

QVare de operibus impiorum uno ore pronunciant omnes, nil illis ineſſe meriti & virtutis, ad gratiam Dei, qua juſtificantur, conciliandam, eo quod non oriantur ex fide & gratia, qui fons eſt bonorum operum: & quia non referuntur ad verum Deum, qui finis eſt, ad quem omnia bona referri debent: ideoque non ſolum inutilia, ſed etiam mala, & peccata plerunque dicuntur, ut

Auguſt.

Auguſt. in Pſal. 31, Bona opera extra fidem confert curſui celerrimo extra viam : & ad ſextum, Si nihil (inquit) poſſunt habere boni meriti peccatores, certe mala ſunt merita, & peccata, quæcunque peccatores operantur, etiam quæ videntur in ſpecie bona. Idem de natura & gratia, Nam neceſſe mortua opera faciat, donec gratia Dei reviviſcat. Proſper in Epigrammatis,

Omne etenim pietatis opus, niſi ſemine recto
Exoritur fidei, peccatum eſt.

ITem libro de Vocatione gentium, Sine cultu enim veri Dei, etiam quod videtur eſſe virtus, peccatum eſt, nec placere ullus Deo, ſine Deo poteſt. Chryſoſtomus : Nil extra fidem bonum eſt, ac, ut quadam ſimilitudine utar, ſimiles mihi videntur, qui operibus bonis florent, & Deum pietatis ignorant, reliquiis mortuorum pulchre quidem indutis. Vide Baſilium ſerm. 2 de Baptiſmate, capit. 1, An poſſibile, an acceptum Deo ſit, eum qui peccato ſervit, facere juſtitiam ? Adfert quæſtionis explicationem ex Veteri Teſtamento, dicente Deo : Peccator qui vitulum mihi immolat, perinde eſt atque qui canem mactat, & in Novo Teſtamento dicit Dominus : Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati, & nemo poteſt duobus dominis ſervire. Propterea hortandum eſt, ut faciamus arborem bonam, & fructus ejus bonos, & repurgemus primum, quod inter poculum eſt & patinam, & tunc quod extra erit, mundum erit totum. Vide Auguſtin. adverſus Iulianum lib. 4, cap. 3, Quicquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri deberet, etſi officio videatur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt. Quod autem operibus nemo remiſſionem

peccatorum mereatur, diserte etiam Scholastici scriptores agnoscunt, ut ex eorum scriptis manifestum: quia virtus merendi non communicatur, nisi vivis Christi membris, quibus jam peccata remissa sunt.

Vide Cajetanum Tom. 3 opuscul. Tract. III.

De Operibus præparatoriis.

REstat nunc medium quoddam genus operum, quod fit ab iis qui jam aliqua agnitione peccati compuncti sunt, & semina quædam, ac initia fidei conceperunt, nondum tamen plenam justificationem, & gratiam sunt consequuti: quæ opera præparatoria vocari solent. De his quoque operibus contentio nulla erit, si ad veterum mentem, ac etiam saniorum Scholasticorum, Divinis literis congruentem, negotium explicetur: omnes enim agnoscunt, opera hujusmodi esse dona Dei per Spiritum sanctum, quibus ipse, eorum, quos justificare constituit, animos movet, disponit & præparat, & quasi subigit, ad hanc justificationis gratiam consequendam, cujus rei exemplum adfertur Cornelii Centurionis. De quo Augustinus de Prædestinat. Sanctorum solet dici, ideo credere meruit, quia vir bonus erat & antequam crederet. Quod de Cornelio dici potest, cujus erant acceptæ eleemosynæ, & exauditæ orationes, antequam credidisset in Christum, nec tamen sine fide aliqua donabat, & orabat. Quicquid igitur, & antequam in Christum crederet, & cum credidisset, bene operatus est, totum Deo dandum est, ne forte quis extollatur. Et contra Pelagianos disputans, qui adducebant illud Proverbium,

Cap. 1.

Homi-

Hominis est præparare cor, &c. Non bene (inquit) intelligendo falluntur, ut existiment cor præparare, hoc est bonum inchoare, sine adjutorio gratiæ Dei, ad hominem pertinere. Ideo quippe scriptum est: Hominis est præparare cor, quia homo præparat, non tamen sine adjutorio Dei. Et in iisdem libris legitur, Præparatur voluntas à Domino. Hanc sententiam saniores Scholastici sequuti constanter docent, nullam hujusmodi præparationem utilem esse, nisi præveniente auxilio Divinæ gratiæ. Quare hujusmodi gratiam prævenientem appellant, eaque opera valere ad impetrandam justificationis gratiam, & remissionem peccatorum, non autem ad eam merendam, & efficiendam. Item, hujusmodi opera operari ad justificationem, non autem justificationem operari. Verba ipsorum adferre longum esset. Vide Thomam 1, 2, Quæst. 109, Art. 6, In præparatione voluntatis ad consequendum gratiæ donum, oportet præsupponi aliquod auxilium gratuitum Dei, interius animum moventis, ideo quod homo convertatur ad Deum, non posse fieri, nisi Deo ipsum convertente. Hanc sententiam sequuntur ejusdem Thomæ sectatores, à quibus sententia Scoti rejicitur, existimantis hominem ex puris naturalibus, & auxilio generali, posse se ad gratiam de congruo præparare: & respondetur: Neminem facultate humana posse sufficienter se ad gratiam disponere, nisi speciali auxilio subnixus ea dispositione, quam infallibiliter, & certa lege subsequitur gratia. De hac quoque præparatione gratiæ pulchre differit doctissimus Theologus Parisiensis: Hominem nondum credentem, sed sibi derelictum, in solis vitiatæ naturæ talentis

Ioan. Dreidonis de Concordia arbitrii & prædestinationis.

se ad accipiendam fidei gratiam præparare non posse, nam absque gratuito auxilio Dei crucem mortemque Christi revelantis, intusque docentis, atque trahentis nemo incipit credere. Iidem Doctores cum dicunt, Deum homini, quantum in se est, facienti, super iis quæ illi ad salutem sunt necessaria, nunquam deesse, intelligi debere de homine quod in se est faciente, jam cœlitus attracto, ad accipiendam gratiam Dei. Hæc certe esse pietati consentanea, nemo negare potest, & iis objici possunt, si quæ à nonnullis fortassis Sophistis incommodius dicta leguntur.

Art. VII. *De Ecclesia.*

SEptimus articulus, qui est de Ecclesia, diligenti opus habet consideratione, nam ex eo omnis hæc distractio, quæ hodie est in Repub. Christiana, originem ducit. In hoc itaque articulo quædam non improbanda, quædam vero annotanda & corrigenda videntur. Recte itaque docent: Vnam esse sanctam Ecclesiam perpetuo mansuram, nam hæc professioni fidei Apostolicæ, & Constantinopolitanæ consentanea sunt. Videntur autem his verbis (perpetuo mansuram) Catholicam seu universalem designasse. Quamquam vocabulum Catholicæ, non tam perpetuitatem temporis, quam universitatem locorum significat, ideo enim Veteres potissimum Catholicam dictam volunt, quod per universum orbem diffusa sit. Apostolis enim mandatum fuit, ut irent in mundum universum, & prædicando Euangelio, & Sacramentis, unam sibique consentientem Ecclesiam, ubique

Vide Optatum li. 2.

per

per totum orbem constituerent. Quod addunt: Ecclesiam esse congregationem Sanctorum, nec illud merito reprehendi debet, ideo enim sancta dicitur Ecclesia, quod ex sanctis, id est, Baptismo sanctificatis, & consecratis constet, præsertim cum in sequenti Articulo hypocritas, & vitiosos, ab hac externæ Ecclesiæ societate non excludant, idque latius in Apologia explicent. Quod autem subjicitur, ad veram Ecclesiæ unitatem satis esse consentire de doctrina Euangelii, & administratione Sacramentorum: non satis est, ad schismaticos ab Ecclesiæ societate segregandos, nam Donatus agnoscit Donatistas suæ ætatis hæreticis non annumerandos esse, verum odio quodam injusto se à communione ejus, quæ est per universum orbem, Ecclesiæ segregasse. Requiritur ergo ad hanc unitatem Ecclesiæ, præter doctrinæ, & morum similitudinem, etiam unitas animorum, hoc est, ut cum ea Ecclesia communionem, & societatem agnoscas, quæ ab Apostolis in universo terrarum orbe constituta, &, per successionis traducem, ad nos usque propagata est. In hac sane unitate animorum potissimum spectanda est obedientia, quæ debetur Ecclesiarum Præfectis, qui inde usque ab Apostolis per successionem Ecclesiam Dei gubernandam, & verbo vitæ pascendam susceperunt. Qui & si non semper eadem fide officium suum præstiterunt, in illis tamen quæ officii sui sunt, obtemperari illis necessum est, tum in auditu veræ doctrinæ, tum in legitimo usu Sacramentorum, tum in disciplina, & correctione Ecclesiastica: quomodo Prophetas, Christum, & Apostolos, ministerio Pontificum, sacerdotum, & Pharizæorum usos legimus, sic tamen, ut huic mandato

Christi pareamus, qui ita jubet Scribas, & Pharizæos sedentes etiam in Cathedra Moysi audiri, ut tamen à fermento ipsorum tum vitiatæ doctrinæ, tum vitæ corruptæ caveri moneat.

Hanc tertiam notam necessario requiri, etiam hujus Confessionis auctor postea agnovit, qui multis in locis, ubi de signis Ecclesiæ agit, tertio loco addit Obedientiam debitam ministerio Evangelii, seu Catholicæ Ecclesiæ, additque in quadam disputatione, eos, qui ab eo ministerio Catholicæ Ecclesiæ discedunt, esse impios & maledictos, & confirmat hanc obedientiam his locis Pauli: Non sint inter vos schismata, non deserentes congregationem. Item, Obedientes iis qui præsunt vobis. Non igitur satis est, si per fidem de Filio Dei, aliquo modo capiti cohæreas, nisi etiam per hoc vinculum pacis, corpori ejus, quod est Ecclesia, connectaris: totus enim Christus (ut præclare Augustinus) & caput, & corpus est. Quare quicunque de ipso capite Scripturis sanctis ita consentiunt, ut eorum communio non sit in toto, (quocunque diffunditur,) sed in aliqua parte separata inveniatur, manifestum est, eos non esse in Catholica Ecclesia.

Porro ad hanc unitatem retinendam, inprimis opus est scire, quæ sit vera Catholica, & Apostolica Ecclesia, quæ Christi corpus, & sponsa dicitur: Item, qui sint hujus Ecclesiæ Præpositi, quibus Spiritus sanctus Ecclesiam ordine post Apostolos regendam commisit.

Eccleſia vera quid.

HAnc autem Eccleſiam manifeſtam eſſe oportet, nam, ut recte, inquit, Auguſtinus, Quomodo confidimus ex divinis literis accepiſſe nos Chriſtum manifeſtum, ſi non accepimus, & Eccleſiam manifeſtam? Eſt igitur illa vera Chriſti Eccleſia, quam conſtat ab Apoſtolis per univerſum orbem conſtitutam, & per ſucceſſionis traducem ad nos uſque propagatam. Habet enim hæc promiſſionem à Chriſto, quòd ab ea nunquam ſit receſſurus, ſed ſpiritus ſui præſentia in perpetuum eam ſit conſervaturus. Ego (inquit) vobiſcum ſum, uſque ad conſummationem ſeculi, ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum. Et quamvis præſens hæc Eccleſia, non parum in morum, & diſciplinæ integritate, adde etiam in doctrinæ ſinceritate, ab antiqua illa unde orta, & derivata eſt, diſſideat; tamen eodem fundamento Doctrinæ, & Sacramentorum divinitus inſtitutorum firma ſemper conſtitit, & communionem cum antiqua illa & indubitata Chriſti Eccleſia agnoſcit & colit: quare alia & diverſa ab illa eſſe non poteſt, tametſi multis in rebus diſſimilis ſit. Manet itaque Chriſti Eccleſia & ſponſa, quamvis multis erroribus, & vitiis ſponſum ſuum irritaverit, quamdiu à Chriſto ſponſo ſuo non repudietur, tametſi multis flagellis ab ipſo caſtigetur.

De virtute excommunicationis.

Hæc olim Lutherus, & qui eum initio ſequebantur, ingenue agnoverunt. Ita enim loco quodam ſcripſit: Manet mater, quia manet Eccleſia, manet autem Eccleſia, quia manet Chriſtus ſponſus

ſus ejus, Quare idem alibi: Quamvis Romæ male agatur, nullam tamen cauſam tam gravem eſſe, aut futuram unquam, qua merito ſe quis ab illa ſeparare debeat: Imo quanto pejus Romana Eccleſia habet, tanto magis illi eſt occurrendum, & ſuccurrendum, eique magis inhærendum, nam diſceſſionibus nil profici, nec Chriſtum propter Diabolum deſeri debere. Hæc ille, & quidem ſententiæ Veterum valde conſentanee, qui docent: Propter paleam non relinquendam aream Domini: neque propter piſces malos rumpenda retia Domini: neque propter hœdos in fine ſegregandos, deſerendum gregem Domini: neque propter vaſa facta in contumeliam, migrandum de domo Domini. Quare ut juſta ſit cauſa reprehendendi ex officio multa quæ in hac Eccleſia cõmittuntur, nulla tamen juſta cauſa eſſe poteſt ab ea recedendi, & eam hoſtiliter inſectandi. Nam ſi dicant Præfectos hujus Eccleſiæ perſequi recte docentes & monentes, id & ſi verum eſſet, non tamen Eccleſiæ, ſed ejus gubernatoribus, quos aliquando hoſtes Dei eſſe contingit, tribui deberet. Nam (ut inquit Auguſt.) ſunt & intus hoſtes Dei, quorum pectora obſedit Spiritus Antichriſti, & tamen gerunt ſpiritualia & divina: multi quoque ſolo Sacramento ſacerdotes ſunt, ſicut fuit Pontifex Caiphas perſecutor unius & veriſſimi Sacerdotis, qui quamvis ipſi non ſint veraces, quod dant tamen verum eſt. Quare nec Prophetæ, nec Chriſtus, nec Apoſtoli ſocietatem populi Dei, in celebratione eorundem Sacramentorum deſeruerunt, tametſi ab impiis Pontificibus & perſecutoribus Eccleſia eo tempore fuerit adminiſtrata, & conſortio ſceleratorum hominum maculata, quam-

quamvis eorum vitia graviter redarguerint. Itaque clamando, & dissentiendo inde exibant, hoc enim est exire, hoc est, immundum non tangere. Quamobrem frustra objiciuntur à nonnullis non tolerandi errores, & immania scelera Romanorum Pontificum, & Episcoporum, ex quo consequens esse volunt, Ecclesiam Pontificiam, seu, ut appellant, Papisticam, non esse veram Ecclesiam Christi. Verum nil tam grave in Pontifices nostros dici potest, quod non in Pontifices, & sacerdotes Iudaici populi conveniat: quorum tamen improbitas non effecit, quo minus vere Dei populus esset, qui eorum gubernationi subjiciebantur. Adhæc quamvis illi, qui Pontificum errores & scelera sequuntur, viva Christi membra esse nequeant; possunt tamen in Ecclesia esse cum veris Christi membris, quemadmodum zizania cum tritico in eodem agro: & paleæ cum granis in eadem area. Item Pontificum, & ejus sectatorum vitia non impediunt, quo minus illi, qui eorum legitimam potestatem agnoscunt, & secundum eam recte jubentibus obtemperant, ad sanctam illam veræ Ecclesiæ communionem pertineant. Recte itaque aliquando Lutherus: Potestas (inquit) Ecclesiæ cum sit Christi potestas, licet pro nostris peccatis plerumque tradatur Pilatis, Herodibus, Annis, Caiphis, violentissimisque aliis Tyrannis: nostrum tamen est, eam summis semper studiis revereri & excolere, exemplo Christi. At dicent aliqui, se non exiisse, sed injuste repulsos fuisse: quod ut concedatur, non tamen vinculum pacis cum universa Christi Ecclesia erat abrumpendum: sed animo & voluntate unitatis studium retinendum: quemadmodum Cyprianus, cum se suosque

puam causam hujus calamitatis, & distractionis Ecclesiæ illis assignandam, qui inani quodam fastu Ecclesiasticæ potestatis inflati, recte & modeste admonentes, superbe & fastidiose contempserunt, & repulerunt. Quare nullam Ecclesiæ firmam pacem sperandam puto, nisi ab iis initium fiat, qui distractionis causam dederunt, hoc est, ut ii qui Ecclesiasticæ gubernationi præsunt, de nimio illo rigore aliquid remittant, & Ecclesiæ paci aliquid concedant, ac multorum piorum votis ac monitis obsequentes, manifestos abusus ad regulam divinarum literarum, & Veteris Ecclesiæ, à qua deflexerunt, corrigant. Deinde proximum erit, ut qui vitantes vitia longius in contrarium abrepti sunt, culpam quoque suam agnoscant, & ad sanitatem redeant.

De Pontifice Romano.

QVod autem ad unitatem hujus externæ Ecclesiæ requirunt obedientiam unius summi Rectoris, qui Petrum in regenda Christi Ecclesia, & ejus ovibus pascendis successerit, non est à consensu priscæ quoque Ecclesiæ alienum. Certe Ambrosius, sua ætate Episcopum Romanum totius Ecclesiæ Christi Rectorem vocat. Constat etiam olim, quatenus extat memoria Ecclesiæ, præcipuam semper auctoritatem in universa Christi Ecclesia Episcopo Romano, ut Petri successori, & ejus Cathedram obtinenti, delatam fuisse: quod innumeris testimoniis, & antiquissimorum & gravissimorum, tam ex Græcis quam Latinis, virorum abunde demonstrari potest, ut Irenæi, Tertulliani,

In princ. ad Tim. 3. ad illud, Vt scias quomodo oporteat te in domo Dei versari, Ecclesia Dei vivi.

tulliani, Optati, Hieronymi, Ambrosii, Basilii, Chrysostomi, Augustini: quibus & Historiæ Ecclesiasticæ, & Conciliorum Decreta consentiunt. Neque unquam credo controversia apud nos ea de re extitisset, nisi Pontifices Romani hac auctoritate ad dominationis quandam speciem abusi fuissent, eamque extra fines à Christo, & Ecclesia præscriptos, ambitionis & cupiditatis causa extulissent. Verum hic abusus Pontificiæ potestatis, quam adulatores initio ultra modum auxerunt, de ipsa Pontificis potestate, quam universali consensu totius Ecclesiæ obtinuerat, male sentiendi; imo ab ea prorsus deficiendi, occasionem dedit: quam putarem illam recuperari posse, si eam ad limites à Christo, & Veteri Ecclesia præscriptos revocaret, atque juxta Christi Euangelium, & majorum traditionem, ad Ecclesiæ tantum ædificationem uteretur. Quare initio de hac potestate satis modeste Lutherus sensit & scripsit, quamvis postea absurdissimis quorundam adulatorum scriptis offensus, & efferatus, in eam atrocius invectus sit. Sed qui Christianæ concordiæ studiosi erunt, & animo ab omni contentionis æstu abducto rem ipsam considerarint, libenter ad Ecclesiæ unitatem & pacem conservandam, eam potestatem agnoscent, quam illi perpetuus Ecclesiæ consensus tribuit.

In hoc quoque de Ecclesia articulo additur, non esse necesse ad Ecclesiæ unitatem, ubique similiter esse traditiones & Ceremonias ab hominibus institutas: quod certe fieri possit, si de particularibus ritibus, qui pro temporum & regionum diversitate variantur, intelligis, de quibus loquitur ad Casulanum Augustinus, cum ait: Sit ergo

una fides universæ, quæ ubique dilatatur, Ecclesiæ, etiamsi ipsa fidei unitas quibusdam diversis observationibus celebretur, quibus nullo modo, quod in fide verum est, impeditur. Quod brevius dicitur à Gregorio ad Leandrum: In una fide nil efficit Ecclesiæ sanctæ consuetudo diversa. Verum hoc meminisse oportet, eam fuisse perpetuam Ecclesiæ sententiam, & eos ritus & consuetudines, quæ antiquitus toto terrarum orbe servantur, inviolabiliter esse retinendas. Si quid (inquit Augustinus) horum per orbem frequentat Ecclesia, quin id ita sit faciendum, disputare insolentissimæ insaniæ est. De particularibus quoque observationibus, quæ jam longo usu inveterarunt, ita sentiunt, non eas pro cujusque libidine temere violandas, sed religiose pro more cujusque Ecclesiæ colendas & retinendas. De his Hieronymus ad Licinium: Traditiones (inquit) Ecclesiasticas, præsertim quæ fidei non officiunt, ita observandas, ut à majoribus traditæ sunt, nec aliorū consuetudinē aliorum contrario more subverti. Et Augustinus ad Ianuarium: Quod neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorū inter quos vivitur, societate servandum. Scribit quidem Augustinus, nimiam illam consuetudinem variarum consuetudinum oblata occasione resecandam esse, etiamsi fidei non videntur adversari, quia religionem quam Christus liberam esse voluit, servilibus oneribus premant: sed de iis loquitur, quæ pro Regionum & hominum moribus innumerabiliter variantur, ita ut plerunque ratio, cur observentur, non constet: non autem de iis, quæ in Concilio statuta universali, consuetudine sunt confirmata. Quod

si ita-

si itaque aliquibus in locis, ritus aliquot levioris momenti, quæ Religionis puritati officere videbantur, publico consilio tollantur, & novi aliquid instituatur, quod neque fidei neque moribus adversetur, sed habeat aliquid ad adhortationem vitæ melioris, non debet hoc merito unitari quicquam obesse: modo mutatio illa sine insigni perturbatione fieri possit, & conjunctio animorum per vinculum charitatis, & in summis fidei capitibus consensio, & in publicis ritibus universali consuetudine roboratis, concordia retineatur. At omnis insignis mutatio, tam particularium, quam universalium rituum, quæ ipsa Ecclesiæ pacem pene totam immuter, dissensionem quoque & distractionem animorum parere solet. Quare à temeraria novatione, utinam tam abstinuissent reliqui, quam Philipp. Melanchon ab ea sedulo dehortatur. Non tamen dubium est, certas quasdam traditiones, & constitutiones esse certis de causis, & pro tempore institutas, quæ, mutatis temporibus, & cessantibus causis, abrogari & tolli possint, imo & debeant, de quo Innocent. in Con. generali: Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quoque varientur humana, præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit. Porro hanc abrogationem humanarum seu positivarum (ut vocant) constitutionum fieri posse tradunt, vel per revocationem ejus qui legis condendi habuit potestatem, vel per consuetudinem oppositam. Nam constitutiones hujusmodi, ut moribus utentium approbantur; ita etiam moribus utentium in contrarium abrogantur, præsertim cum accedit consensus interpretativus, (ut vocant) atque hoc modo,

Ad Philippum Ducem Cattorum.

do, atque his de causis, multas constitutiones non
solum recentiores, sed etiam antiquiores, & Apo-
stolicas, paulatim exoleviſſe videmus; videlicet,
quia vel nunc usum habere desierant, causa legis
cessante: vel quia ex illarum omissione, quam
observatione, plus utilitatis Ecclesiæ accedere ju-
dicabatur: ut de Apostolica traditione suffocati,
& sanguinis, in Latinis præsertim Provinciis, pa-
tet. Item, de nocturnis vigiliis: de statis Baptis-
mi temporibus: de communione infantium. Quod
si demonstrari potest, aliqua his postremis tempo-
ribus, vel per imperitiam & negligentiam, vel et-
iam ambitionem & avaritiam instituta, & recepta
esse, quæ non modo utilitatem nullam, sed etiam
noxam Ecclesiæ adferant, ea quin primo quoque
oportuno tempore mutanda sint, negari non po-
test. Quare Bucerus confirmat, se in hac quæstio-
ne, De traditionibus, de hujusmodi tum novis,
& noxiis inventis, & institutis loqui: non de iis
quæ sancti Patres & Ecclesiæ auctoritas tradidit.

Quod autem in Apologia ajunt, de spirituali
unitate se loqui, ad quam nulla seu universalium
seu particularium rituum observatio conferat, ut-
ote quæ constet justitia fidei coram Deo; non sa-
s recte, & sibi ipsis consentanee loqui videntur.
imum enim de externa societate hic sermonem
beri manifestum est, à qua ne mali quidem a-
ni sunt, in qua sane societate necessarius est Sa-
mentorum usus, sine quibus tamen, si neces-
eorum usum prohibeat, interna illa, & Spiri-
lis unitas consistere potest. Item non video,
mo do illa, & interna societas consistere pos-
si publicam Ecclesiæ consuetudinem in obser-
one tam universalium quam particularium ri-
tuum

tuum violes, & condemnes, & institutis majorum pertinaciter repugnes: quod certe contra officium charitatis, qua maxime internam hanc unitatem consistere, certissimum est. Quod ajunt, se non levibus de causis adductos fuisse, ad hunc articulum ponendum, videlicet, & quod multæ stultæ opiniones de traditionibus irrepserint in Ecclesia, ut, quod cultus sint necessarii ad justitiam coram Deo; certe hæ causæ, non satis graves sunt, ad quasvis traditiones, quæ usum in Ecclesia habere possint, negligendas, & aspernandas: cum & de Sacramentis ipsis à Christo institutis falsæ opiniones oriri possint. Quod autem addunt, nonnullos tradidisse eos esse necessarios cultus ad promerendam justificationem coram Deo, nec ea causa, etiamsi vera esset, quicquam efficeret, cum aliquorum culpa non esset universitati Ecclesiæ imputanda. Quin & illud falsum esse existimo, aliquos docuisse externos illos ritus & Cæremonias esse cultus necessarios ad promerendam justificationem coram Deo, quam omnes in communicatione divinæ gratiæ, & remissione peccatorum constituunt, nec aliud istis ritibus tribuitur, quam quod eorum externa observatio de vero & interno cultu nos admoneat, & ad eam manu ducat, & si ex vera in Christum fide, & obedientia Ecclesiæ Christi, cui Christus obtemperari præcepit, eam apud Deum laudem habent, quam cætera pietatis opera. Id autem ingenue omnes confitentur, in iis fiduciam salutis non esse collocandam.

Art. VIII. *De Sacramentorum administratione.*

QVod in octavo articulo dicitur, de usu Sacramentorum, licere uti Sacramentis, quæ per malos ministrantur, totius Ecclesiæ confessioni consentanea sunt: atque hoc tantum hic considerandum est, in quos hanc virtutem divinitus sibi inditam sacramenta exerant. Est autem communis hæc Ecclesiæ hodieque sententia, adulto, ut digne & utiliter percipiat Sacramenta, opus esse fide, & pia quadam animi affectione: ut falsum appareat, quod illi impingitur, quod doceat Sacramenta prodesse sine fide, & bono motu utentis. Hoc interim tamen docent, ex virtute Sacramentorum, quam habent ex divina institutione & pacto, peculiarem quandam gratiam conferri recte utentibus, eamque ampliorem, quam ipsius utentis fides, & devotio mereatur. Item, Baptismum in infantibus rationis usu destitutis, conferre regenerationis gratiam, ex ipsa Sacramenti virtute, tametsi proprio fidei motu careant, quomodo de Circumcisione dixit Augustinus, ipsum per se Sacramentum in infantibus valuisse. Atque hoc est, quod Scholastici dicunt, Sacramenta conferre gratiam ex opere operato, hoc est ex virtute, quam ex Christi instituto, & pacto insitam habent, non ex opere operantis, hoc est, ex merito suscipientis vel administrantis. Quare longissime hic Protestantes ab universali Ecclesiæ intellectu, imo vero à communi sensu recesserunt, cum ad tuendam hanc propositionem: Non Sacramentum fidei, sed fides Sacramenti justificat

(quæ

(quæ propositio in adultis aliquo modo locum habere possit,) eam ad infantes etiam transtulerunt, quando infantibus dum baptizantur, proprium fidei motum tribuunt: cum Ecclesia illis propria fide destitutis, communem Ecclesiæ fidem, in cujus corpus recipiuntur, tribui & communicari doceat, quam per ora gestantium profitentur. Quapropter hic error omnino refellendus est, ut qui primus Anabaptistarum errori occasionem dederit: cum enim Lutherus assereret, satius esse non baptizare infantes, si verum sit, eos non credere, atque inde concluderet, rite baptizari parvulos, ideo vere illos credere: illi contra hunc in modum ratiocinati sunt: Atqui manifestum, eos non credere, non sunt igitur baptizandi.

Art. IX. *De Baptismo Infantium.*

QVi nono loco sequitur articulus, De Baptismo parvulorum, nil habet, quod merito improbetur. Nam quod asserunt, Baptismum ad salutem necessarium, & damnant eos, qui affirmant infantes sine Baptismo posse salvari, priscæ quoque Ecclesiæ judicio, & divinarum literarum verbis consentaneum est, quæ Baptismi gratiam, fide & voto Baptismi, si ejus consequendi facultas desit, obtineri & repræsentari posse censet. Quod etiam non pauci doctissimi viri his temporibus ad infantes transtulerunt, ut quemadmodum illis fides Ecclesiæ & offerentium, pro fide propria deputatur: ita voluntas, & votum consequendi Baptismi, ejusdem Ecclesiæ, & potissimum

De Confirmatione.

HVic Sacramento Baptiſmi conjunctum eſt alterum Sacramentum religioſiſſime ſemper in Eccleſia obſervatum, *(quod Confirmationis, Chriſmatis, Obſignationis, Sanctificationis Spiritus, & impoſitionis manuum nominibus deſignatur)* quod impoſitione manuum & conſignatione Chriſmatis, quo Spiritus ſancti donatio adminiſtratur, perfici, & per ſolos Epiſcopos adminiſtrari conſuevit, quemadmodum in Apoſtolica Eccleſia ſoli Apoſtoli, in quorum vices Epiſcopi ſucceſſerunt, baptizatis manus imponebant, ut ad eorum preces Spiritum ſanctum in donis viſibilibus acciperent. De hoc quoque diſſidium nullum futurum ſperem, ſi ab ipſis Epiſcopis ea qua decet gravitate adminiſtraretur, nam neque in conventu Ratisbonenſi de eo controverſum lego. De tempore quoque Confirmationis video bonis viris utriuſque partis non diſplicere, ſi ejus uſus ad ætatem paulo adultiorem differatur, quod quamvis præter antiquæ Eccleſiæ conſuetudinem ſit, (in qua ad Baptiſmum ſtatim, ſi fieri poterat, Confirmatio ſacri Chriſmatis accedebat) tamen exemplo non prorſus caret, nam & corporis & ſanguinis Dominici communio, haud ſecus utrique Baptiſmi, & Confirmationis Sacramento adjungebatur, quæ & ipſa corporis & ſanguinis Domini, ut illa Chriſmatis, confirmatio dicta ſunt, ad quam tamen Dominici corporis & ſanguinis confirmationem, nunc communi Eccleſiæ conſenſu, in Eccleſiis potiſſimum Latinis, non niſi adultiore ætate pueros admitti videmus. Quod quo minus in Confirmationis quoque Sacramen-

to obſervetur, nil prohibet: vel hanc certe ob cauſam, ut parentibus, ſuſceptoribus, & Eccleſiarum Præfectis occaſio detur, pueros de fide, quam in Baptiſmo profeſſi ſunt, diligentius inſtituendi, & admonendi. Hujuſmodi ſane inſtitutionem ſeu Catechiſmi explicationem in pueris fieri debere, & Veteres præcipiunt, & Recentiores quoque ex utraque parte conſentiunt. Vide Auguſtin. ſermon. 116, in ramis Palmarum, & Walafridum de lib. Eccleſiaſticis, c. 26. Item, quæ ſcripſit Ruardus Lovanienſis Tomo 2, ad illud Calvini ex Inſtitut. cap. 19. Et tamen non eſt Paſtoribus Eccleſiarum permittendum, ut nullam habeant rationem erudiendæ pueritiæ in vere pia doctrina, ſed exigendum eſt ab illis, ut Catechiſmum diligentiſſime doceant. Hæc (inquit Ruardus) admonitio ſancta eſt & pia, quam obſervari omnes deſideramus.

De Diſcrimine Baptiſmi Ioannis & Chriſti.

QVid inter Chriſti, & Ioannis Baptiſma interſit, hoc modo aliquando expoſuit Lutherus in diſputatione de Baptiſmate legis, Ioannis, & Chriſti, habita anno 1520, articul. 3: Baptiſma legis, membra, veſtes, vaſa lavabat, figurante ſpiritu externorum operum ſanctitatem, & legis velamen: Baptiſma Ioannis revelata facie legis, omnes peccato immergit, & avidos gratiæ facit, ut Baptiſma legis pœnitentiam non præſtabat, ſed magis deſperationem, donec ad Baptiſma Chriſti pertingebat. Videtur Chriſtus Ioannis Baptiſma non evacuaſſe, ſed addito verbo vitæ ſuæ ſeu promiſſionis perfeciſſe, ob quam cauſam baptizati à Ioanne,

Ioanne, denuo baptizandi fuerunt baptiſmate Chriſti. Hanc ſententiam vetuſtati ſatis conſentaneam ſequutus eſt initio Philipp. Melanchthon in locis communibus, ſed poſtea ſectatores Lutheri ab ea diſceſſerunt, & Ioannis & Chriſti Baptiſma, ſolo officio perſonarum, non autem ſubſtantia & virtute diſtinguenda eſſe, docuerunt. Atque hinc ab Anabaptiſtis in eas anguſtias coacti ſunt, ut locum illum Actorum 19, de duodecim Diſcipulis à Paulo baptizatis, variis, abſurdis & inter ſe pugnantibus interpretationibus dilacerare, ac per ſe clarum, & apertum obſcurare, & intricare coacti ſint: aliis Baptiſma Ioannis de tota doctrina, non de aquæ Baptiſmo, intelligentibus; per Synechdochen videlicet, quaſi totum in parte, ſine ipſa parte intelligi poſſit: aliis Baptiſma in nomine Chriſti, de ſolo Spiritus Baptiſmo, quod ſit impoſitione manuum, interpretantibus, cum alibi manifeſte Baptiſmus in nomine Ieſu, non niſi de aquæ Baptiſmo dicatur, quem Baptiſmus poſtea hic Spiritus, ſeu donatio Spiritus ſancti in donis viſibilibus, per impoſitionem manuum, ſequutus ſit: alii vero, cum illos bis aqua tinctos fuiſſe, negare non poſſe viderent, non vere Ioannis Baptiſmo, ſed à falſo aliquo Ioannis diſcipulo, prætextu nominis Ioannis, inani Baptiſmo baptizatos fuiſſe comminiſcuntur. Cum locus hic, ſi ex vetuſtatis ſententia de Baptiſmo Ioannis & Chriſti retineatur, pleniſſimus ſit. Quamvis enim iterum hi baptizati fuerint, non tamen iterum iterato Baptiſmo (ut loquitur Auguſtin.) non enim Baptiſma Ioannis, Chriſti Baptiſma fuit, ſed ut ante præcurſor Domini Ioannes: ſic & Baptiſma ejus prævium Dominici baptiſmatis fuit, ut inquit Hieronymus.

Art.

Art. X. *De Cœna Domini.*

HIc Articulus, qui est de Cœna Domini, seu de Sacramento corporis & sanguinis Christi, non uno modo in hac Confessione positus fuit; nam in prima editione Latina sic legitur: De Cœna Domini docent, quod corpus & sanguis Christi vere adsint, & distribuantur vescentibus in Cœna Domini; & improbant secus docentes: Germanica vero editio ita habet ad verbum conversa: De Cœna Domini sic docetur, quod verum corpus & sanguis Christi veraciter sub specie panis & vini in Cœna præsens sit, & ibi distribuatur & sumatur. In alia vero editione hoc modo: De Cœna Domini docent, quod cum pane & vino, vere exhibeantur corpus & sanguis Christi vescentibus in Cœna Domini. In Apologia vero his verbis, hic articulus exponitur: Docent quod in Cœna Domini, vere, & substantialiter adsint corpus & sanguis Christi, & vere exhibeantur cum illis rebus, quæ videntur, pane & vino, his qui sacramentum accipiunt, & hunc articulum, hoc modo propositum, non improbatum fuisse à Cæsar. Majestat. Apologia testatur. Quamvis autem, qui diversam à sectatoribus hujus Confessionis sententiam à Calvino instauratam tuentur, hæc cum sua sententia probe convenire contendant: utpote qua nullam carnalem, seu substantialem præsentiam corporis & sanguinis Christi cum symbolis panis & vini, (quæ pariter à malis & bonis percipiantur,) statui existimant: tamen in posterioribus suis scriptis satis aperte hujus Confessionis sectatores suam mentem explicarunt:

In articul. Smalcaldicis de Sacr. Altaris.

carunt: videlicet corpus & ſanguinem Chriſti in pane & vino ſumi, non fide tantum, ſed etiam ore corporis, tam ab indignis quam à dignis. Verum in omnibus his formis, quibus Auguſtana Confeſſio exprimitur, huic controverſiæ locus relinquitur: Sitne corpus, & ſanguis Chriſti præſens in ipſo tantummodo veſcendi uſu? Quod jam aperte ab omnibus docetur, & in Confeſſione Saxonica diſertis verbis exponitur. Docentur (inquiunt) homines Sacramenta eſſe actiones divinitus inſtitutas, & extra uſum inſtitutum res ipſas non habere rationem Sacramenti, ſed in uſu inſtituto, in hac Communionevere, & ſubſtantialiter adeſſe Chriſtum, & vere exhiberi ſumentibus corpus, & ſanguinem Chriſti: cum eccleſia non præſens modo, verum etiam antiqua & Catholica ſemper ſenſerit, & docuerit, hoc Sacramentum non in ſola actione & uſu conſiſtere; ſed poſt ipſam Conſecrationem, (quæ fit Dominicis verbis, & invocatione divini nominis) de panis & vini ſubſtantiis fieri corpus, & ſanguinem Domini, neque benedictionis virtutem amitti: etiamſi ad uſum, præſertim infirmorum, ſervetur: cujus rei plurima teſtimonia in promptu ſunt: ut eſt illud vulgatum Irenæi: Qui eſt à terra percipiens vocationem Dei, non jam communis panis eſt: ſed Euchariſtia, duabus rebus conſtans, terrena, & cœleſti. Et lib. 5. in præfatione. Quando ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia corporis, & ſanguinis Chriſti. Iuſtinus in Apolog. 2: Quemadmodum per verbum Dei incarnatus eſt Chriſtus Salvator noſter, & carnem & ſanguinem pro noſtra ſalute aſſumpſit: ita quoque cibum, ex quo ſanguis & caro noſtra

Sentimus quod panis & vinum in Cœna ſit verum corpus & ſanguis Chriſti, & non ſolum porrigitur & ſumitur à bonis, verum etiam à malis Chriſtianis.

Lib. 4. c. 34.

noſtra permutationem aluntur, cum per preces verbi ab ipſo benedictus fuerit, ipſius incarnati Ieſu carnem, & ſanguinem didicimus eſſe. Ambroſius de his qui initiantur myſteriis, c. 9: Ipſe clamat Dominus Ieſus, Hoc eſt corpus meum, ante benedictionem verborum cæleſtium, alia ſpecies nominatur, poſt conſecrationem, corpus Chriſti ſignificatur. Ipſe dicit ſanguinem ſuum, ante conſecrationem aliud dicitur, poſt conſecrationem ſanguis nominatur, & tu dicis Amen, hoc eſt, verum eſt. Quod os loquitur, mens interna fateatur, quod fermo ſonat, affectus ſentiat. Auguſtinus libro ſententiarum Proſperi: Nec ſimiliter comprehendimus has duas ſpecies, quemadmodum ante conſecrationem comprehendebamus, cum fideliter fateamur, ante conſecrationem, panem eſſe, & vinum, quod natura formavit: poſt conſecrationem vero, carnem Chriſti, & ſanguinem, quod benedictio conſecravit. Cyrillus ad Coloſſyrium: Nec dubites, an hoc verum ſit, eo manifeſte dicente: Hoc eſt corpus meum, &c. Inſaniunt ergo dicentes, myſticam benedictionem à ſanctificatione ceſſare, ſi quæ reliquiæ remanſerint in diem ſubſequentem, non enim mutabitur Sacroſanctum corpus Chriſti: ſed virtus benedictionis, & vivificativa gratia jugis in ipſo eſt. Hunc conſenſum Catholicæ Eccleſiæ, de præſentia corporis & ſanguinis Chriſti, primarii Euangelicæ diſciplinæ Profeſſores aperte aliquando profeſſi ſunt. Luther. in ſermone de Sacramento, adverſus fanaticos ſpiritus, vulgò Schwermgeyſtern / Quando (inquit) nos verba illa loquimur ſupra panem & vinum, adeſt ibi vere ejus corpus, & ſanguis, eſt tamen ſimplex verbum

bum & vox. Item Brentius in syngrammate, Verbum (inquit) ad panem fert id quod in se continet, continet autem verum corpus Christi corporale, proinde fert & corpus ad panem. Ibidem, Proinde (inquit) si verbum corpus & sanguinem nobis præsens offerat, quid prohibet, cur non ad panem referat, quod in se continet, quando verbum, Hoc est corpus meum, ad panem dirigatur? Philippus quoque Melanchthon in Epistola ad Palatinum, & Granguellam in Comitiis Ratisbonæ, Perspicue, (inquit) testati sumus, nos amplecti & tueri omnem consensum Catholicæ Ecclesiæ, quod in Cœna Domini, consecrato pane & vino, vere & realiter adsint, & sumantur corpus, & sanguis Christi. Hæc quidem illi. Quam sententiam nonnulli ex iis, hodie superstites. extreme detestantur, & Papisticæ magiæ attribuunt. Hoc tamen rursum concedendum est: Quamvis hoc Sacramentum Eucharistiæ, ratione præsentiæ corporis & sanguinis Christi, ex ipsa consecratione, verum Sacramentum corporis, & sanguinis Christi efficiatur, tamen si virtutem, & efficaciam spectes, qua Christo unimur & incorporamur, hoc Sacramentum, ut reliqua Sacramenta, in ipso usu, & actione (quæ est sumptio seu manducatio & potio,) perfici, quę externa sumptio, Sacramentum est internæ & spiritualis manducationis & potionis corporis & sanguinis Christi, qua fit ut Christo uniamur & incorporemur. Hoc idem à Theologis quibusdam Scholasticis asseritur. Atque hac ratione à veteribus quoque hoc Sacramentum nominibus actionem significantibus appellatur, ut sunt: Synaxis, Communicatio, Perceptio Corporis, & Sanguinis Domini.

Vide Henricum de Gorghem de effect. Missa propos. 5.

De

De Transubstantiatione.

DE transubstantiatione vero si cui hæc vox nova, insolens videatur, certe inficiari non poterit, apud vetustissimos & gravissimos Ecclesiæ Scriptores, voces (Conversionis, transmutationis, transformationis, transelementationis) passim reperiri. Quamvis autem de modo hujus conversionis variæ extent sententiæ, tamen omnes in hoc caput conveniunt, ut intelligant talem mutationem fieri, qua (qui ante terrestris tantum & communis panis erat) Dominicis verbis, & invocatione divini nominis, virtute & operatione divina consecratur & efficitur Eucharistia & Sacramentum veri corporis, & sanguinis Christi, visibili quidem modo ad Patris dextram sedentis, sed invisibili, & incomprehensibili modo hic corpore & sanguine suo præsentis, continetur & exhibetur in cibum & potum spiritualem ad salutem, & immortalitatem eorum, qui eo cibo & potu digne vescuntur. Hanc autem carnem, & sanguinem Christi in Sacramento Eucharistiæ pariter à bonis, & malis manducari, & bibi: sed modo & fine seu effectu diverso, ab his ad judicium & mortem, & ab illis ad salutem, & vitam: à solis vero bonis, vere, hoc est, utiliter, & salubriter manducari & bibi corpus & sanguinem Christi, ut qui soli in Christo maneant & Christus in ipsis. Hanc breviter comprehensam totius antiquitatis sententiam esse puto, atque utinam id effici possit, ut hujusmodi explicatione contenti, à supervacaneis, & ad fidei ac pietatis nihil pertinentibus quæstionibus abstineamus, atque in hac veteris Ecclesiæ sen-

ſententia, omiſſis odioſis rixis, quæ exortæ ſunt, acquieſcamus, quod ſane niſi fiat, nullum rixarum, & diſſidiorum, de hoc Sacramento unitatis, finem video, nam ut Anabaptiſticam, & Zwenckfeldianam, item Helveticam ſententiam omittamus, quæ & ipſa in Carolloſtadianam, Zwinglianam, Calvinianam & Laſcanam quodammodo diviſa eſt, ipſi Saxonicarum Eccleſiarum diſcipuli, & Lutheri ſectatores, in tres diverſas & inter ſe pugnantes ſententias ſunt diſtracti, qui tamen omnes ex Luthero originem ducunt, & ex ejus ſcriptis cauſæ ſuæ præſidium petunt.

Luther. in Captiv. Babylon. Credo firmiter, non modo, corpus Chriſti eſſe in Cœna, ſed Panem eſſe corpus Chriſti. In Confeſſione majori: Omnino confitendum eſt, quod qui hunc Panem manducat, & morſu frangit, illud ipſum manducat, & morſu frangit, quod verum, & ipſiſſimum Chriſti corpus eſt. Ibidem: Non equidem multum contendo, an panis ſubſtantia maneat vel minus, quamvis Panem manere cum Vvielepho, è contra cum Sophiſtis quoque ſentio, quod & Chriſti corpus præſens adſit, & quod duæ diſtinctæ ſubſtantiæ una ſubſtantiæ eſſe poſſent. Nicolaus Gallus Conc. & Philippus Melanchthon, ad Comitem Palatin. Aſſerimus, & confitemur, cum Chriſto Domino, corpus Chriſti non modo eſſe in, cum, ſub Pane, ſed quod panis ſit corpus Chriſti ipſum. Itaque unam cum ipſo prædicatione identica.

Nam quidam hanc enunciationem: Panis eſt corpus Chriſti, identicam eſſe, & panem eſſentialiter eſſe corpus Chriſti contendunt, idque ſimpliciter, & citra ullum tropum. Quæ quidem prima fuit Lutheri explicatio, quam Zwinglius oppugnavit, & ejus ſectatores hodie oppugnant, atque ex ea, vel Papiſticam (ut appellant) tranſubſtantiationem (quam tamen ejus locutionis auctores non

agnoſcunt) vel abſurdum conſequi demonſtrant, nempe, panem pro nobis eſſe crucifixum. Item, interpres decretorum ex eo ſermone, quo ſimpliciter panis corpus Chriſti eſſe aſſeritur, hoc abſurdum colligit. Si (inquit) panis eſt corpus Chriſti, ergo aliquid quod non eſt natum de virgine, & ſic aliquid inanimatum eſt corpus Chriſti, ergo eſt animatum, & inanimatum, ergo non ſolum de virgine habuit originem. Ait quidem Irenæus, Panem, in quo gratiæ actæ ſunt, corpus eſſe Domini, ſed is hac circumloquutione Euchariſtiam totam intelligit, duabus rebus conſtantem, terrena, & cœleſti. Auguſt. ſermone ad Infantes, panem dicit corpus Chriſti, ſed (ut ita loquar) intellectualiter, reſpectu videlicet intellectus, quo, in pane, qui exterius videtur, interius corpus Chriſti eſſe creditur. Si quando vero à Patribus hæc loquendi forma uſurpetur, ut dicant, Panem eſſe corpus Domini, agnoſcunt recentiores quoque Eccleſiaſtici ſcriptores, eam eſſe figuratam, ut qua ſignum rei ſignatæ, ſed præſentis nomine, denotetur. Scholaſtici quoque hanc enunciationem, Panis eſt corpus Chriſti, eo modo loquendi intelligunt, quo res in aliud commutata, prioris ſubſtantiæ nomen retinet, ut: Aqua eſt vinum, Virga eſt ſerpens. Accedit tamen horum ſententia quam proxime ad palinodiam Berengarii poſteriorem, in qua confitetur, panem, & vinum, poſt conſecrationem eſſe verum Chriſti corpus, quod natum eſt de Virgine, &c. & verum ſanguinem, qui de latere ejus effuſus eſt, non tantum per ſignum & virtutem Sacramenti, ſed etiam in proprietate naturæ, & veritate ſubſtantiæ. Quam ſententiam in priore Confeſſione expreſſit his verbis: Panem & vi-

In Cap. Quia corpus, de conſec. diſt. 2.

& vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem, non solum Sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi esse, & sensualiter non solum Sacramentum, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri. Quæ verba quamvis à Luthero alicubi probentur; tamen prudenter vidit & monuit auctor Glossæ in lib. Decret. Hæc verba nisi sane intelligas, in majorem incides hæresim, quam ipse Berengarius habuit. Alii vero novam quandam, & inauditam præsentiam corporis, & sanguinis Christi in pane & vino Dominicæ Cœnæ commenti sunt, quam ex Majestate humanæ in Christo naturæ, à divina natura sibi communicata, petendam esse acerrime contendunt. Affirmant enim corpus Christi, virtute unionis, & sessionis ad dexteram Patris, haud aliter, atque ipsam Divinitatem, cui unita est, esse ubique, atque eam ob rem in Cœna Dominica nullam novam præsentiam effici, sed quod ante præsens erat, sumendum atque fruendum donari. Exempla adferunt de puero in cunis, vino in cantharo, pecunia in marsupio, hordeo in sacco, ideoque propositionem hanc, (Hoc est corpus meum) idem valere cum hac, (Panis est corpus meum) prorsus negant, videlicet ne figuratam locutionem admittere cogantur, imo eam in divinis literis nusquam reperiri asserunt, atque adeo falsam & absurdam esse, nisi commoda interpretatione sublevetur, cū hæc, (Hoc est corpus meum) simplex, & aperta sit, neque tropi alicujus subsidio indigeat. Quamvis iidem illi aliquando contrariū docuerint, & hunc loquendi modum, (Panis est corpus Christi) ut qui Christi verba (Hoc est corpus meum) declaret,

usurpaverint, & in iis Synechdochen agnoverint. Imo sunt inter istos, qui cum hanc expositionem verborum Christi, (Hic panis est corpus Christi) veram esse censeant, atque inusitatam eam prædicationem admittant; non tamen in eo genere loquendi tropum esse agnoscunt, quamvis tropi similitudinem habeat, itaque hoc genus docendi non τροπικὸν sed τροπικῶδες vocant. Porro illi assertores hujus majestatis, & ubiquitatis humanæ in Christo naturæ, usque adeo eam ad constituendam in Cœna Dominica corporis & sanguinis Domini præsentiam, necessariam esse asserunt, ut qui eam negent, aut magici Papistæ (qui certo murmure verborum se Christi corpus è cœlo elicere putant) aut impii Zwingliani (qui non corporis, sed divinitatis tantum præsentiam credunt) habendi sunt, eoque suo decreto, magnam partem eorum, qui cum ipsis Augusti. Confess. profitentur, condemnant, & à sua societate repellunt, atque hæc quoque opinio ex Luthero patrocinium quærit. *Lutherus in defensione τῦ ἐνὸς. Verbum Cœnæ, Christi corpus sedet ad dexteram patris: Dextera autem Dei est ubique locorum, ergo certissime etiam in Pane & vino immensa dextera Dei præsto est. Porro ubi dextera Dei est, ibi oportet quoque Corpus & sanguinem Christi esse. Idem in sermone de Sacramento Cœnæ Dominicæ, contra fanaticos: Credimus, quod Iesus Christus sit, juxta humanitatem, super omnes creaturas collocatus, & omnia impleat, quemadmodum Paulus ad Ephesios scribit: Et quod Christus sit Dominus omnium rerum, non tantum secundum divinitatem, sed etiam secundum humanitatem, & habeat omnia in sua manu, & sit ubique præsens. Paulus Eberus in assertione de Cœna Domini. Vide Guilhelm. Parisiensem parte 2, de Sacramento Eucharistiæ.*

Tertia sententia est eorum, qui singularem præsen-

ſentiam corporis, & ſanguinis Chriſti in Cœna ſtatuunt, totamque rationem facti, ad voluntatem, & potentiam facientis, hoc eſt, omnipotentis Dei referunt. Cum enim perſona Chriſti vere Deus ſit, & infinitæ eſſentiæ & potentiæ, nil eſſe abſurdi, ſi credamus eum corpus ſuum & ſanguinem, omnibus in locis, ubi myſterium hoc ex ipſius inſtituto peragitur juxta ſuum Verbum, incomprehenſibili modo, præſens cum ſacris ſymbolis ſiſtere, & exhibere. Hi genus hoc loquendi (Panis eſt corpus Chriſti) non rejiciunt, imo Chriſti verba hoc modo intelligenda eſſe conſtanter aſſerunt, idque declarare hæc verba Pauli: Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Chriſti eſt? &c. Non tamen identicam prædicationem aſſerunt, neque in ea locutione tropum prorſus aſpernantur, modo is tropus præſentiam veræ carnis Chriſti non tollat, quam plerique Synechdochen vocant, qua ex parte totum intelligitur, quamvis alii inuſitatam prædicationem malint, itaque hanc propoſitionem (Panis eſt corpus Chriſti) hujuſmodi interpretatione explicant, ut per eam intelligatur in pane, & cum pane, eſſe corpus Chriſti, quæ loquendi forma apud Veteres quoque reperitur, atque iidem iſti Vbiquitatis quæſtionem rejiciunt, eamque ad hanc quæſtionem nil pertinere affirmant, atque adeo quidam ex illis, illam Vbiquitatem humanæ naturæ in Chriſto, ſeu corporis Chriſti, graviſſimi erroris condemnant, ut quam naturarum confuſio, vel divinitatis diviſio conſequatur. Paulus Eberus de Cœna Domini: Sequitur haud dubie, nequaquam humanam naturam ita exæquari divinæ naturæ debere omnium illarum proprietatum attributione,

Nicolaus Hemmingius in Danis. in ſuo Catechiſmo Interr. Quid cenſes de illis, qui dicunt humanitatem Chriſti eſſe ubique, cum in divinitates Reſpitem ut

errorem eorum vitent, qui negant nos vere corpus seu sanguinē Christi participare in Cœna, incidunt in hunc horribilem errorem, ut dicant humanitatem Christi esse ubique cum divinitate.

ne, quæ divinæ naturæ soli conveniunt, ut dicatur humanam naturam in Christo, seu carnem Christi seu corpus Christi esse infinitæ essentiæ, ubique omnia implere. Atque hi etiam sententiam suam apertis Lutheri scriptis confirmant. Lutherus Tom. 8. Ienens.: Quod ad corpus attinet Christi, quando tantum vult, potest esse ubique, vel in omnibus locis, quare alia est ratio sui corporis, & nostri. & de Vbiquitate non est disputandum, in hac controversia, longe alia res est, &c. Idem in Confession. major. dicit se in controversia Sacramentaria non velle cum quoquam contendere de Vbiquitate, in quibus diserte ait, Vbiquitatis quæstionem, ad hanc controversiam non pertinere. Hæc sane sententia quam proxime ad antiquum, & Catholicam Ecclesiæ Christi consensum accedit: nam non veteres modo, sed etiam recentes hanc præsentiam corporis Christi ad voluntatem, & potentiam instituentis referendam docent, quod (videlicet) divina natura seu Spiritus, qui carnem sibi unitam vivificam efficit, omnipotenti sua virtute, eam carnem eumque sanguinem non quidem sibi exæquat, ut ubicunque sit natura divina, ibi quoque carnem seu humanam naturam esse necesse sit: sed ubicunque vult, juxta Christi ipsius veri Dei, & hominis institutionem & promissionem, præsentem eam Ecclesiæ suæ exhibere. Neque etiam eum loquendi modum aspernantur, ut dicatur, panis seu forma panis, esse corpus Christi, eumque figuratum esse non inficiantur, eo videlicet genere loquendi, quo signum rei signatæ nomen accipit, non modo absentis, sed præsentis rei signum intelligatur, quomodo sanguis dicitur, esse anima, quod in sanguine

ne anima sit, itaque sanguis signum sit præsentis animæ. Hoc autem in hac tertia sententia potissimum requiritur, ut addatur, hanc carnem & sanguinem cum sacris symbolis præsentia esse, non modo in ipso usu, hoc est, manducatione, & potione, sed in ipsa mystica benedictione, cum per verbum Christi, & invocationem divini nominis, terrena elementa benedicuntur & sanctificantur, & in corpus & sanguinem Christi, mystico & ineffabili modo, transferuntur, atque hanc virtutem mysticæ benedictionis, qua Christi corpus præsens efficitur, non mutari, tametsi symbola ipsa ad legitimum usum ad tempus asserventur, neque ipso abusu, si quis admittatur, id effici, ut Sacramentum non sit, & verum Christi corpus, sed ut indigne tractetur, haud aliter atque cum ab indignis sumitur, neque enim abusus rei substantiam tollit. Quamvis autem inter hanc primam opinionem, si commoda interpretatio accedat, haud ita multum intersit, cum utraque certam definitamque corporis Christi in sacris symbolis præsentiam statuat; media tamen hæc non modo cum his, sed cum antiquorum omnium, & recentium pene sententia pugnat, sunt enim hæc prorsus contradicentia: Corpus & sanguinem Christi præsentia esse in S. Cœna, etiamsi extra eam ubique præsentia non sint. Et, corpus & sanguinem Christi non aliter esse præsentia in S. Cœna, quam quia ubique etiam extra S. Cœnam præsentia sint.

Art. XI. *De Confessione.*

IN undecimo Articulo hoc novum est, quod Confessionem à Sacramento Pœnitentiæ sepa-

rant, cum eam Eccleſiaſtici conſtanter inter Pœnitentiæ partes numerent, quum autem docent abſolutionem privatam, quæ fit in privata Confeſſione, retinendam, merito probatur. Atque quod ſubjiciunt, enumerationem omnium delictorum non eſſe neceſſariam, quadam ex parte recte habet, videlicet, ſi intelligatur de ignotis, & non occurrentibus peccatis, item ſi intelligatur de nimis anxia inquiſitione omnium circumſtantiarum, quæ in multis conſcientiæ carnificinam gignit, quam nemo moderatus approbat, verum ſi referatur ad eam enumerationem peccatorum, qua graviora omnia peccata diligenter expenduntur, & tanquam ſpiritualia vulnera ſpirituali medico revelantur, de ea quoque retinenda dubitandum non eſt, & Proteſtantes in ſuis articulis ad librum propoſitum hujuſmodi enumerationem non aſpernantur: quia (inquiunt) multi, propter ambiguos caſus opus habent conſilio, ideo hortandi ſunt homines, ut addant enumerationem, ut juvari conſilio, aut excitari magis ad pœnitentiam, & de multis rebus admoneri poſſint. Extant quoque Veterum teſtimonia, quæ hujuſmodi enumerationem etiam occultorum criminum probent, ut eſt
Homil. 17 illud Originis in Lucam: Vnde & nos, ſi peccaverimus, debemus dicere: Peccatum meum notum feci tibi, & iniquitatem meam non abſcondi, dixi, annunciabo injuſtitiam meam contra me Domine: ſi enim hoc fecerimus, & revelaverimus peccata noſtra non ſolum Deo, ſed & his qui poſſunt mederi vulneribus noſtris atque peccatis, delebuntur peccata noſtra ab eo, qui dixit: Ecce delebo ut nubem iniquitates tuas, & ſicut caliginem peccata tua. Idem in Pſal. 31, Fortaſſis (inquit)

quit) ſicut hi qui habent incluſam intus eſcam indigeſtam aut humoris aut phlegmatis, ſtomacho graviter & moleſte convenientia, ſi vomuerint, relevantur, ita etiam ſi qui peccaverunt, ſiquidem retinent in ſe peccatum, intrinſecus urgentur, & propemodum ſuffocantur à phlegmate vel humore peccati: ſi autem ipſe ſui accuſator fiat, dum accuſat ſemetipſum & confitetur, ſimul evomit & delicta, atque omnem morbi digerit cauſam. Notum eſt illud Hieronymi in Eccleſiaſtic. Si quem ſerpens diabolus occulte momorderit, & nullo eum conſcio peccati veneno infecerit, ſi tacuerit qui percuſſus eſt, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus ſuum fratri, & magiſtro voluerit confiteri; magiſtèr, qui linguam habet ad curandum, facile ei prodeſſe non poterit. Si enim erubeſcat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina, non curat. Equidem credo de hac re controverſiam nullam fuiſſe futuram, ſi non ſalutaris hæc confitendi medicina ab imperitis & importunis medicis, multis inutilibus traditiunculis infecta, & contaminata fuiſſet, quibus conſcientiis, quas extricare, & levare debebant, laqueos injecerunt, & tanquam tormentis quibuſdam excarnificarunt. Quapropter huic rei occurretur, ſi pii tantum, & prudentes viri huic utiliſſimo, & ſanctiſſimo audiendæ Confeſſionis, & abſolutionis impertiendæ miniſterio præficiantur, qui hominum conſcientias perite tractare poſſint, quorum dexteritate facile fiet, ut Confeſſio, quæ hactenus multis oneroſa & moleſta viſa eſt, ut plena ſpiritualis conſolationis ab omnibus ultro expetatur. cap. 10.

Vide Hoſtienſem in ſumma de pœnitentia & remiſſione, ubi inter cauſas pœnitentiæ ponit ſpem. quæ à fiducia aliena non eſt, eamve triplicem: veniæ, gratiæ, & gloriæ, adfertque ad eam rem præclara ex Eccleſiaſticis ſcriptoribus teſtimonia, ut eſt illud ex Auguſtino: Merito ſpes valida mihi in Chriſto eſt, quod ſanabis omnes languores meos, per eum, qui ſedet ad dexteram tuam, & interpellat pro nobis, alioqui deſperarem, multi enim & magni ſunt languores mei, multi ſunt, ſed amplior eſt miſericordia tua. Item: Ille tuus Vnicus redemit me ſanguine ſuo, non calumnientur me ſuperbi, quoniam cogitabo precium meum. Item ex Bernardo: Peccavi peccatum grande, turbatur conſcientia, ſed non perturbatur, vulnerum enim Domini recordabor. Ex eodem: Quid tamen ad mortem, quod non Chriſti morte ſolvatur? Quid? quod Scholaſtici in juſtificatione motum requirunt: alterum in peccatum per contritionem ſeu deteſtationem: alterum in Deum per fidem, qua divinæ vocationi aſſentimur & obedimus, quo apti, & diſpoſiti reddamur ad juſtificationis gratiam conſequendam, ad quem liberum arbitrium non proprie cooperetur, ſed obediat ad conſenſum: quia gratia non datur, niſi volenti, & aſſentienti. In hac autem contritione, duo potiſſimum errores, falſo impinguntur præſenti Eccleſiæ, unus eſt, oportere contritionem eſſe ſufficientem: alter, contritionem mereri remiſſionem peccatorum. Quod priorem partem attinet, docent Scholaſtici, (quibus potiſſimum hic error tribuitur,) dolorem in contritione eſſe duplicem: alterum eſſe dolorem ſenſus, qui qualiſcunque ſufficiat, cum non ſit in noſtra poteſtate; alte-

Bonavēt. in 4, Diſt. Quæſt. 1. Alexand. de Hales in 4, Quæſt. 68 art. 3.

alterum esse dolorem intellectus seu rationis, qui est displicentia & detestatio peccati, propter offensam, quam hactenus oporteat esse maximam, quod sit de admissione majoris mali, & de amissione majoris boni. Recte autem monent, non debere hominem se tentare super his, & confessionem nec privatim nec publicè debere simplicibus tendere laqueos tentationis: sed hoc tantum à pœnitente requirendum esse, si pœniteat, & si dolor ejus insufficiens sit, an vellet dolorem sufficientem habere, & si non habeat, hoc ipsum sibi displicere, & hoc ipsum sufficere, juxta illud: Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas, & secundum illud: Adjuva Domine incredulitatem meam. De posteriore parte constanter negant etiam hodierni scriptores, doceri in Ecclesia contritionem mereri remissionē peccatorum, cum constanter omnes doceant, remissionem peccatorum nullis hominum meritis obtineri, sed gratis conferri propter unicum meritum Christi. De qua re, idem ille Hostiensis: Non tamen intelligas (inquit) quod ipsa contritio peccata dimittat: sed in ipsa contritione, gratia Dei donat omnia liberaliter. Vnde Ambrosius: Verbum, id est, Filius Dei tollit peccata: & Augustinus: Nemo tollit peccata, nisi solus Christus, qui est agnus tollens peccata mundi. Hæc Hostiensis.

Petrus de Palude in 4. Dist. 17. Quæst 10.

De Confessione.

DE Confessione, quæ altera Pœnitentiæ Sacramentalis pars communiter in Ecclesia ponitur, superiori articulo dictum est: restat tertia pars,

pars. Nam, ut pulchre inquit Paulinus in vita Ambrosii, Pœnitenti non sufficit sola Confessio, nisi subsequatur emendatio facti, ut pœnitens non faciat pœnitenda, humiliet animam suam sicut David sanctus, qui postquam à Propheta audivit: Dimissum est peccatum tuum: humilior factus est in emendatione peccati, ita ut cinerem tanquam panem manducaret, & potum suum cum fletu misceret. De hac satisfactione non tantus erit conquerendi locus, si ex Ecclesiæ sententia hunc in modum doceatur, quod sola passio & mors unigeniti Filii Dei sit satisfactio, & propitiatio pro peccatis nostris, sive eo, quod ex origine contraximus, sive iis, quæ ante vel post regenerationem ex carnis infirmitate commisimus, quæ satisfactio offertur, & applicatur nobis ministerio Euangelii, id est, verbi & Sacramentorum: accipitur autem fide, quæ & ipsa Dei donum est. Quamvis autem virtute hujus satisfactionis Christi, & culpa & pœna æterna peccato debita deleatur, certum est tamen, Deum à pœnitentibus, ob graviora præsertim delicta, lachrymas, jejunia, preces, eleemosynas, & reliqua veræ pœnitentis animi indicia, ac denique totius vitæ in melius immutationem, ac emendationem requirere, quod cum facimus, Deo satisfacere pro peccato dicimur, non quod precium dignum & sufficiens diluendis peccatis offeramus: sed quod officia illa præstemus, quæ Deus à peccatore, cui Filii sui satisfactionem impartiri velit, requirit. Quin & hujusmodi Pœnitentiæ fructibus seu satisfactionis operibus Deus placari, peccata redimi, & extingui dicuntur: tum quia ex motu, & afflatu Spiritus sancti fiant, ad impetrandam remissionem

pec-

peccati faciant, & pœnas, quas afflicturus erat Deus, avertant, & peccati inhærentis reliquias extenuent, ac minuant, videlicet qua ratione eleemosynis dicuntur redimi peccata, ac jejuniis, ac precibus Deus placari. Hujusmodi autem actiones, quibus Dei voluntati satisfacere dicimur, duplices sunt, aut sponte assumptæ, aut ab Ecclesiæ Præfecto injunctæ, quæ proprie ad pœnitentiæ Sacramentum pertinent, & rursus duplices sunt: aut publice, pro publicis, aut occulte pro occultis peccatis susceptæ. Quapropter in veteri Ecclesia, ut segniores excitarentur, pœnitentibus ob graviora scelera, certa tempora & officia definita fuerunt, quibus non solum coram Deo interiorem animi pœnitentiam excitarent, & exercerent: sed etiam Ecclesiæ, vere se atque ex animo peccati pœnitere, declararent, atque ita manus impositione Episcopi & Cleri Ecclesiæ reconciliarentur, & jus communicationis acciperent. Atque hæc præscripta officia, Canonicæ satisfactiones seu pœnæ vocabantur, quæ ut paulatim imperitia Episcoporum & Pastorum in abusum: ita quoque negligentia, & segnitie tam Pastorum quam populi prorsus in desuetudinem venerunt, nisi quod in privatis Confessionibus, aliqua ejus rei vestigia remanserint, cum pœnitenti aliqua pietatis opera, sed privatim, indicuntur, publicæ vero satisfactionis obscurum tantum vestigium in homicidis reconciliandis aliquibus in locis relictum est, quem tamen publicæ satisfactionis priscum & Apostolicum morem, ob publica & graviora peccata, restitui, utile, ac propemodum necessarium sit, in quo potestas Ecclesiastica clavium in ligando & solvendo, id est, pœnitentiam indicendo,

cendo, à communione ſeparando, & rurſum indulgendo, abſolvendo, ſeu reconciliando, manifeſtiſſime cerneretur. Neque vero, ea fuit mens veterum, ut remiſſionem peccati, quæ fit à Deo, ad præſcriptum hujus temporis ſpacium alligarent, ſed ut hac diſciplina Eccleſiaſtica, homines ad pœnitentiæ dignos fructus faciendos admonerentur, & Eccleſiæ auctoritas, in miniſterio remittendi peccata, retineretur. Ita enim Auguſtinus: In actione Pœnitentiæ, ubi tale crimen commiſſum eſt, ut qui commiſit, à Chriſti corpore ſeparetur, non tam conſideranda eſt menſura temporis quam doloris, cor enim contritum, & humiliatum Deus non deſpiciet. Verum quia plerumque dolor alterius cordis occultus eſt, nec ad aliorum notitiam per verba aut alia ſigna procedit, cùm ſit coram illo, cui dicitur: Gemitus meus non eſt abſconditus abs te; recte conſtituuntur ab iis, qui Eccleſiis præſunt, tempora pœnitentiæ, ut ſatisfiat etiam Eccleſiæ, in qua remittuntur ipſa peccata: extra eam quippe non remittuntur. Hoc autem intereſt inter actionem pœnitentiæ, ſeu exomologeſin veteribus uſitatam, & eam quæ nunc uſu recepta eſt, quod olim, niſi his operibus, ab Eccleſiæ Præfecto injunctis rite peractis, abſolutio & reconciliatio & communionis jus, per manus impoſitionem non concedebatur, ut ex multis Tertulliani, & Cypriani locis conſtat. Itaque actiones illæ pœnitentiæ, cum ex fide, & animo vere dolente, & afflatu Spiritus ſancti, auxilio gratiæ divinæ hominis animum prævenientis fierent, ad remiſſionem quoque peccati impetrandam, & Dei offenſam placandam valere putabantur: non quod eam dignitate ſua meren-

De modo Pœnitentiæ, & in Enchirid. c. 5.

rentur, sed quod iis animus hominis ad gratiæ divinæ susceptionem præpararetur, quo modo de operibus præparatoriis supra dictum est. Hodie vero, statim à facta confessione, manus pœnitenti imponitur, & ad communionis jus admittitur, & post absolutionem, opera aliqua pietatis, quæ ad carnis castigationem, & reliquiarum peccati expurgationem faciant, injunguntur. Quod ipsum utiliter fieri potest, si periti Ecclesiæ ministri opera adhibeatur: de quo satisfactionis genere Scholastici constanter docuere eam non rite fieri, nisi gratiam & remissionem culpæ ac pœnæ æternæ consequatur, quæ remissio fiat solo merito Christi, & ministerio sacerdotis, eamque satisfactionem potissimum valere ad pœnas temporarias mitigandas, & reliquias peccati, ut diximus, expurgandas. Vnde est illud Scholasticorum axioma: Nulla est satisfactio, nisi præcesserit condonatio. De hoc satisfactionis genere aliquando non incommode scripsit Lutherus art. 5 assertionum: Ecclesia mater pio affectu præventura manum Dei, castigat filios suos satisfactionibus quibusdam, ne incurrant flagella Dei, sicut Ninivitæ operibus suis spontaneis prævenerunt manum Dei. Porro si quis saniorum Scholasticorum de satisfactione sententiam cognoscere velit, eam breviter ex Bonaventura asscribemus, videlicet in peccato duo esse spectanda: Injuriam sive offensam, quæ fit aversione à Deo, & damnum sive læsionem: pro offensa, quæ infinita sit, neminem purum hominem satisfacere posse, sed sola misericordia Dei eam remitti per mediatorem à Deo constitutum, qui solus pro ea offensa satisfacere potuit, quapropter sola fide passionis Christi omnem

In 3. dist. 26. qu. 4. Et in quartum, dist. 15.

nem culpam remitti: pro damno vero, sive libidine deordinata, quæ finita est, emendam aliquam & pœnam à Deo requiri, quam homo adjuvante gratia, & ejus defectum supplente passione Christi, utcunque præstare possit, hanc semiplenam vocari, ut illam alteram plenam. Plura de Pœnitentia dici possint, sed hæc sufficere puto, ad ostendendum, non esse causam, cur Vetus vel præsens Ecclesia impietatis accusetur, quasi hac doctrina contritionis, & satisfactionis aliquid merito Christi, & gratuitæ remissioni peccatorum detrahatur: neque recte Ecclesiam insimulari, quod doceat satisfactiones Canonicas esse necessarias ad redimendas pœnas æternas, nisi intelligas pœnas æternas redimi, quando his pietatis officiis pœna æterna, quæ impœnitentes & in sceleribus perseverantes manet, evitetur, quomodo à Prospero dictum est: Quod, qui in se pœnam voluntariæ animadversionis exercent, temporariis pœnis mutabunt æterna supplicia. Imo vero Paulus, an non diserte inquit? Quod si nos ipsos judicaremus, non utique judicaremur, dum judicamur autem, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Itaque ex Pauli sententia, hac nostri castigatione, & castigationem divinam & damnationem æternam evadimus. Nullo vero modo id Scholasticis impingi potest, qui aperte docent, condonationem gratuitam culpæ & pœnæ æternæ satisfactionem antecedere, ut quæ ad temporarias tantum pœnas relaxandas, valeat. Quod autem has temporarias pœnas, quibus peccati sordes, in animo nondum perpurgato hærentes, eluuntur, etiam ad futurum seculum referant, in eo gravissimos, & antiquissimos auctores, & longissimum

Eccle-

Ecclesiæ usum sequuntur, nihilque quod merito passionis Christi, quo sola pœna & culpa æterna condonatur, adversum sit, & ut impium merito damnati debeat, asserunt: quamvis ab imperitis, & superstitiosis hominibus, multa inepta, & superstitiosa afficta, & simplici populo persuasa sint, quæ graviore Concilio prudentiorum Pastorum diffindulari, & paulatim in desuetudinem & oblivionem adduci debeant. Qua de re infra quoque dicendi locus erit, cum in articulo de Missa pro spiritibus defunctorum agetur.

De Indulgentiis.

EX hoc ritu Canonicarum pœnarum, quæ publice pœnitentibus ad certi temporis præscriptum imponebantur, natæ sunt indulgentiæ. Fas enim erat Episcopis, animadversa vel diligentia vel impotentia, & infirmitate pœnitentiæ, humanius, & mitius cum illo agere, & de tempore illo, & rigore pœnarum aliquid detrahere & imminuere: quæ pœnarum Canonicarum imminutio, & relaxatio, Indulgentia dicebatur, quæ hodie ad privatas quoque satisfactiones traducta est, & ab Episcopis ad solum Pontificem Romanum, plenum indulgentiarum tribuendarum jus delatum, circa quarum usum, & praxin optimi quique correctionem, & moderationem fieri desiderarent, ut quæ, parum dextre tractatæ, hujus dilacerationis Ecclesiæ præcipuam occasionem dedere. Hic optandum esset, ut Pontifices publicæ paci aliquid concedant.

Art. XIII. *De usu Sacramentorum.*

ARticulus XIII De Sacramentis multo magis ad concordiam faciet, si verbis libri ad compositionem Religionis Ratisbonæ propositi exponatur, quæ & dictione, ad formam hujus Confessionis proxime accedunt, & quæ in ea forma desiderantur, ex sententia Vniversalis Ecclesiæ pulcherrime supplent, sicut ipse Eccius, libro aliquot locis iniquior, hic illum recte & Catholice sentire asserit. Sic autem habet liber: Constat Sacramenta duabus potissimum de causis divina auctoritate instituta esse, Vna, ut essent signacula, & velut tessera quædam hujus magnæ congregationis, quæ est Ecclesia: nam (ut Augustinus inquit,) in nullum nomen aut verum aut falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio colligantur. Quamobrem Dominus Iesus Christus levi jugo suo, & levi sarcinæ nos subdens, Sacramentis numero pauciſſimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit. Altera, ut sint certa & efficacia signa voluntatis & gratiæ Dei erga nos, & proinde non signa, ut tantum signent, sed ut sanctificent, & nos de accepta gratia certiores efficiant, utque in nobis fidem excitent, & ad mutuam dilectionem, sanctos, & Christianos mores provocent, & inhortentur. Porro Sacramenti plenissima definitio est Hugonis de sancto Victore: Sacramentum est materiale quiddam ex institutione significans, & similitudine repræsentans, & ex sanctificatione continens gratiam spiritualem,

lem, quod aliter dici poteſt, Sacramentum eſt ſignum à Chriſto inſtitutum, ad ſignificandam & conferendam gratiam ſpiritualem, quam ſimilitudine quadam repræſentat. Quod dicitur in Confeſſione, fidem in uſum Sacramentorum accedere debere, extra controverſiam eſt, ſi ad adultos referatur, & ſi intelligatur, fidem requiri non quidem ad veritatem Sacramenti, ſed ad utilitatem percipientis; alioqui vere dixit Auguſtinus: Non intereſt, cum de Sacramenti integritate, & veritate tractatur, quid credat & quali fide imbutus ſit ille qui accipit Sacramentum, intereſt quidem plurimum ad ſalutis viam, ſed ad Sacramenti quæſtionem nil intereſt. Quod ad infantes attinet, & de opere operato, ſupra ad octavum articulum dictum eſt.

De numero Sacramentorum.

IAm dudum ordo poſtulabat, ut de Sacramentorum numero aliquid diceretur, ſed in iis negotii eſſe puto, quod & olim Lutherus ſcripſerit, ſe non damnare uſum & morem in Sacramentis Eccleſiæ nunc uſitatum; neque ſe negare neque damnare Septem ſacramenta, licet ea ex ſcripturis probari non poſſe exiſtimaverit: & Philippus Melanchthon in locis ſuis communibus poſterioribus ſcripſerit, ſe non rixaturum cum quoquam de numero Sacramentorum: & in conventu Ratisbonenſi nullam ea de re controverſiam fuiſſe legimus. In hoc certe controverſia nulla eſt, Duo eſſe præcipua ſalutis noſtræ Sacramenta, in quibus principaliter ſalus conſtat, & percipitur, quomodo loquuntur Rupertus Tuitienſis, & Hugo de ſancto

De Capt. Babyl. Et in Reſpon. in Ar. Extract. ex Captiv. Babylon.

De Victor. verbi Dei lib. 12. c. 11. Hugo. part. octava, cap. 2, de Sacramentis.

ſancto Victore, nempe ſacrum Baptiſma, & Sacramentum corporis, & ſanguinis Domini. Baptiſmati tamen ab Iſidoro, & eum ſequuto Rabano, & Hugone de ſancto Victore, Sacramentum impoſitionis manuum ſeu Chriſmatis, & confirmationis adjungitur: quo fit, ut apud paulo vetuſtiores inter Sacramenta proprie dicta nunc Duo Sacramenta ponantur, ut Baptiſmus, & Euchariſtia: nunc tria, cum Baptiſmati Chriſmatis confirmatio adjungitur: nunc vero quatuor, cum corpus & ſanguis Domini in duo Sacramenta ſecantur: quod aperte fit à Rabano, qui lib. 1 de inſtitutione Cleticorum quatuor diſerte Sacramenta numerat, reliqua vero Sacramenta nullo certo numero ab illis antiquioribus ſcriptoribus comprehenſa legimus. Nec temere quemquam reperias ante Petrum Lombardum, qui certum aliquem & definitum Sacramentorum numerum ſtatuerunt: ad quem numerum ſtatuendum poſteros myſteriorum hujus, etiam iſi divinis literis celebratiſſimi, numeri, induxiſſe videtur. Cum verò jam aliquot ſæculis, præſertim apud Latinos, hæc ſententia recepta ſit, quæ Sacramenta Eccleſiaſtica ad hunc ſeptenarium numerum, in Scripturis divinis celebrem, redegit; meriro ejus rei cauſa contendendum non eſt, præſertim cum reliquæ illæ actiones ſacræ, quæ his præcipue ſacramentis annumerantur, & de divinis literis teſtimonia habeant, & à vetetibus ſacramenti nomine peculiari quadam ratione ornata legantur: quamvis & extrà hunc numerum quædam ſunt in Eccleſia celebrata ſigna, quæ & ipſa, latioris vocis notione, Sacramenta nonnunquam dicuntur. Et de his quoque ſeptem ſacramentis certum eſt, ne ipſos

qui-

quidem Scholasticos existimasse, omnia ea, æque proprie Sacramenta vocari. Nam & de Confirmatione quidam scripserunt, gratiam confirmationis non esse univoce gratiam cum illa, ut quæ ideo tantum instituta sit, ut habitum fidei fortiorem reddat, non autem, ut habentem digniorem reddat vita æterna. De Matrimonio vero, non modo Petrus Lombardus negavit in eo gratiam conferri, sed longe post eum Durandus diserte inquit, Non esse matrimonium univoce sacramentum, sicut alia sacramenta novæ legis, nam nec conferre gratiam non habenti: non esse itaque Sacramentum proprie, & stricte dictum.

Holcot: apud Petrum de Aliaco, in 4.

In quartum, Dist. 26. Quæst. 3.

Art. XIV. *De ordine Ecclesiastico.*

QVod decimo quarto Articulo docetur, de ordine Ecclesiastico, neminem debere in Ecclesia docere nisi rite vocatum, merito probatur. Iam quod ad Sacramenti nomen attinet, in Apologia ajunt, Si ordo de ministerio verbi intelligatur, haud gravatim vocaturos se ordinem Sacramentum, cum habeat mandatum Dei, & promissionem: quamquam quod de ministerio verbi dicunt, quo minus ad universum ministerium Ecclesiasticum referri debeat, nil prohibet, quod ministerium in lib. ad compositionem religionis proposito his capitibus comprehenditur: Potestas prædicandi verbi, consecrandæ Eucharistiæ, administrandi sacramenta, ordinandi omnia in Ecclesia ad ædificationem, & coërcendi rebelles, ac criminosos: cui toto articulo in hoc sacramento ordinis, nil in conventu illo Ratisbonensi oppositum

tum lego. Desideravit hoc tantummodo Eccius, ut explicaretur, in quibus ordinibus manuum impositio adhibenda sit, scil. in Diaconatu, Presbyterio, & Episcopatu, quanquam an Episcopatus inter ordines ponendus sit, inter Theologos & Canonistas non convenit. Convenit autem inter omnes, olim Apostolorum ætate, inter Episcopos & Presbyteros discrimen nullum fuisse, sed postmodum ordinis servandi, & schismatis evitandi causa, Episcopum Presbyteris fuisse præpositum, cui soli Chyrotonia, id est, ordinandi potestas servata sit. Constat etiam, sacros ordines proprie dici Diaconatum, & Presbyteratum, ut quos solos primitivam Ecclesiam in usu habuisse legatur, id quod testatur Vrbanus Papa, & annotavit Chrysostomus, & Ambrosius Epistola Pauli ad Timotheum priore, ex eo quod Episcopi ordinationi statim diaconi ordinationem subjiciat. Ad minores vero ordines quod attinet, qui olim quinque se ordine consequentes memorari consueverunt, hi sane præsente tempestate, neglecta omni disciplina, & politia Ecclesiastica, prorsus confusi sunt, & eorum officia propemodum cessarunt, & si vestigia quædam in frequentioribus Ecclesiis, in pueris & adolescentibus, minora quædam Ecclesiastica officia obeuntibus cernuntur. Subdiaconi vero, & Diaconi officio ut plurimum Presbyteri fungantur. Vtile tamen esset pueros aliquot communibus Ecclesiæ sumptibus ali, ad ministerium Ecclesiasticum destinatos, qui tamquam tyrones, ad graviora in Ecclesia officia instituantur & exerceantur. Requirit item in libro proposito Eccius mentionem Vnctionis, de qua, si cætera recte habeant, contentionem non futuram spero. Illud

autem

autem ad omnem, quæ de hoc articulo existere possit, controversiam præcidendam, imprimis conducturum puto, si multitudo illa, & turba inutilium sacerdotum minuatur, neque alii eligantur vel ordinentur, quam quibus ad ministerium Ecclesiasticum opus est, hoc est, præter Episcopos, per singulas civitates ampliores, territoria (quæ diœceses dicuntur) Presbyteri seu Pastores, qui singulis Ecclesiis, (quæ nunc parochiales vocantur) præsint, cum uno aut altero coadjutore, qui alibi Capellani, alibi Visitatores dicuntur, qui & in officiis Ecclesiasticis Diaconorum vices obire poterunt, ut jam fere receptum videmus. Quapropter jam olim, ex quo tempore singulis titulis sive Ecclesiis sui ministri ascribi cœperunt, utiliter cautum est, ut nemo absolute, & sine titulo ordinetur. Neque satis est, inanis tituli nomen præferre, sed talem esse titulum opportet, qui necessarii alicujus ministerii munus adjunctum habeat. Item illud cavendum erit, ut idonei tantum ad Ecclesiæ ministerium, & potissimum verbi divini prædicandi munus eligantur, qui non verbis tantum, sed etiam exemplis populo præire possint, non ea, quæ recte docere videntur, contraria actione destruant, & evertant: nil enim nocentius, tum in Republica, tum in Ecclesia, quam, cum, qui alios docent, eadem culpant, & faciunt. Recte itaque Innocentius: Integritas præsidentium salus subditorum, & quomodo poterit sal fatuum insulsa condire? Et in Decretorum lib. recte præcipitur, tales ut ad ministerium eligantur Clerici, qui digne possint Dominica Sacramenta tractare: melius enim esse, Domini sacerdotium paucos habere ministros, qui possint digne opus Dei exercere,

Concil. Calcedon. Can. 6.

quam multos inutiles. His consentit Innocent. III, Sanctius est (inquit) maxime in ordinatione sacerdotum, paucos bonos, quam multos malos habere ministros: quia si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam prolabuntur. Sunt autem in his ordinibus Ecclesiasticis, dignitatum & officiorum quidam gradus, ut inter Presbyteros, Archipresbyteri, & Episcopi: inter Episcopos vero, alii Patriarchæ; alii Primates, qui olim Archiepiscopi, alii Metropolitæ, qui nunc Archiepiscopi dicuntur: inter Diaconos vero, Archidiaconi, &c. quæ distinctio non modo utilis, sed ad politiam Ecclesiasticam conservandam prope necessaria est, si modo, quod fieri potest, caveatur, ut unusquisque officio suo, quod illi dignitatis suæ ratione ex prima institutione incumbit, satisfaciat, ut illi certe merito reprehendendi sint, qui odio abusuum, in his ordinibus, & dignitatibus universum hunc ordinem, quem Hierarchicon appellant, ut nervum Antichristi, sublatum volunt. Hi sane non modo Ecclesiasticæ paci, sed etiam Ecclesiasticæ politiæ, quæ in tanta regionum, & provinciarum multitudine, & amplitudine, sine hac ordinum, & graduum distinctione vix retineri potest, pessime consulunt. Nec minus illi accusandi, qui, inani titulo inflati, eoque ad dominatum quendam, vel etiam ad cupiditatem, & avaritiam abutentes, neglecto quod Ecclesiæ debent officio, hominibus etiam non malis, huic Ecclesiastico ordini detrahendi, & ab eo deficiendi occasionem dederunt.

Art,

Art. XV. *De Ritibus Ecclesiasticis.*

DEcimoquinto Articulo peculiariter agitur de traditionibus, & ritibus Ecclesiasticis, de quibus supra articulo septimo aliqua ex parte dictum est: sed quoniam rursus in hoc loco de his disputatur; pauca, quæ pro tempore sufficere putabuntur, hic dicemus.

Hic Articulus aliis locis ab auctore distinctus explicatur. Constituit enim tria genera constitutionum humanarum: quorum primum est, cum præcipitur aliquid, quod non potest sine peccato præstari, quæ traditiones auctoritate divina sunt violandæ, qua præcipitur, Deo magis obediendum quam hominibus, ut de propagatione Missarum, cultu Sanctorum. Hoc genus traditionum notatur in hoc articulo, cum ait: eos ritus servandos, qui sine peccato præstari possunt, indicans aliquos esse ritus in Ecclesia, qui sine peccato servari nequeunt. Quod si verum est, nemo Christianæ, & Euangelicæ puritatis amans, hujusmodi traditiones, & ritus probabit. Sed quæ adferuntur exempla, de iis separatim mox erit dicendi locus. Fatendum enim est, tum in instituto cœlibatus, tum in celebratione Missarum, tum etiam in cultu Sanctorum, quædam irrepsisse, quæ correctionis indigent. Attamen in iis ipsis, si moderatio ex mente Ecclesiæ servetur, nihil ineſſe impietatis constabit. Secundum genus traditionum ponitur, quæ constituuntur de rebus adiaphoris, & habent utilem finem politicum: de quibus in hoc articulo Confessionis dicitur, servandos illos ritus, qui prosunt ad tranquillitatem & bonum ordi-

In 14 ad Rom. in Confess. Saxon.

rum interpres fideliſſimus, ex ſententia Thomæ, præcepta Eccleſiæ poſitiva, non eodem modo obligare, quo præcepta divina vel naturæ. Nam præcepta divina ſunt de iis, quæ ordinantur ad virtutes, & iis præcipiuntur, quæ per ſe neque ſemper ſunt bona, ſed poſſunt eſſe mala, &c. Quare intentio legiſlatoris nec eſt, nec eſſe debet, ut ſemper obſervetur præceptum: itaque ob cauſas rationabiles hujuſmodi ſtatuta ſolvi poſſe, tum autem eſſe cauſam rationabilem, cum ceſſat ratio legis: ratio autē ſtatuti de jejunio eſt, ut caro coërceatur. Quapropter jejunium ſeu abſtinentia, qua natura lædatur potius, quam ut caro ſpiritui obſequens reddatur, uſque adeo non exigitur, vel commendatur, ut etiam ad homicidii crimen referatur. Vide Thomam 2, 2, Quæſt. 14, Articul. 1, & c. 141. Non tamen (inquit) ratio recta tantum de cibo ſubtrahit, ut natura conſervari non poſſit, quia Hieronymus dicit: Non refert, utrum magno vel parvo te interimas, quia de rapina holocauſtum offert, qui vel ciborum nimia egeſtate, vel manducandi vel ſomni penuria immoderata corpus affligit. Quare de his ſtatutis [illegible] præſcribitur ab eodem Thoma, & aliis ſanioribus Scholaſticis, jejunium abſolute conſideratum non eſſe de neceſſitate præcepti, ſed iis tantum, qui tali remedio indigent. Tradunt autem, tum demum harum conſtitutionum obſervationem, ut abſtinentiæ, & jejunii, virtutis rationem obtinere, ſi per rationem ordinentur ad aliquod bonum honeſtum: veluti jejunium aſſumi, primum ad concupiſcentiam carnis refrænandam: ſecundo ut mens ſublimius elevetur ad contemplanda divina, Daniel. decimo: tertio ad ſatisfaciendum pro

pecca-

peccatis: Vnde dicitur Iohel.2, Convertimini ad me in toto corde, in jejunio & fletu. Quod autem de satisfactione dicitur, referendum tantum est ad pœnas temporarias, de quibus Paulus: Si nos ipsos judicaverimus, &c. Quare consentanee his Erasmus, recte jejunium, & delectum ciborum ad duo valere dixit, primum ad domandam corporis lasciviam, deinde ad placandam iram divinam, ut cum videt nos, de nobis ipsis pœnam sumere, ipse remittat vindictam. Hæc si diligentius observentur, facile apparebit, hujusmodi constitutiones divinis & apostolicis literis non adversari, quibus dicitur: Nemo vos judicet in cibo, & potu, nam hæc de Iudaica observatione dicuntur, qua hæc observatio perpetua, & inviolabili lege sancita credebatur, non de libera & Christiana observatione, quæ pietatis promovendæ causa ad tempus suscipitur. Quare hujusmodi traditiones, si intra suos fines contineantur, nec mera sunt hominum mandata, propter quæ irrita fiant præcepta divina, sed præceptorum divinorum observationi serviunt. Itaque illis minime objici potest, quod Christus Pharisæis: Frustra me colunt, docentes præcepta, & mandata hominum. His ita consideratis, nullum pene in hoc quoque tertio genere, diffidii locum relictum esse video, præsertim cum in Confessione Saxonica hoc modo scriptum legamus: Non vituperamus jejunia, sed superstitiosas opiniones, & laqueos conscientiarum in traditionibus: porro hæc exercitia, cum ad illum finem referantur, ut habeamus corpora obnoxia ad res spirituales, & ad faciendum officium juxta vocationem, sunt in piis bona opera, ut testatur Danielis exemplum: sunt enim opera, quæ ad hunc

hunc finem requirit Deus, ut carnem coërceant. Idem affirmatur in quadam disputatione Philippi Melanchthonis: Exercitiorum finis immediatus esse debet, ut coërceat carnem, item ut sobrii, magis idonei simus, ad orandum, cum ad hunc finem destinata sunt hæc exercitia, sunt bona opera, & præcepta à Deo: fiunt autem hæc exercitia cultus Dei, cum ad debitum finem referuntur, sunt enim bona opera, porrò in piis bona opera omnia sunt cultus Dei, &c. & habent hæc opera præmia, ut testatur exemplum Danielis. Recte autem concluditur in eadem Disputatione, hæc corporalia exercitia, res esse minimas, si conferantur ad magnitudinem spiritualium rerum, sed res esse maximas, & summo studio retinendas, si infirmitas hominum consideretur, & contra mandatum Dei facere, qui hanc disciplinam excutiunt. Non erunt igitur, jejunia Ecclesiastica, & quæ his serviunt, certorum quorundam ciborum ad tempus abstinentiæ vituperandæ, & impietatis traducendæ, si modo superstitiosæ illæ opiniones tollantur, & ad finem utilem referantur: qui finis, si modo cum vera pietate servetur, non erit tantummodo politicus, sed etiam actus virtutis, quo Deus colitur, ut reliquorum bonorum operum: atque vim habent, non ex eo, quod sunt Ecclesiastici statuti, hoc est, quod hoc vel illo die potius jejunetur, (nisi quod obedientia majorum Deo placeat) neque ex ipso genere operis, hoc est, quia ad certum tempus, & à certis cibis abstineatur, sic enim opus indifferens est, sed quia pio proposito, hoc est, carnis in obsequium spiritus redigendæ causa, suscipiuntur. In Apologia quoque ex Epiphanio duo fines traditionum ponuntur: probare

bare enim eum traditiones factas διὰ τὴν ἐγκράτειαν ἢ διὰ τὴν πολιτείαν, hoc est, ad coërcendam carnem, propter disciplinam rudium, aut propter politicum ordinem. Subjicit autem Apologia: Et nos propter has causas servari posse traditiones judicamus, ut populus sobrius interfit sacris, sicut Iosaphat, & Rex Ninivitarum jejunia indixerunt. Manifestum est autem, Iosaphat, & Ninivitas jejunia indixisse, non modo ut hac disciplina aptiores reddantur animi, ad res divinas obeundas; sed etiam, ut hac mentis humiliatione, & carnis castigatione, ira Dei mitigetur, & ejus misericordia imploretur. Non igitur satis apte & consentanee alio loco, ab hoc eodem Auctore, exemplum Ezechiæ adducitur, serpentem æneum ob superstitiosum cultum populi confringentis, ad ostendendum omnes hujusmodi ritus, qui non sunt moris politici, propter adjunctas impias opiniones simpliciter esse tollendos, ut opinio illa falsa corrigatur. Quasi vero falsa illa opinio, nisi rebus ipsis sublatis, corrigi non possit, & constet, sublatis illis superstitiosis opinionibus, non contemnendum esse illarum traditionum usum in fideli populo, si ad legitimos fines referantur. Quod si statim ob falsas opiniones, quivis ritus essent tollendi, nil fere in toto externo Dei cultu, ac ne ipsa quidem Sacramenta in tuto essent. Quare cum jam manifestum sit, has traditiones, de jejuniis, & delectu ciborum, non modo sine peccato, sed etiam cum fructu pietatis servari posse, etiam ipsius Confessionis confessione concluditur, servandos esse, cum etiam profint ad publicam tranquillitatem, eo quod illarum importuna violatio publicam Ecclesiæ pacem, & tranquillitatem per-

turbet. Quid? quod Lutherus & Bucerus, principes hujus causæ, aperte scribunt, se publicæ pacis causa non detracturos, cur minus ceremonias & traditiones in Ecclesia Romana jam longo usu receptas communiter observent his conditionibus, ut doctrina Evangelii de justificatione gratuita per fidem Christi, syncere tradatur: nec, in illarum traditionum observatione, justitia & fiducia salutis collocetur: nec ut divina præcepta, pœna mortalibus proposita, exigantur, & de vero illarum usu populus instituatur: atque in numerum harum ceremoniarum collocant, non ferias modo & cantiones, sed etiam jejunia, & ciborum delectus, de quibus nunc agitur: adhæc ceremonias in Baptismo, & Missis vulgo observatas, ut exorcismos, & exufflationes, indumenta missatica, luminaria &c. ejus generis. At contra diffitendum non est, nonnullos fuisse homines superstitiosos & imperitos, qui his saluberrimis constitutionibus ad salutem hominum factis, ad tyrannidem & laqueum conscientiarum abusi sunt: qui gravissimi abusus, cura Episcoporum & Ecclesiæ Præfectorum corrigi debent: atque etiam multi ex vulgo fuere, qui in externa harum traditionum observatione justitiam, & fiduciam collocarunt, neglectis interim veræ, & internæ pietatis, quibus illæ servire debebant, officiis, neque defuere, qui, præpostera æstimatione, has traditiones præceptis divinis non modo æquare; sed præferre sunt ausi: ita ut propter eas graviora legis præcepta, ut charitatis & misericordiæ neglexerint, & earum quacunque de causa transgressionem violatione divinorum mandatorum graviorem judicarint: quæ certe traditiones hoc modo servatæ, mandata homi-

hominum dici possint, & in eos recte torqueri, quod Christus inquit Phariſæis: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me. Frustra me colunt, docentes præcepta & mandata hominum. Sed his erroribus saniore doctrina occurri debet, quæ verum usum harum traditionum & cæremoniarum bona fide populis tradat. Erasmus alicubi conqueritur, idque fortassis non immerito, totam fere religionem hactenus redactam fuisse ad cæremonias, & vigorem Euangelicum propemodum per eas fuisse antiquatum: remedium autem aliquod ostendit, cum ait: Nullum esse verè pium, quin, si rem attentè consideret, mallet in his rebus obligationem versam in exhortationem: ut nunc quidem sunt tempora, minus esset laqueorum, & plus esset ex animo jejunantium, maxime si in vita sacerdotum reluceret exemplum abstinentiæ, temperantiæque Christianæ. Sed finem facio. Plura quæ huc faciunt, legi possunt apud Hoffmeisterum, ad hunc articulum, & in Defensione libelli De officio pii viri.

Art. XVI. *De Magistratu & rebus Civilibus.*

IN decimo sexto articulo, in quo de Magistratu & rebus civilibus agitur, omnibus modis probandum est, quod docent: legitimas ordinationes Civiles esse bona opera Dei, quod Christianis liceat gerere Magistratum, supplicia jure constituere, jure bellare, militare, lege contrahere, &c. tantum quæstio restat de officio & potestate civilis Magistratus in rebus Ecclesiasticis, in qua

utrimque modus exceditur, aliis parum, aliis nimium potestati Civili tribuentibus, cum alii ab omni procuratione rerum Ecclesiasticarum Principes & Magistratus removeant, alii totam Ecclesiasticam administrationem Principum & Magistratus Civilis potestati subjiciant. Illud autem in hac Quæstione extra controversiam esse debet, non minorem esse nec inferiorem potestatem Imperatoris & Regum seu principum Christianorum in Repub. Christiana, quam olim priscorum regum in republica Israelitica, quorum quod munus in divina lege conservanda & cultu divino promovendo fuerit, satis ex divinis literis est manifestum, nam ipsis Deuteronomii lectio ipsa lege divina commendatur, non modo, ut eo lecto ipsi vitam suam privatim recte pieque instituant, sed ut leges divinas sanctas & inviolatas conservent: id certe piorum Regum, qui in divinis literis commendantur, exempla aperte declarant, qui, comperta ex divina lege voluntate Domini, sacerdotibus & Levitis mandarunt ut Dei cultum in templis ad præscriptum divinæ legis instaurarent, & ab omnibus sordibus emundarent: ordinem Sacerdotum & Levitarum confusum & dissipatum composuerunt, officium quemque suum exequi jusserunt, Sacerdotes, Levitas & principes per universum regnum suum miserunt, qui allato secum libro legis, populum ex ejus præscripto instituerent, &c. Quorum piorum regum præclara instituta pii reges Christiani sedulo imitati sunt, ut Constantinus, Theodosius, Iustinianus, Carolus & cet. quorum diligentia & vigilantia in rebus Ecclesiæ constituendis, tum in historiis Ecclesiasticis, tum in salubberrimis legibus, quas de rebus Eccle-

Vide Gabriel Biel in Canon. lect. 75.

2 Para. 17 & 19. 4 Reg. 18. 2 Par. 29, & 31. 4 Reg. 22, & 23, & Parab. 35.

Ecclesiasticis tulerunt, satis apparet. Itaque eorum imperatorum, & principum officium jam olim habitum est, rebus Ecclesiæ turbatis, concilia Antistitum Ecclesiæ, & doctorum in divinis literis virorum convocare: quæ ad constituendam Ecclesiæ pacem pertinent, diligenter inquirere, officii sui Ecclesiasticos quoque viros in tollendis falsis cultibus, & syncera doctrina propaganda commonefacere, atque ad id perficiendum operam quoque suam adjungere: Ecclesiæ disciplinam legibus communire, transgressores divinarum & Ecclesiasticarum traditionum, & turbatores Ecclesiæ pacis coërcere. De hoc Principum officio, & historiæ Ecclesiasticæ, & Ecclesiasticorum scriptorum libri pleni sunt. Augustin. de correct. Donatistar. Cum nondum Reges Domino servirent, temporibus Apostolorum non utique tunc potuerunt impietatis legibus prohiberi. Postea vero cœpit impleri quod scriptum est: Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei. Quis mente sobrius Regibus dicat? Nolite curare in regno vestro à quo tueatur, vel oppugnetur Ecclesia Dei vestri. Leo Papa ad Leonem Augustum: Debes incunctanter animadvertere, Regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam; & Iustinianus: Si leges (inquit) civiles, quarum potestatem fidei nostræ Deus pro suo erga homines amore concredidit, firmas ac stabiles conservari ad subditorum securitatem studemus; quanto plus studii debemus circa sacrarum regularum & divinarum legum observationem reponere, quæ pro salute animarum nostrarum definitæ & constitutæ sunt? Gregorius I

Epist. 13.

In Novell. Const. 124.

Recarredum regem Gotthorum collaudat, quod per ejus excellentiam cuncta Gotthorum gens ab errore Arrianæ hæresis in fidei rectæ soliditatem translata sit : & Isidorus, Cognoscant (inquit) Principes seculi, se Deo debere esse reddituros rationem propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam susceperunt : nam sive augeatur pax & disciplina Ecclesiæ per fideles Principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati Ecclesiam suam tradidit. Neque huic officio Principum quoque detrahit Oziæ exemplum, sacerdotum officio in adolendo incenso usurpantis, & ob eam causam lepra percussi divinitus : neque enim id agitur, ut ipsi principes, & Magistratus propria sacerdotum officia, quæ sunt prædicandi, & sacramenta administrandi, invadant, sed ut eos in officio suo contineant, & ad illud exequendum non solum auctores illis, sed etiam auxiliatores sint : neque ad rem pertinet, quod in ovium numerum Principes quoque collocentur, qui se totos pastorum curæ committere debeant; nam in divinis literis reges non oves modo, sed nutritii etiam Ecclesiæ appellantur, qui ut ipsi nec oves pascere, nec de pabulo de se judicare debent, tamen ovibus de idoneis pastoribus prospicere, & ut illis idoneum pabulum suppetat, providere tenentur.

Art. XVII. *De secundo Christi Adventu.*

ARticulus decimus septimus, de secundo Christi adventu, nullam inter partes controversiam habet.

Art.

Art. XVIII. *De Libero Hominis arbitrio.*

ARticulus decimus octavus, De libero hominis arbitrio, plane cum Ecclesiastica doctrina consentit, cum docet, quod humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem justitiam, & deligendas res rationi subjectas: sed non habet vim sine Spiritu sancto efficiendæ justitiæ Dei, seu justitiæ spiritualis, sed hæc fit in cordibus, cum per verbum Spiritus sanctus concipitur. Summa autem hujus controversiæ, quæ & olim & hodie de libero arbitrio extitit, in eo consistit, quid valeat liberum arbitrium seu voluntas ad justitiam coram Deo consequendam? Sane Orthodoxi semper contra Pelagianos, & Manichæos contenderunt, justitiam, qua justificamur coram Deo, attribuendam esse non virtuti liberi arbitrii, seu voluntatis per peccatum vitiatæ, sed singulari gratiæ Dei, non quam habemus ex natura, in qua creati sumus, quæ nobis cum infidelibus & impiis communis sit, sed ea gratia quæ est per fidem Iesu Christi, quæ tantummodo eorum est, quorum est ipsa fides, qua gratia non nova voluntas creatur, neque invita voluntas cogitur, sed infirma sanatur, depravata corrigitur, & ex mala in bonam convertitur, ac interiore quodam motu trahitur, ut ex nolente volens efficiatur, & divinæ vocationi libenter consentiat, & postea eadem cooperante divinæ voluntati obediat, & in bonis operibus per eandem gratiam perseverando, ex eadem gratia hæreditatem regni cœlestis adeat. Summa hujus Orthodoxæ doctrinæ breviter comprehenditur in Concilio Arausicano 2, quod quasi

Vide Aug. de gratia & lib. arb. ad Valent. c. 13.

compendium est omnium eorum quæ passim apud Augustinum, & alios diffuse leguntur. Atque utinam in hac simplici explicatione, quæ divinis literis, & Orthodoxæ doctrinæ consentanea est, & ad pietatem sufficit, permaneatur, & inutiles ac infinitæ quæstiones de necessitate, & ἀνεργεία è medio auferantur. Hanc enim doctrinam de gratia Dei, & libero arbitrio, saniores quoque Scholastici adversus Pelagianos strenue defenderunt, in quibus est Thomas Bravardinus, suo tempore Doctor profundus appellatus, qui egregium volumen, (quod Summam appellat,) adversus Pelagianismum sua ætate inolescentem conscripsit, quam Scholasticorum saniorem sententiam Bucerus agnovit. Ingenue, (inquit) omnes non Veteres modo, sed & recentes Theologi (inter quos non injuria satis sit unum Thomam laudasse testem) liberum arbitrium nisi moveatur & adjuvetur à Deo, ad bonum nil valere confitentur, nec inest igitur iis, quæ de libero arbitrio Patres quidam, aut etiam Neoterici asseruerunt, ea (quam olim nonnulli putant) impietas, si hæc rite modo accipiantur, & sicut ipsi scriptores ea accidi voluerunt, &c. Si qui vero ex Scholasticorum numero incommodius de hac arbitrii libertate & rebus humanis loquuti sunt, hæc inter privatas opiniones sunt ponenda, & iis saniora aliorum ejusdem ordinis hominum scripta sunt opponenda. Quantum autem plerique ex iis tribuerint divinæ gratiæ, vel unus Bonaventura testatur. Hoc (inquit) piarum mentium est, ut nil sibi tribuant, sed totum gratiæ Dei, unde quantumcunque aliquis det gratiæ Dei, à pietate non recedet, etiamsi multa tribuendo gratiæ Dei, aliquid subtrahit potestati

naturæ

naturæ vel liberi arbitrii: cum vero aliquid gratiæ Dei subtrahitur, & naturæ tribuitur, quod gratiæ est, ibi potest periculum intervenire.

De Prædestinatione.

HVic quæstioni de libero arbitrio connexa & implicata est quæstio, De prædestinatione & præscientia Dei. Quæ cum inter eruditos multa certamina excitavit, ita moderate & prudenter in populo tractanda est, ut & pietatem in Deum augeat, & bene operandi studium non extinguat, sed excitet: nec desperationem inducat, sed potius fiduciam gratiæ, & gloriæ, animis inferat. Nam ideo hæc gratia prædestinationis in divinis literis, & Ecclesiasticis scriptoribus tantopere commendatur, ut iis, qui fide in Christum, &, quæ ex ea nascuntur, bonis operibus prædi ti sunt; hæc non sibi vindicent, sed Deo tribuant; & ad gratiam divinæ prædestinationis, & electionis referant, atque ita in Domino, non in seipsis glorientur: item, ut ii, qui pietatis studio tanguntur, bonis operibus suam vocationem & electionem certam faciant, & fiduciam prædestinationis ac futuræ glorificationis nutriant: quandoquidem hæc inter se connexa & copulata sunt, ut à gratia justificationis ad æternam glorificationem, non nisi per patientiam bonorum operum perveniatur. Atque hæc sit ratio prædestinationis, ut quibus Deus æternam vitam dare prædestinavit, iisdem & gratiam qua justificentur, & justificati bene operentur, dare prædestinaverit: item, hæc doctrina prædestinationis eo pertinet, ut qui pœnitentia

pungitur, & pietatis exercendæ studio accenditur, intelligat, & confidat, hæc esse signa divinæ prædestinationis, in quibus si perseveret; non dubium, quin illi vitæ æternæ possessio destinata sit, atque ita ad opera pietatis exercenda acrius inflammetur, cum sciat, quod labor ejus non erit inanis in Domino, & quod qui cœpit in illo opus bonum perficiet in diem Iesu Christi. Hoc modo prædestinatio utiliter doceri poterit. Qua de re
cap. 22. videri poterit passim Augustinus, maxime & præcipue de bono perseverantiæ. Impiis vero, & in peccatis obduratis, divini judicii severitas proponenda est, qua objecta, à peccato sunt deterrendi, & rursus, divinæ clementiæ bonitate proposita, ad resipiscentiam sunt invitandi.

Art. XIX. *De Causa Peccati.*

MAxime autem cavendum est in utraque hac quæstione, ne causa peccati in Deum conferatur, atque ex hac saluberrima doctrina gratiæ, impii & obdurati patrocinium suæ impietatis quærant. Quare recte in Confessione subjicitur: Causam peccati esse voluntatem diaboli & impiorum, quæ, non adjuvante Deo, avertit se à Deo: sive ut in libro Ratisbonæ proposito eadem sententia hic articulus exponitur: Causam peccati constat esse malam voluntatem diaboli, & hominis se à Deo avertentem, quæ malitia voluntatis, non à Deo, sed ex diabolo, & nobis est, sicut Christus ait: Cum loquitur mendacium, ex pro-
Sapient. 2. priis loquitur. Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum. Per obedientiam unius hominis

nis conſtituti ſunt multi, in quem libri articulum pars utraque conſenſit.

De Præſcientia.

DE præſcientia vero divina, quamvis confitendum ſit, illi omnes tam pravas quam bonas actiones hominum eſſe ſubjectas; tamen falluntur, qui ex ea ob certum ordinem cauſarum & rerum, aut fatalem neceſſitatem, ſublata omni voluntatis libertate, contexuerunt: aut, libertate voluntatis & contingentia rerum conceſſa, præſcientiam tollendam putaverunt, quoniam utrumque ſimul eſſe non poſſe arbitrantur. Prius Lutherо in prioribus ſuis de ſervo arbitrio diſputationibus accidit, ſic enim ibi loquitur: Cum tales nos ſciverit futuros, taleſque nunc faciat, moveat, & gubernet, quid poteſt fingi quæſo, quod in nobis liberum ſit? aliter atque aliter fieri, quam ille præſcierit, aut nunc agat? Pugnat igitur ex diametro præſcientia, & omnipotentia Dei cum noſtro libero arbitrio. Quam ſententiam poſtea Philippus Melanchthon tum in Confeſſione, tum in locis communibus correxit. Conſtituta (inquit) hac ſententia, quod Deus non eſt auctor peccati; nec velit peccatum; ſequitur, contingentiam eſſe, hoc eſt, non omnia quæ fiunt neceſſario fieri. Hæc igitur præviſio non adfert neceſſitatem, nec mutat in voluntate hominis modum agendi, qui adhuc in natura reliquus eſt. Poſterius autem philoſophis nonnullis evenit, qui ut libertatem voluntatis retinerent, præſcientiam futurorum penitus ſuſtulerunt: è quibus fuit Cicero, de quo Auguſtin. Dum vult facere liberos, facit ſacrilegos. Contra quem eo-

dem

dem loco disputans Augustin. hæc summatim concludit: Nos (inquit) adversus istos sacrilegos ausus atque impios, Deum dicimus scire omnia, antequam fiant, & voluntate nos facere, quicquid à nobis non nisi volentibus fieri sentimus & novimus. Non est autem consequens, ut si Deo certus est omnium ordo causarum, ideo nil sit in nostræ voluntatis arbitrio: & ipsæ quippe nostræ voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo, ejusque præsentia continentur, atque ita qui omnes rerum causas præscivit, profecto in iis causis etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas esse præscivit. Summa igitur est, præscientia divina naturas rerum, quas à conditione habent, non immutari, inter quas res à Deo conditas humana voluntas est.

De civ. Dei, li. 5, c. 8.

Art. XX. *De bonis Operibus.*

DE vigesimo Articulo, dictum est supra ad Articulum 6.

Articulus XXI.

CVltum Sanctorum, id est, beatorum spiritum jam cum Christo in regno cœlesti degentium, Confessio in eo positum esse docet, ut fidem eorum & bona opera quisque pro sua vocatione imitetur. In Apologia vero triplicem honorem probant, quorum primus est, gratiarum actio, cum gratias agimus Deo, quod exempla misericordiæ suæ erga genus humanum nobis propo-

proposuerit, & ipsos quoque Sanctos laudamus, qui his donis fideliter usi sunt. Secundus cultus est, confirmatio fidei nostræ, ut cum videmus Petro, & Magdalenæ condonari peccatum, erigimur & nos, ut credamus, quod vere gratia exuberet peccatum. Tertius honos est, imitatio fidei, & reliquarum virtutum, quos quisque pro sua vocatione imitari debeat. Et hæ quidem sunt præcipuæ utilitates, quas ex commemoratione sanctorum hominum capimus. Atque hæc in memoria Sanctorũ in primis populo proponenda sunt. Sed honor Sanctorum in eo potissimum consistere videtur, cum nos adhuc terrenæ conversationis contagione polluti beatissimos illos spiritus jam ab exilio ad Christi regnum translatos, tanquam dignores conservos & laborum & certaminum quæ pro Christo susceperunt, ampliſſima præmia consequutos, omni honore & veneratione prosequimur, eorum memoriam honorifice celebramus, eorum res præclare pro Christo ex Dei gratia gestas magnifice prædicamus. Quamquam omnis hic honor ad Deum potissimum referatur; de quo honoris genere loquitur Cyrillus: Sanctos (inquit) martyres, neque Deos esse dicimus, neque adorare consuevimus, laudamus eos potius summis honoribus, quod pro veritate strenue certarunt, & fidei synceritatem servarunt. De cultu vero Sanctorum, & quid inter Sanctorum & Dei cultum intersit, pulchre differit Augustinus. Colimus (inquit) Martyres eo cultu dilectionis, quo & in hac vita coluntur homines Sancti Dei, quorum cor ad talem pro Euangelica veritate passionem paratum esse sentimus: sed tanto illos devotius quanto securius post incerta omnia superata, quanto

Lib. 6 contra Iulian.

Cont. Faust. lib. 22.

simos illos viros ullam doctrinam, aut consuetudinem admissuros fuisse, quam Euangelicæ, & Apostolicæ doctrinæ adversari, aut gloriæ Dei, vel merito Christi aliquid detrahere putavissent, cum eos tam gravia certamina pro Christi gratia asserenda suscepisse legamus. Quomodo enim in eo gloriæ Dei quicquam detrahitur, cum ille solus fons & largitor omnis boni agnoscitur? neque aliud Sanctis tribuitur, quam ut precibus suis ab ipso fonte & largitore omnis boni, ea quæ nobis ad præsentem vitam utilia, & ad futuram salutaria sunt, impetrent? Quid vero gloriæ Dei discedit? si Sanctos, quos ad consortium sui regni, ut Christi cohæredes admisit, eo honore dignetur, ut ad eorum preces nobis quoque hic peregrinantibus, & in salo hujus vitæ fluctuantibus opem ferat? Neque vero Christo mediatoris & intercessoris officio detrahitur, cum ille solus sanguine suo nos redemisse & Deo patri reconciliasse firmissime credatur: Sanctis vero, ut Christo jam familiarius conjunctis, & ob virtutem & præclara merita, quæ & ipsa Dei dona sunt, charis, officium tantum pro nobis, quibus tanquam ejusdem corporis membris charitatis vinculo conjuncti sunt, deprecandi tribuitur. Neque ideo Christus solus mediator esse definit, qui sanguinis sui precio nos Deo patri reconciliavit, si etiam sancti viri tum in hac vita nobiscum peregrinantes, tum cum Christo regnantes, preces quoque suas pro ejusdem corporis membris interponant. Neque vero necesse est, ut dum hoc modo Sancti interpellantur, iis cordium inspectio, quæ soli Deo propria est, attribuatur, cum sciamus ex divinis literis, etiam spiritibus in corporibus inclusis hoc divinitus concessum,

ceſſum, ut abſentium facta & cogitata cognoſcerent: quod de Elizæo, & Gieſi ejus ſervo manifeſtum eſt: deinde Sanctorum ſpiritus non ut procul à nobis abſentes habendi ſunt, cum dicat Scriptura, Sequuntur agnum quocunque ierit; Paulus quoque dicat, nos acceſſiſſe ad montem Sion & civitatem Dei viventis Hieruſalem cœleſtem, & multorum angelorum millium frequentiam, & Eccleſiam primitivorum, qui conſcripti ſunt in cœlis, & judicem omnium Deum & ſpiritus juſtorum perfectorum. Non igitur prorſus à nobis abſentes ſunt ſpiritus iſti juſtorum perfectorum, ad quorum ſocietatem per fidem in cœleſti illa Hieruſalem civitate Dei viventis acceſſimus. Deinde hoc pium votum & deſiderium non poteſt non eſſe gratum Deo, quo nos ad ipſius miſericordiam implorandam, ad thronum gratiæ ejus accedentes, Sanctos quoque Chriſti filii ejus membra condeprecatores aſciſcimus, eoque facto eam fidem proteſtamur, qua eos apud Deum vivere, nobiſque charitatis vinculo conjunctos eſſe credimus. Itaque tota hæc interpellatio ad Deum tendit, à quo ſolo, quæ petimus, concedi poſſe agnoſcimus. Quare Alexander de Hales, cum diſputat, quis ſit orandus, ſolum Deum ſimpliciter eſſe orandum, tanquam finaliter à quo eſt omne bonum, definit: Sanctos vero magis ſe tenere ex parte orantium, quaſi coadjuvantes, quam illius, qui oratur. Nec inſcite ſcripſiſſe videtur Hugo de Sancto Victore: Quid (inquit) laboras inveſtigare, quid audiant, & quantum audiant Sancti, quos oras, cum ipſe Deus audiat propter quem oras? At neque hujuſmodi interpellatio prorſus rationibus è Scripturis ductis deſtituitur. Si enim in hac

Quæſt. 92 Memb. 1, Art. 4.

vita, exemplo Apostolico, aliorum in Ecclesia hic peregrinantium preces recte expetimus: cur non etiam sanctorum illorum spirituum cœlestem illam Hierusalem incolentium preces expetere liceat? Quid? quod ad hanc interpellationem, ipsa fides, qua eos cum Christo regnare credimus, & charitas, qua illos nobis conjunctos esse scimus, nos ultro invitat? Atque ex his quoque apparet, quantum interfit inter preces quæ Deo offeruntur, & eas quæ ad Sanctos & Deo charos homines referuntur. Primum in eo discrimen est, quod Deum oramus eo cultu religionis, quo illum omnis boni fontem, & largitorem esse profitemur: Sanctos vero homines, tum hic peregrinantes, tum una cum Christo regnantes, oramus eo officio charitatis & honoris, quo eos Deo gratos esse, eorumque preces apud Deum ad impetrandum pro aliis, quod eorum saluti expediat, efficaces esse agnoscimus. Quod discrimen manifeste apparet in publica illa prece, quæ Litania dicitur, in qua prece Deus, ut nostri misereatur, Sancti vero & beati spiritus, ut Deum pro nobis orent, interpellantur. Deinde alterum quoque discrimen apud antiquos reperias, quod oratio, qua Deum invocamus, simpliciter ad salutem est necessaria, sine qua orationes omnes & interpellationes Sanctorum inanes sunt: preces, quibus Deum invocamus, apud Deum efficaces esse possunt, etiamsi nulla hujusmodi Sanctorum interpellatio accedat. Hanc itaque, de Sanctorum interpellatione, Veterum sententiam fuisse comperimus, consultum esse, ut qui in aliqua necessitate constitutus Dei opem implorat, non præsentes modo in carne, sed beatos illos spiritus, tanquam spiritu præsentes

appel-

appellet & roget, ut una secum Deum unicum omnis boni largitorem precentur, ut facilius illorum quoque precibus accedentibus, quas plurimum apud Deum valere agnoscimus, quod volumus, impetremus. Non igitur hæc quæ de interpellatione Sanctorum dicuntur eò pertinent, ut simpliciter horum interpellatio ad salutem necessaria putetur (notum est enim illud Chrysostomi: Cæterum non opus tibi patronis apud Deum, &c. sed licet solus sis patronóque careas, omnino tamen voti compos eris) sed ut ne temere universam Christi Ecclesiam damnemus, quæ hujusmodi interpellationem, tam regnantium quam peregrinantium Sanctorum, utiles esse Ecclesiæ judicavit: Item, ut nec superbe hujusmodi Sanctorum preces rejiciamus & aspernemur. Quare idem Chrysostomus, cum præposteram in Sanctorum precibus fiduciam reprehendisset; recte alibi monet: His itaque cognitis, inquit, nec Sanctorum preces contemnamus, neque totum in illos projiciamus, sed oremus, ut etiam pro nobis precentur. In hac itaque, quam diximus, sententia, Veteres omnes fuisse apparet, neque ullum ex iis invenias, qui hujusmodi interpellationem reprehendat. Quod enim Augustinus, inquit, Ad quod sacrificium sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen à sacerdote, qui sacrificat, invocantur; de ea invocatione loquitur, quæ Deo propria est. Invocatur enim Deus ad sacrificium, cum nominatim illi sacrificium dedicatur, & ut illud acceptum habeat, & sanctificet, invocatur. Hunc sensum alibi exposit, cum ait de civit. Dei, lib. 8, cap. ult. Quis audivit aliquando fidelium,

Homil. de profect. Evangel.

2 Ad Thessalonicens.

ſtantem ſacerdotem ad altare etiam ſupra corpus martyris, ad Dei honorem cultumque conſtructum, dicere in precibus: Offero tibi ſacrificium Petre vel Paule, vel Cypriane? Alioquin idem Auguſtinus teſtis eſt, in illa ſolenni prece, ſuo loco & ordine martyres recitari, non quidem ut pro ipſis oretur, tract. 84 in Iohannem, ſed ut orent ipſi pro nobis. Nolo autem hic commemorare, quam mala fide nonnulli in hac Sanctorum interpellatione convellenda verſati ſint. Nam cum ſciant religioſis animis reverentiam venerandæ illius vetuſtatis inſitam eſſe, & ipſi in animis quoque ſuis fulgore auctoritatis illorum percellantur, ipſa Patrum teſtimonia, contra manifeſtam ipſorum Patrum ſententiam, obtorto collo trahunt, & ut fucum imperitioribus faciant, ipſas non modo ſententias non modo falſo torquent, ſed verba etiam ipſa immutant, ut in celebri quodam volumine Germanico, quo recuſatæ ſynodi, & defectionis Romanæ Eccleſiæ cauſæ redduntur, haud ita pridem edito, & multis, utraque lingua, veterum, & recentiorum teſtimoniis referto, eſſe conſtat. Nam quod Ambroſius in Epiſtola ad Romanos adverſus gentilium Deos ſcripſit, Solent miſera uti excuſatione, per iſtos (intellige minoris ordinis Deos) iri ad Deum, ſicut per comites itur ad regem, auctores hujus præclari voluminis vocem (iſtos) in (juſtos) commutarunt, idque in Germanica quoque verſione ſequuti ſunt, Durch die Heiligen/ convertentes, ut videlicet imperitis, & minus in veterum lectione verſatis, ab Ambroſio ſanctorum & juſtorum ſpirituum interpellationes damnari perſuadeantur. De quo quid idem

Am-

Ambroſius ſenſerit, ex aliis ejus ſcriptis manifeſtum eſt: alioqui & illud verum eſt, apud Deum non opus eſſe mediatoribus, præter unum mediatorem Chriſtum, neque hoc quicquam interceſſioni, in hac mortali vita peregrinantium, ſive in illa immortali vita regnantium adverſatur: non enim ad Deum accedentes, ideo Sanctos conde-precatores adjungimus, quod credamus Deum, niſi illis interceſſoribus, exaudiri & miſereri, aut non poſſe, aut non velle: ſed quod perſuaſi ſumus, multorum & quidem juſtorum preces multum apud ipſum valere. Pari quoque fide, ubicunque apud Patres, de ſolius Dei oratione & invocatione aliquid agitur, id adverſus Sanctorum interpellationem adducunt: ſed hæc obiter monuiſſe ſufficiat. Apparet igitur ex his quæ diximus, quam nil habeat abſurdum, aut divinis literis contrarium, hujuſmodi interpellatio Sanctorum, ſi ad eum ſenſum, quem jam expoſuimus, exemplo vetuſtatis intelligatur. Quapropter melius auctoritati & paci Eccleſiæ conſuluiſſent præcipui quidam hujus ordinis Proteſtantium, ſi in ea ſententia, quam initio cum veteri Eccleſia communem habebant, permanſiſſent, atque intra abuſum tantum reprehenſionem conſtituiſſent. Nota ſunt quæ ſcripſit Lutherus ad Georgium Spalatinum Anno 18. Mi Spalatine, non fuit mens mea unquam venerationem Sanctorum eſſe ſuperſtitioſam, atque invocationes eorum pro cauſis vel corporaliſſimis: hoc enim ſapiunt hæretici illi vicini noſtri Picardi in Bohemia, &c. Idem in Epiſtola ad Erfurdienſes, Anno 22, Sinite ut divorum implorent nomina, quando ita volunt, ea tamen lege, ut ſciant ſibi cavendum, ne quam fiduciam &

præsumptionem, persuasione falsa inducti, in ullum Sanctorum ponant, sed in solum Christum, &c. Oecolampadius in annotationibus in sermon. Chrysostomi in Iuvencum & Maximum: Neque Sanctos, inquit, orare inficias irem, neque impiorum & idolatrarum esse asseveraverim cum illis, implorare patrocinia Sanctorum. Sancti in cœlis sua charitate flagrantes, non desinunt pro nobis intercedere. Quid igitur mali, si hoc petamus, fiet, quod credimus Deum velle, etiamsi nil tale præceperit? Bucerus ad Episcopum Abrincensem: Si quis, inquit, perpensa infinita illa Dei in Sanctos indulgentia & facilitate, & simul illorum in nos miseros adhuc conservos suos & conmembra charitate, animi ardore huc prorumpat, ut illos præsentes præsens appellet, proque se intercedere ad Deum roget, id licet in nulla scriptura doceatur, si tamen sic fiat, non damnamus. Ac post, In animis, inquit, sic comparatis, ubi nil videmus tribui humanis meritis, omnia vero misericordiæ Dei, & redemptioni Domini nostri Iesu Christi, ita quod divos, ut pro se orent, invocant, licet id faciant, absque ullo & sensu & exemplo scripturæ, damnare non possumus. Atque ad hunc solum modum, videmus ab Orthodoxis patribus Sanctorum cœlitum invocationem usurpatam, & traditam. Quam sunt hæc dissimilia eis, quæ hodie publicis, & celeberrimis scriptis, sanctissimis illis Patribus sacrilegii & idolatriæ crimen impingunt? quos admonendos putamus, ne dum gloriam Dei asserere videntur, in blasphemiæ crimen incurrant, & Deum mendacii arguant, qui cum pollicitus sit, ad futurū se Ecclesiæ suæ usque ad consummationem seculi, statim Ecclesiam suam ita reliquerit,

querit, ut eam ſacrilegii & idolatriæ crimine pollui, atque in eo hactenus crimine hærere permiſerit. Quanquam non video quomodo Eccleſiæ nomen tueri poſſit, quæ talem doctrinam in conſuetudinem receperit, qua Chriſti meritum obſcuretur, Deo proprius honor eripiatur, ac creaturis vindicetur, & cum hoc præcepto pugnetur, quo jubet Chriſtus in nomine ſuo preces fieri, & mandatum hoc violetur: Dominum Deum tuum adorabis. Hæc enim omnia totidem verbis in celebri quodam ſcripto, huic de interpellatione Sanctorum patrum doctrinæ objecta legas, quo loco etiam diſertis verbis, hujuſmodi Sanctorum interpellatio idolatria nominatur. Certe egregia illa certamina, quæ ſanctiſſimi illi, & doctiſſimi viri pro aſſerenda Dei gloria, & gratia Dei propaganda ſuſceperunt, alia elogia merebantur.

Cent. 5 Eccleſ. Hiſtor. pag. 613.

De Meritis & Interceſſione Sanctorum.

QVod alterum locum attinet, de meritis & interceſſione Sanctorum, quibus Eccleſia in ſolennibus quoque precibus ad Deum patrem per Chriſtum juvari poſtulat, cur huic vetuſtiſſimæ conſuetudini tam odioſe reſiſtatur, cauſa non eſt. Nam primum manifeſtum eſt, quam ingens diſcrimen inter meritum Chriſti, & merita Sanctorum ab omnibus eccleſiaſticis ſcriptoribus conſtituatur, cum meritum Chriſti unicum ſit precium redemptionis noſtræ, quo ſolo à peccato & morte æterna redimimur, & Deo reconciliati, in filios, & hæredes vitæ æternæ adoptamur: merita vero Sanctorum, opera eorum bona ſunt, ex fide, &

operatione Spiritus ſancti facta, quæ Dei in ipſis dona ſunt, atque ea tamen pro ſua benignitate ita grata & accepta habet, ut propter ipſa non ipſos ſolum præmiis afficiat, ſed aliis etiam ejuſdem corporis membris beneficia conferat. Hanc enim communionis Sanctorum Deus vim eſſe voluit, ut membrorum inter ipſa quædam connexio eſſet, ut infirmiora membra firmiorum membrorum virtute ſuſtentarentur. Sane manifeſtiſſimũ eſt ex literis divinis, ſanctorum hominum merita prodeſſe aliis, cum enim dicit angelus vicem Dei repræſentans, propter quinquaginta juſtos, ſe dimiſſurum omni loco, quid quæſo aliud eſt, niſi quinquaginta juſtorum merita profutura omni illi loco, ne funditus deleatur? quod non modo ad vivos, ſed etiam vita hac immortali defunctos, referri conſtat, cum polliceatur Deus ſe protecturum urbem Hieroſolymam, propter ſe & propter David ſervum ſuum: quod non de promiſſione tantum facta Davidi, ſed etiam de virtutibus, & Davidis meritis intelligendum eſſe, alius locus declarat. Sic legitur 3 Reg. 15, de Abiam filio Roboam Regis Iudæ: Sed propter David dedit ei Dominus lucernam in Hieruſalem, eo quod feciſſet David rectum in oculis Domini. Quare & B. Chryſoſtomus ſuperiorem illum locum, ubi ſe Deus protecturum civitatem pollicetur, propter David ſervum ſuum; ad merita Davidis refert, ita enim loquitur: Hic enim S. David non ſolum cum in corpore eſſet, placuit Deo, ſed & poſt mortem ſuam vivis invenitur præſtitiſſe magnum ſolatium. Venit ad Ezechiam Eſaias propheta ac dicit ei: Protegam hanc civitatem propter me & propter David ſervum meum. David mortuus

4 Reg. 19 Iſaiæ 37.

In Pſal. 56. homil. 3.

eſt

est, & merita ejus vigent. O rem admirandam! O ineffabilis clementia! homo mortuus vivo patrocinatur! Atque hanc de communicatione meritorum ecclesiæ sententiam non uno loco Bucerus confessus est, nam contra Abrincensem, sanctis seu divis, ut ipse appellat, cœlestibus, tribuit nostri summam charitatem, nostræque salutis voluntatem, Deo quoque illos tanti esse, ut propter eos nobis plurima largiatur. Ibidem, sicut fidem ipsam, inquit, bonorum operum ac meritorum fontem, donum Dei gratuitum agnoscimus, sic & ipsa opera & merita, Dei gratuita munera confitemur, quæ ex se nihil, ex dignatione autem Dei meritoque Christi, id sive nobis, sive aliis, merentur, quod illis Deus ex ultronea sua benevolentia rependere statuit. Ibidem, Fatemur, inquit, eam esse communionem Ecclesiæ, ac mutuam Spiritus sancti totius divinæ beneficentiæ subministrationem, ut alii aliorum gratia, ingentia à Deo beneficia, tum interna, tum externa percipiant. Idem in disputatis Ratisbonæ, Anno 46, de publicis Ecclesiæ precibus, quas collectas vocant, in quibus intercessiones, & merita Sanctorum commemorantur, ita scriptum reliquit: Cum in his precationibus, quicquid divorum tribuitur intercessionibus, vel meritis, id totum non ab ipsis divis, sed à misericordia Dei & per Dominum nostrum Iesum Christum petitur; eo ipso, qui sic orant, confitentur & testantur, se ea, quæ à Deo, per Sanctorum intercessionem, & merita orant, agnoscere esse gratuita Dei dona, &c. Nam & nos illud libenter agnoscimus, atque prædicamus, Deum Sanctorum suorum opera remunerari, non tantum in ipsis, verum etiam in iis, quæ ad ipsos

pertinent, & pro quibus ipſi intercedunt: promiſit enim ſe diligentibus & præceptis ſuis ſtudentibus benefacturum in mille generationes. Hinc domum Abimelech regis, non niſi Abraham intercedente, ſanare voluit, & Moyſi donavit ſalutem totius populi, cum pro eo intercederet, hæc ille. Quæ ſi admittantur, ut merito admitti debent, nullus de hoc loco controverſiæ locus relictus videtur. Veruntamen & illud farendum eſt, & multos & magnos errores hoc prætextu interceſſionis & meritorum in vulgi animos & mores invaſiſſe, quibus etiam quorundam doctorum virorum inconſiderata ſcripta & dicta occaſionem & fomentum ſuppeditarunt, quos imprimis, & quidem ſumma diligentia correctos oportuit, ut ex quibus contrarii errores, totius eccleſiæ conſuetudinem damnantium, originem duxerunt, quare niſi remotis cauſis, ea quæ ex cauſis efficiuntur, non facile removentur. Primus itaque error eſt, quod impii homines & in peccatis perſeverantes, ac nullam vitæ emendationem meditantes, Sanctorum interceſſioni, ac meritis temere confidunt, nec ipſi pœnitentia ducti preces ſuas ad Deum adjungunt, quem errorem non uno in loco Chryſoſtomus graviter reprehendit. Quando, inquit, quod ex nobis eſt ſimul afferimus, & accedit interceſſio Sanctorum, plurimum nobis confert: quod ſi ipſi fuerimus negligentes, & ſpem in illis ſolis collocaverimus noſtræ ſalutis, nil amplius nobis prodeſt. Idem alibi, Etiamſi Abraham Patriarcha pro iis ſupplicet, qui in ſuis vitiis permanendo, immedicabiliter ægrotant, abibit Deus, relinquens rogantem, &c. Non igitur quaſi oſcitantes & deſides ex aliorum meritis

In Geneſ. Homil. 43

In Matth. Homil. 5.

pen-

pendeamus: habent enim vim pro nobis, & quidem maximam orationes ſupplicationeſque Sanctorum, ſed tunc profecto cum nos quoque id ipſum per pœnitentiam poſtulamus, & ad ſtudia meliora confugimus. Hæc autem falſa, & pernitioſa opinio, quantum in vulgus invaluerit, nimis compertum eſt: exiſtimarunt enim homines improbi & in ſceleribus ſuis perdurantes, ſola Sanctorum (quos ſibi patronos delegerunt, & frigidis, ne dicam prophanis ceremoniis coluerunt,) interceſſione, & patrocinio veniam ſibi, & gratiam apud Deum eſſe paratam: quæ pernitioſa opinio, quantum etiam fieri potuit, commentis miraculorum confirmabatur. Alter error eſt, quod homines etiam non mali, certos ſibi Sanctos, tanquam patronos, & tutores delegerunt, in eorum meritis atque interceſſione plus quam in Chriſti merito fiduciam poſuerunt, atque adeo, unico illo advocationis Chriſti officio obſcurato, Sanctos, atque imprimis Virginem Matrem, in illius locum ſubſtituerunt. Imo non defuerunt, viri etiam celebres, qui aſſererent, id quod Heſter Aſſuero promiſit ſe petenti, dimidium regni daturum, in Maria completum eſſe, in quam Deus regni ſui, quod judicio & miſericordia conſtat, dimidium, hoc eſt, miſericordiam tranſtulerit, altera regni parte ſibi retenta. Hinc illi tituli paſſim virgini tributi; Regina cœli, mater miſericordiæ, vita, ſpes noſtra, lux eccleſiæ, advocata & mediatrix. Quæ & ſi commodam interpretationem admittant, ea tamen non ſemper omnibus, præſertim rudibus, & imperitis occurrit. Quid, quod totum pſalterium, ſublato ubique Domini nomine, in nomen Dominæ commutatum legitur? Quin & *Gabriel Biel. in Can. lect. 8.*

eo

eo ventum est, ut etiam Christus, jam in cœlo regnans, matri subjiciatur: quomodo in nonnullis Ecclesiis canitur:

Ora matrem, & jube filio.
O felix puerpera, Item
Nostra pians scelera,
Iure matris impera
Redemptori.

Sed his opponi debent, quæ à sanioribus scriptoribus etiam Scholasticis pie traduntur: ut vel illud Bonaventuræ, cum ait: Etiamsi mater sit habenda in reverentia, multo major tamen est habenda erga Filium, ex quo est illi omnis honor & gloria, qui est omnium redemptor & Salvator, qui omnibus aperuit januam, & unus pro omnibus mortuus est. Idem cavendum docet, ne dum Matris excellentia ampliatur, Filii gloria minuatur, & sic in illo Mater provocetur, in quo magis vult filium extolli & honorari, quam seipsam, utpote Creatorem creatura. Hæc quamvis de originali peccato loquatur, à quo solum Christum, non etiam Virginem Matrem excipi vult, tamen etiam ad intempestivos illos Virginis honores, quibus non solum Filio æquatur, sed etiam antefertur, accommodari possunt. Tertiò nonnunquam error accidit in meritis Sanctorum, quibus nonnulli sanctificandi & redimendi vim tribuere videntur, quod soli Christo Deo, & homini proprium est, de cujus plenitudine omnes accepimus, & cujus vibice sanati sumus. Quod si in Veteribus aliquid hujusmodi legatur, id ad exempla, & preces referendum est, & ad eam communicationem meritorum, de qua supra diximus, quæ per

seipsa

ſeipſa non ſanctificant, ſed ſanctificationis beneficium ex unico Chriſti merito, & fide in ipſum impetrant: alioqui religioſiſſime ſcripſit Leo Pontifex: Quis eſt, inquit, qui tradidit ſeipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo? aut quod unquam ſacrificium ſacratius fuit, quam quod verus Pontifex altari crucis per immolationem ſuæ carnis impoſuit? Quamvis enim multorum Sanctorum in conſpectu Domini precioſa mors ſit; nullius tamen inſontis occiſio propitiatio fuit mundi: accepere Sancti, non dedere coronas: & de fortitudine fidelium exempla nata ſunt patientiæ, non dona juſtitiæ. Eſt & hic error haud infrequens, quod veteribus & compertis Sanctis propemodum neglectis, novos & incognitos vulgus hominum ardentius & impenſius colat, de quorum ſanctitate obſcurius conſtat, & nonnulli per revelationes tantum innotuerunt, atque adeo de quibuſdam, an unquam in rerum natura fuerint, merito dubitatur. Quorum cultum figmenta hiſtoriarum, & impoſturæ miraculorum mirifice auxerunt, quæ figmenta etiam compertorum Sanctorum hiſtorias conſpurcarunt, quos quiſque pro ſuo affectu commentus eſt. Huc etiam referri poteſt, quod vulgi imperitia divinos honores Sanctis attribuit, ut cum templa, aræ, ſacrificia, ſacerdotia, vota, feſti dies, non tantum memoriæ, ut veteres loquebantur, ſed honori, & cultui Sanctorum conſecrata putantur, quem errorem Auguſtinus ſubinde refellit. Nos, inquit, martyribus, non templa ſicut diis, ſed memorias, ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum ſpiritus vivunt, fabricamus, nec ibi erigimus altaria, quibus ſacrificium martyribus, ſed uni Deo, & mar-

martyrum & noſtro, ſacrificium immolamus.
De Civit. Dei, lib. 20. Idem alibi: Nec tamen iiſdem martyribus templa, ſacerdotia, ſacra, & ſacrificia conſtituimus, quando non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus: honoramus ſane memorias eorum, tanquam Sanctorum hominum Dei. Sed de hac re non incommode loquitur Guilhelmus Durantus Epiſcopus Miniatenſis. Ad latriam, inquit, pertinent templa & altaria, ſacerdotia, ſacrificia, feſtivitates, ceremoniæ, & hujuſmodi quæ ſoli Deo ſunt exhibenda, juxta illud: Dominum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies, id eſt, ſoli Deo ſervitutem adorationis impendes, non enim Sanctis & Angelis ad honorem Dei, ſed potius Deo ad honorem Sanctorum & Angelorum dedicantur templa, & altaria conſecrantur, & ſacrificia offeruntur: nec ipſis adorationis ſervitus, ſed ſoli Deo impenditur, ne ſi ſecus fiat, non προσβέιας cultus exhibeatur, ſed idololatriæ crimen incurratur, ſerviendo creaturæ tanquam creatori. Hæc rationale divinorum, non prorſus ſine ratione, loquitur.
Libro 8. Cap. ult.
Libro 4. Cap. 36.

De Veneratione Reliquiarum.

DE Veneratione Reliquiarum & locorum ſacrorum, in quibus Sanctorum corpora vel cineres condebantur (quas memorias appellabant) manifeſtum eſt, olim hujuſmodi reliquias, præſertim martyrum, ut quæ fuerint membra Chriſti, & templa Spiritus ſancti, ſummo in honore habitas fuiſſe, ita ut ad illorum memorias, ſolennes & celebres conventus haberentur, in quibus & ſacrificium Deo offerebatur, & Sanctorum virtutes

tes prædicabantur. Cur autem hujuſmodi memoriæ tanto honore frequentarentur, cauſam exponit B. Auguſtinus: Vt ea, inquit, celebritate, & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum eodem vocato in auxilium, & eorum memoriæ renovatione adhortemur: Item, ut meritis eorum conſociemur, & orationibus adjuvemur. Ita legimus ad hujuſmodi loca martyrum reliquiis inſignia, & vota nuncupata, & peregrinationes ſuſceptas. Quæ omnia, tum utiliter fiebant, cum adhuc recens, & certa memoria martyrum vigeret, & Deus indubitatis miraculis eos, qui mortui putabantur, ſibi vivere declararet. Atque hæc omnia eo referebantur, ut fides, quam illi moriendo profeſſi ſunt, his tanquam ſignis confirmaretur. Ita Auguſtinus conclamante populo, miraculo ad memoriam B. Stephani edito. Quid, inquit, aliud erat in cordibus exultantium, niſi fides Chriſti, pro qua Stephani ſanguis effuſus eſt? Et paulo poſt cap. 9, Cui, inquit, niſi huic fidei atteſtantur iſta miracula, in qua prædicatur Chriſtus reſurrexiſſe in carne, & in cœlum aſcendiſſe in carne? Paulinus in Epiſtola ad Macarium, Deum ait per Apoſtolos & martyres virtutes operari, ut credamus Dei filium & Dominum noſtrum Ieſum ex reſurrectione mortuorum regnantem in cœlis ad dexteram Patris vivorum eſſe Dominum, non mortuorum. Verum in hæc paulatim abuſus irrepſit. Nam queritur Baſilius jam ſuo tempore conſuetudinem, quæ apud ſanctos viros obtinuerat, corruptam fuiſſe, nam pro eo quod in hujuſmodi conventibus, quæ in martyrum memoriis agebantur, alius pro alio precari deberet, & per ſermonem

De civit. Dei. lib. 8. Capit. ult.

Cont. Fauſtum lib. 26. Cap. 21.

De civit. Dei lib. 22. Cap. 8.

In defin. Iatoribus Cap. 40.

nem adhortationis mutuo se ædificare; nundinas & quasi publicum emporium ex sacratis martyrum locis factas esse, quas absurditates pro suo commercio approbare non debeant. Quin & Ambrosii & Augustini temporibus mos invaluerat, ut populus ad martyrum memorias epulas inferret, quod à melioribus Christianis non fieri, & à B. Ambrosio Mediolani interdictum testatur. Constat quoque posterioribus temporibus, nimium reliquiis & memoriis Sanctorum indultum & tributum fuisse, sic ut à bonis quoque viris pio zelo præditis, summa quasi religionis in hujusmodi reliquiis conquirendis, auro, & gemmis exornandis, & memoriis seu templis sumptuosissimis ædificandis posita putaretur, & ab improbis quoque hominibus falsa fiducia in cultu inepto & superfluo reliquiarum collocaretur. Quare in Concilio Cabilonensi reprehenduntur, qui Romam aut Turonum sub prætextu orationis peragrant, putantes frequentatione horum locorum se à peccatis purgari & impune peccare. Accesserunt & alia mala, quod avaritiæ causa ad simplicem populum illiciendum falsæ reliquiæ supponebantur, & ficta prædicabantur miracula, iisque miraculis populi superstitio alebatur, ut magis in admirationem miraculorum raperetur, quam ad Sanctorum imitationem, vel vitæ emendationem provocaretur: nonnunquam autem astu, & illusione dæmonis, hominum superstitione abutentis, per insomnia & visa, novæ reliquiæ revelabantur, & ejusdem operatione miracula edi videbantur. Hinc decretum illud Lugdunensis, cap. 62, Prælati non permittant populum vanis figmentis aut falsis documentis decipi, sicut occasione quæstus

De civit. Dei, l. 8. cap. ult.

Lib. 6 Confessionum, cap. 2, 64.

cap. 45.

fieri

fieri consuevit: & in Concilio Carthaginensi, Canon. 14, Altaria, quæ per somnia & inanes revelationes constituuntur, omnino reprobari videntur. Item, Permulti reperti sunt, qui Sanctorum reliquias seu falsas seu veras quæstui habuerunt, ita ut passim à circumforaneis & vilissimis hominibus, instar sacrorum Isidis circumferrentur, & multis mendaciis imperito vulgo commendarentur. Illud quoque jam inde ab aliquo tempore præter antiquum morem invaluit, ut Sanctorum corpora supra ipsa altaria, qui locus soli corpori Christi deberi putabatur, collocarentur, quæ sub altari poni consueverant. Sic Ambrosius de inventione reliquiarum Gervasii, & Protasii: Ille, inquit, Christus videlicet, super altare, qui pro omnibus passus est: isti sub altari, qui ipsius redempti sunt sanguine. Hodie vero cum passim omnia reliquiis Sanctorum plena esse videntur, verendum est, ne si Episcopi & Principes in veris reliquiis inquirendis & dijudicandis eam, quam debent, operam adhiberent, ingentes & detestandæ impostura patefierent, quemadmodum in nonnullis locis factum est, & olim B. Martino accidit, qui cum locum quendam suæ Diœcesis, monumento cujusdam tanquam martyris celebrem, adiisset, deprehendit non martyris, sed scelesti latronis monumentum à populo cultum & frequentatum, quod everti statim & exscindi jussit. Quamvis illi quoque probari non debeant, qui odio superstitionis certa piorum hominum monumenta violarunt, & ossa sive cineres, quibus etiam barbarissimi homines pepercerant, summa cum ignominia abjecerunt & dispersérunt. Cum igitur veræ & compertæ reliquiæ, præsertim in

his provinciis, perpaucæ sint, & multæ ex iis, quæ ostentantur, non temere suspectæ haberi possint, atque illarum frequentatio & veneratio non multum pietati, plurimum vero superstitioni vel quæstui seruiant; multo consultius videtur, ut ab omni reliquiarum ostentatione abstineatur, & populus ad veras Sanctorum reliquias colendas, id est, exempla pietatis & virtutum, quæ in scriptis vel ab ipsis, vel de ipsis extant, imitanda provocetur.

De Imaginibus & simulachris.

AD imagines vero Sanctorum quod attinet, certum est, initio prædicati Euangelii aliquanto tempore inter Christianos, præsertim in Ecclesiis, imaginum usum non fuisse, ut ex Clemente & Arnobio patet, tandem picturas in Ecclesiam admissas, ut rerum gestarum historiam exprimentes, aut Sanctorum virorum vivas effigies referentes: illæ enim solæ imagines dicendæ sunt, quæ speciem archetypi, quam proxime fieri potest, repræsentant. Hinc scribit Eusebius, suo quoque tempore imagines Apostolorum Petri & Pauli, denique & ipsius Christi, in tabulis depictas honoris causa, quamvis gentili ritu, aliquot locis seruatas, atque à se visas fuisse. Et Irenæus Gnosticos scribit imaginem Christi cum imaginibus mundi Philosophorum coluisse: formam enim Christi à Pilato factam dicebant, quo tempore Christus cum hominibus fuit. Eo quoque modo Gregorius Secundino imaginem Christi Seruatoris petenti transmisit, id cauens, ne id ut Deum colat, sed ex aspectu imaginis oblata Christi recorda-

Lib. 7 Eccles. hist. cap. 8. *Greg. Ruff. 14.* *Irena. lib. 1, c. 2.*

cordatione in ejus amorem accendatur. Huc etiam pertinet Thoracides Petri, & Pauli, ex quibus Constantinus Petrum & Paulum, qui per quietem sibi apparuerant, agnovisse scribitur in vita Sylvestri: & B. Ambrosius de inventione corporum Gervasii, & Protasii, personam sibi apparuisse scribit, quæ similis esse B. Paulo videbatur, cujus, inquit, me vultum pictura docuerat. Solebant item imagines quædam ita depingi, ut non expressam aliquam rei effigiem, sed typum quendam & symbolum alicujus rei adumbrarent, quomodo apud Paulinum, ut Spiritum sanctum in specie columbæ, ita Christum in specie agni figuratum legimus. Crucis vero signum undique corona floribus contexta cinctum depingebatur. Ejusmodi imaginem pictam Paulinus in ingressu Basilicæ suæ locaverat, subjectis his pulcherrimis versiculis, qui symboli illius notionem explicant:

Cerne coronatam Domini super atria Christi;
Stare crucem, celso spondentem celsa labori
Præmia, tolle crucem, qui vis auferre coronam.

Cruci quoque insidebant columbæ, quem typum aliis versibus aperuit:

Quæque super signum residunt cœlestes columbæ,
Simplicibus produnt regna patere Dei.

Ex quibus apparet, Christum magis in typo agni, quam effigie humana depingi consuevisse: quod usque ad tempus sexti Concilii generalis obtinuisse videtur, in quo statuitur, ut pastores in posterum non in agni typo, ut fieri consuevit, sed humano charactere Christum exprimant: & satis apparet ex scriptis Gregorii, quamvis ejus ætate

ſuperſtitio in cultu Sanctorum non parum invaluerat, tamen picturas tantum in Eccleſiis admiſſas fuiſſe, non item ſtatuas, vel ſimulachra. Sane ex Auguſtino conſtat, ejus ætate ſimulachrorum uſum in Eccleſiis non fuiſſe, ex his quæ ſcripſit in Pſal. 113, ad verſiculum illum: Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Hoc enim (inquit) venerantur, quod ipſi ex auro, argentoque fecerunt. Sed enim & nos plerſaque inſtrumenta & vaſa in hujuſcemodi materia vel metallo habemus in uſum celebrandorum Sacramentorum, & ſunt profecto etiam iſta inſtrumenta vel vaſa, quid aliud quam opera manuum hominum? veruntamen nunquid os habent, & non loquuntur? nunquid oculos habent, & non viderunt? nunquid eis ſupplicamus, quia per ea ſupplicamus Deo? Mox vero: Non ſolum pictoribus quidvis ſuo arbitratu pingendi licentia permiſſa eſt, ſed & ſtatuæ & ſimulachra eâdem licentia exſculpta, non templa modo, verum etiam ipſas aras occuparunt. Quod quanti periculi ſit, oſtendit Auguſtin. ad Deo gratias, & idola quidem inquit omni ſenſu carere quis dubitat? Veruntamen cum his locantur ſedibus, honorabili ſublimitate, ut à precantibus atque immolantibus attendantur, ipſa ſimilitudine animatorum membrorum atque ſenſuum, quamvis inſenſata & exanima, afficiunt infirmos animos, ut vivere ac ſpirare videantur, accedente præſertim veneratione multitudinis. Item Auguſtinus ſermon. quodam, ſtatuas pro numine haberi ex eo concludit, quod in ara locantur. Nam illi (inquit) quod numen habeant; & pro numine colant illam ſtatuam, ara teſtatur, &c. Quam autem abominandum duxe-

rint

rint Christiani, si in altari, quæ sedes est corporis & sanguinis Domini, simulachrum vel imago imponeretur, manifestum est ex Optato, qui Augustinum anteceſſit: nam Donatistæ, ut odium Catholicis concitarent, jactabant venturos qui interessent sacrificio, ut altaribus aptatis ante sacrificii oblationem prolatam imaginem in altari ponerent, quod qui audiebant, dicebant: Qui deguſtat, de sacro guſtat, & recte (inquit Optatus) dictum erat, si talem famam similis veritas sequeretur. Verum nil tale visum est ex eo, quod fuerat paulo ante mentita fama, nil viderant oculi Christiani quod horrerent, visa est puritas, & ritu solito solennis consuetudo perspecta est. Epiphanius sane graviter invehitur in muliercularum quarundam superstitionem, quæ simulachrum Virginis circumgestabant, eique colyridia offerebant. Vnde, inquit, simulachristicum hoc studium, & diabolicus conatus, &c. Quin & Iohannem Episcopum Hierosolymorum ab eo reprehensum constat, quod in oratorio quodam ejus diœceſis imaginem seu Christi, seu alterius cujusdam in velo expressam, contra Ecclesiæ consuetudinem pendentem reperisset: quare velum illud à se conscissum commemorat. Quantum autem veteres initio Ecclesiæ ab omni veneratione imaginum abhorruerunt, declarat unus Origenes adversus Celsum. Allatum fuerat à Celso dictum Heraclisti, quo ille indicabat, stulte facere eos, qui simulachris preces offerunt, nisi norint Deos, & Heroas quinam sint; respondet Origenes, sciri posse Deum & ipsius Vnigenitum, & eos, quicunque à Deo honorantur Deorum appellatione, Deitatis ejus participes, diverſos esse, à diis gentium, qui

Lib. 2 cont. Parmenian.

Cont. Celsum, lib. 7.

ſunt dæmonia, impoſſibile tamen eſſe, ut qui Deum novit, fiat ſupplex ſtatuis: nec hoc tantum ſtultum eſſe, ſi quis preces ſimulachris offerat, ſed etiam cum id aliquis ſimulat vulgi opinionibus ſe attemperans: nil enim adulterum debet eſſe in anima hominis vere pii erga Deum. Nos vero ideo quoque non honoramus ſimulachra, quia quantum poſſumus cavemus, ne quando incidamus in eam credulitatem, ut & iis tribuamus divinitatis aliquid. Nec valebat tunc illa ratio quæ à nonnullis obtendi ſolet, honores iſtos non ſimulachris, ſed iis, quorum ſpeciem repræſentant, deferri: hic enim color à Paganis quoque adferri ſolebat, ut apud Arnobium: Non (inquiunt) materias æris, auri, argenti, & alias, ex quibus ſigna conficiunt, eos per ſe Deos eſſe & religioſa numina diſcernimus, ſed eos in his colimus eoſque veneramur, quos dedicatio infert ſacra: & apud Lactantium: Non ipſa inquiunt ſimulachra timemus, ſed eos, ad quorum imaginem ficta, & quorum nominibus conſecrata ſunt. Verum hunc cultum, qui Deo per imagines exhibetur, non ſatis caſtum & convenientem eſſe Deo, ſed à ſuperſtitioſis hominibus excogitatum, ex Paganis quoque prudentiſſimi animadverterunt. Auctor eſt enim Auguſtinus, Varronem dixiſſe, antiquos Romanos pluſquam annos centum, & ſeptuaginta, Deos ſine ſimulachro coluiſſe. Quod ſi, inquit, Varro adhuc manſiſſet, caſtius dii obſervarentur: atque hujus ſuæ ſententiæ teſtem adhibebat inter reliquos etiam gentem Iudaicam. Hanc veterum Romanorum in colendis diis conſuetudinem, etiam Tertullianus & Clemens teſtantur, Clemens vero ſcribit: Numam auctorem hujus inſtituti Pytha-

Pythagoræum fuiſſe, & ex iis quæ à Moyſe tradita ſunt adjutum, Romanis prohibuiſſe, ne imaginem ullam Deo facerent. Idem Clemens tradit Chriſtianis vetitum fuiſſe, artem fallacem exercere: appellat quoque ſpecioſum quidem, ſed improbum artificium, quod poſtquam floruit, auctus eſt error: & Propheriam citat, quæ dicit: Res hic ſe habebunt infeliciter, quando crediderint ſtatuis. Hæc quidem initio Chriſtianorum, odio Paganiſmi, qui potiſſimum in ſimulachrorum cultu verſabatur, ſententia fuit, tandem vero, quando exoleto propemodum Paganiſmo, & Chriſtianiſmo aucto, periculum illud adorationis & cultus imaginum minus timeretur, animis Chriſtianorum in ſyncero Dei cultu ſatis inſtitutis & confirmatis, picturæ in templis receptæ ſunt, idque jam tum ætate Ambroſii, Paulini, Gregorii, Niſſeni, Prudentii receptum fuiſſe, ex eorum ſcriptis conſtat. Auguſt. de conſenſu Euangeliſt. lib. 1, cap. 10, de gentibus ſcribit qui Chriſtum ad Petrum & Paulum ſcripſiſſe fingebant: Credo, inquit, quod pluribus locis ſimul eos cum eo pictos viderunt, ſic omnino errare meruerunt, qui Chriſtum & Apoſtolos ejus non in ſanctis codicibus, ſed in pictis parietibus quæſiverunt. Idem teſtatur ſua ætate in Eccleſia Catholica, & picturas & picturarum adoratores fuiſſe, quos ſuperſtitionis arguit, & corrigendos affirmat. Quæ res fortaſſis Epiſcopos in Concilio Elibertino movit, ut decernerent picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur, in parietibus depingatur. De his picturis, quæ fuerit mens, & ſententia Romanæ Eccleſiæ adhuc ætate Gregorii, ſatis ex ejus ſcriptis manifeſtum eſt, videlicet ideo haberi pictu-

ras, non quidem ut colantur, & adorentur, sed ut imperiti picturis inspiciendis, haud aliter ac literis legendis, rerum gestarum admonerentur, & ad pietatem incitarentur. Quare cum Serenus Episcopus Massilienſis superstitione populi picturas & imagines adorantis offensus, eas confregisset, à Gregorio admonebatur, & quidem, quod adorationem prohibuerit, laudatur, sed non continuo confringendas fuisse imagines, sed docendum populum, cur in Ecclesiis pictura adhibeatur, nimirum ad ædificationem imperitorum, ut nescientes literas, in parietibus saltem videndo legant, quæ in codicibus legere nequeunt. Itaque non prohibendum, si quis imagines facere voluerit: adorare vero imagines omnibus modis devitandum, ut ex visione rei gestæ ardorem compunctionis percipiant, & in adoratione solius omnipotentis Trinitatis humiliter prosternantur. Cum autem apud Græcos acres contentiones & magni motus imaginum causa extitissent, nec illi sibi constarent, aliis atque aliis, nunc imagines omnes confringentibus & delentibus, nunc vero coli, & adorari jubentibus, Ecclesia Romana confractionem omnino damnavit, usum vero in ecclesia Romana & per totum fere orbem jam receptum retinendum censuit. Quam consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, quæ pariter confractionem & adorationem improbat, Gallicanæ & Germanicæ Ecclesiæ aliquot seculis diligenter secutæ & fortiter tutatæ sunt, usque adeo, ut cum in Synodo Nycena sub Constantino & Irene, de imaginibus adorandis, aliquot decreta edita fuissent, atque exemplar illius Græcanicæ synodi Francofortum, (ubi tunc à Carolo, Episcoporum Germaniæ, Gal-

Lib. epist. 109. & lib. 9. Epist. 9.

Galliæ, Aquitaniæ, Italiæ, adversus Felicem quendam Orgelitanum Episcopum, Christum ratione humanæ naturæ filium adoptivum asserentem, frequens synodus habebatur,) allatum, & jussu Caroli diligenter lectum fuisset, cui synodo etiam Legati Romani Pontificis interfuerunt; summo Patrum consensu Græca illa Synodus, qua parte imagines adorandas censebat, improbata & damnata fuit, ut quæ non modo divinis literis, & antiquæ Patrum traditioni, sed etiam consuetudini Romanæ Ecclesiæ adversaretur. Quæ damnatio etiam actis, & capitibus illius Francofordiensis synodi inserta fuit, atque ea de re Caroli ipsius titulo quatuor libri conscripti fuere, quorum Hincmarus Episcopus Rhemensis meminit, & eorum exemplum hodieque in Bibliotheca Vaticana, & in nonnullis Galliæ locis extat. Qui libri & rationes Orientalium Patrum diligenter confutant, & quæ hactenus fuerat Romanæ Ecclesiæ, sententiam acriter defendunt. Quæ sententia breviter comprehenditur in Epistola Gregorii ad Serenum Episcopum Massilienſem, cujus supra meminimus, quam in suo scripto adducit Carolus lib. 2, cap. 23. Cujus hoc est argumentum: Imagines à Beato Gregorio Romanæ urbis antistite, & adorari prohibentur & frangi. Breviter autem, & scite moderatam hanc de usu imaginum sententiam expressit Carolus: Imagines nil, si non habentur, derogant: nil, si habentur, prærogant, cum tamen abdicatæ quandam incautam levitatem afferant, adoratæ vero culpam inurant. Cum autem postea Romani Pontifices Græcis in hac causa paulatim concederent, Ecclesiæ tamen Gallicanæ, & Germanicæ in hac sententia & moderatione,

Lib. 4 Epist.

Lib. 4 adversus Synodum Græcorū, cap. 9.

Vide Ammonium de Gestis Francorū, lib. 5, cap. 28.

tione, quam primum à Romana Eccleſia receperant, in Concilio Francofordienſi improbata, conſtantiſſime aliquot ſeculis perdurarunt, ut ex ſcriptoribus Gallicanis conſtat, in quibus eſt vir eruditus Ionas Epiſcopus Aurelianenſis, qui libro edito ad Carolum Ludovici filium, adverſus Claudium Epiſcopum Thaurinenſem, eum quod imagines confregiſſet, improbat. Quod vero ab eodem Claudio adferebatur, quoſdam imaginum adoratores ad ſuum errorem muniendum reſpondiſſe, non putare ſe imagini, quam adorant, aliquid ineſſe divini, ſed tantummodo pro honore ejus cujus eſt, tali eam veneratione adorare; ad ea Ionas, hoc una ſe cum illo reprehendere, & deteſtari aſſerit. Nam cum ſciant, inquit, imaginibus nil ineſſe divini, majore invectione digni ſunt, quod honorem debitum divinitati, impendant egeno & infirmo ſimulachro: atque idipſum ait nonnullis Orientalium, qui eodem ſceleratiſſimo errori mancipantur, ſe objurgantibus reſpondere ſolere. Concludit autem his verbis: Tribuat Dominus ſua gratuita pietate, ut aliquando tandem & iſti, & illi, ab eadem eruantur ſuperſtitione, & Apoſtolicis diſciplinis ſalubriter inſtructi, traditioni revocentur Eccleſiaſticæ. Sub idem tempus in Germania floruit Walafredus, qui animis hominum in contrarias ſententias diſtractis, cum in libro de rebus Eccleſiaſticis, de imaginum uſu diſſereret, hanc quoque moderationem propoſuit: Sic, inquit, imagines, & picturæ habendæ ſunt & amandæ, ut ne deſpectu utilitas avellatur, & hæc irreverentia in ipſorum, quorum ſimilitudines ſunt, redundet injuriam, ne cultu immoderato fidei ſanitas vulneretur, & corporalibus rebus

bus honor nimie impensus, arguat nos minus spiritualia contemplari. Et post hunc Guilhelmus Episcopus Miniatensis, homo quoque Gallus, in rationali Divinorum: Si (inquit) nec homines nec angeli adorandi sunt, attendant, quid agant, qui sub prætextu cujusdam religionis seu pietatis diversas adorant imagines, non enim licet aliquid manufactum adorare, una tantum Dei patris est imago, quam una cum Patris tantum adoratione adorare debemus. Adhæc Nicetus auctor est, cum Fredericus Philippopolim occupasset, Armenios in ea urbe remansisse, ut qui Alemannorum transitum, non hostium incursus, sed amicorum adventum judicarent, utpote, qui & commercia inter se cogitarint, & in pleriſque religionis dogmatibus consenserint: quippe, inquit, apud Alemannos, & Armenios imaginum adoratio æque interdicta est. Ex quo apparet, Germaniam adhuc ea ætate, in ea, quam supra diximus, Romanæ & Gallicanæ ecclesiæ sententia utcunque perstitisse, quamquam dubium non est, jam tum etiam in his Galliæ & Germaniæ Provinciis nonnullas superstitiones & abusiones in imaginum usum irrepsisse, atque fortasse optandum esset, ut majores nostri huc usque in prisca illa majorum suorum sententia integre perstitissent. Manifestius enim est, quam ut multis verbis explicari debeat, imaginum & simulachrorum cultum nimium invaluisse, & affectioni seu potius superstitioni populi plus satis indultum esse, ita, ut ad summam adorationem, quæ vel à Paganis suis simulachris exhiberi consuevit, & ad extremam vanitatem, quam Ethnici in suis simulachris & imaginibus effingendis & exornandis admiserunt, nil à nostris reli-

Lib. 1 de Imperio Isaaci Angel.

reliqui factum esse videatur. Quare & prudentes in Ecclesia Catholica viri, jam olim modum aliquem huic rei ponendum, & superstitioni occurrendum censuerunt, in quibus fuit Guilhelmus ille Duranti, Episcopus Miniatensis, de modo Concilii generalis celebrandi: Videretur (inquit) utile, quod per Ordinarios, & Rectores locorum, omnes imagines deformes, & in quibus à veritate rei gestæ deviatur, deponerentur: nam quemadmodum si ad Scripturas sacras admissa fuerint officiosa mendacia, nil in iis remanet auctoritatis, & ponderis, &c. Sic enim dictæ picturæ & imagines, quod loco scripturæ & testimonii habeantur, ut per eas ad devotionem & cognitionem gestorum cernentes excitentur, videretur quod nullus error deberet ab iis in Ecclesia tolerari, cum error, cui non resistitur, pro veritate recipitur. Huic consentit Ioannes Billet, Theologus Parisiensis, lib. de divinis officiis, ubi monet de Apostolis & aliis Sanctis sciendum esse, quomodo in Ecclesia depingi debeant, aliter enim mentiremur, inquit, nos in litera laicorum, scilicet in picturis. Prudenter quoque post hoc monuit Gerson in declarationibus defectuum Ecclesiasticorum: Iudicate (inquit) si tanta imaginum & picturarum in Ecclesiis varietas expediat, & an plures simplices nonnunquam ad idolatriam pervertant: & sanioribus Scholasticis displicet sententia Thomæ, qui censeat imaginem eadem adoratione colendam, qua res ipsa colitur, quæ imagine significatur: eamque parum tutam esse ajunt, nisi commoda interpretatione sublevetur, in quibus est Durandus & Robertus Holcoot. Gabriel quoque Biel saniorem sententiam refert eorum, qui dicunt,

Part. 2. Rubr. 51.

De festo Andreæ.

Gabr. Biel. in Canon. Lect. 49.

dicunt, quod imago, neque ut consideratur in se, secundum quod lignum est, lapis, aut metallum, neque ut consideratur secundum rationem signi & imaginis, est adoranda, quia qualitercunque consideretur, est res quædam insensibilis & creatura, cui adoratio latriæ minime est exhibenda. Quod vero Christiana religio imagines sustinet in Ecclesia & oratoriis, non permittit eo fine, ut ipsæ adorentur, sed ut fidelium mentes per illarum inspectiones excitentur ad reverentiam, & honorem exhibendum iis, quorum sunt imagines, in quorum cognitionem recordativam ducunt. Ex illis, inquit, patet, quorundam hominum stolidus error, qui adeo ad imagines afficiuntur, ut in ipsis credant esse aliquid numinis, gratiæ, vel sanctitatis, quibus potentes sint facere miracula, præstare sanitates, ex hoc assurgentes ad eorum venerationem, ut præmissorum aliquid consequantur. Arguitur ex eodem nonnullorum indocta simplicitas, & indiscretio, qua reverentius adorant imagines pulchras, quam turpes, novas quam vetustas: aut è contra ornatas venustiori auro vel purpura, quam nudas, credentes eos sanctiores, quo pretiosiores, & ut Bernardus ait: Offerentes libentius auro tectis, ubi magis cernitur divitiarum cumulus. Arguitur & aliorum rudis levitas, qui improvide vota emittunt, & ad peregrinandum se obligant, nunc ad illam, nunc ad aliam Ecclesiam, intuitu certarum imaginum, credentes illas majori in illa, quam similes in aliis fulgere virtutibus. Quod autem addit: Hæc omnia in variam transire superstitionem, in quam non inciderent, si rationem adorationis, ac veri cultus attenderent, aut si ignorant, informationem humiliter acci-

acciperent; recte quidem dicitur: sed utinam illi à quibus hæc informatio accipienda esset, non ipsi harum superstitionum auctores essent, vel certo eas in animis simplicium hominum aliquando quæstus causa nutrirent. De his quoque abusibus, qui in imaginum usum incidunt, prudenter & graviter monuit R. D. Michael Episcopus Mersburgensis in suo Catechismo, quæ omnibus obvia sunt. Atque utinam ab Episcopis, & Ecclesiarum rectoribus hæc diligenter attendantur, neque vero satis esse videtur, si concionibus & admonitionibus populus ab illis erroribus avocetur, nisi etiam Principum & Episcoporum communiter cura id efficiatur, ut quam minima perturbatione fieri potest, hujusmodi errorum occasio præscindatur. Quamdiu enim serico, auro, & gemmis ornatæ statuæ in templis & aris constituentur, superstitionis finis sperandus non est. Illud quoque inter abusus ponendum est, quod etiam divinitati, in Trinitatis deformatione, simulachrum effingitur, quod Veteres absurdum, & nefarium judicassent. Vide Augustinum de fide & symbolo, cap. 7, non esse arbitrandum Deum humana forma circumscriptum, ut in eo, aut dextrum aut sinistrum occurrat, ne vel in illud sacrilegium incidamus, quod execratur Apostolus, eorum qui commutant gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem corruptibilis hominis, tale (inquit) simulachrum nefas est Christiano in templo collocare: multo magis, in corde, nefarium est. Atque hæc absurditas Patrem, Filium & Spiritum sanctum effigiantium Iacobitis à Nicephoro tribuitur, & Damascenus quodam loco, inquit, insipientiæ summæ est, & impietas, figurare quod est divinum. His ita con-

Lib. 18. *c.* 53.

consideratis, consultum videtur, si res eo adduci possit, ut ad illam moderationem, quam ex sententia Gregorii & priscæ Romanæ Ecclesiæ, majores nostri in Gallia & Germania aliquot seculis tenuerunt, piorum Principum & fidelium pastorum cura & opera redeatur, qua & usus ille, qui ex decente pictura à vulgo haberi potest, conservetur, & superstitio in nimio & incauto illorum cultu, & veneratione vitetur, hoc est, ut rerum gestarum monumenta, non cultus instrumenta habeantur. Est tamen illa non ita recens consuetudo, qua crucis figuræ veneratio in Ecclesiis solenni ritu exhibetur, atque id eo fit, quod non ut simulachrum tantum, sed ut symbolum quoddam & Sacramentum dominicæ passionis habeatur. Quare de hac adoratione ita loquitur Guillielmus Miniatensis: Postea (inquit) adoratur crux, id est osculatur, solus enim Deus adorandus est, cætera vero, ut crux, causa illius veneranda sunt, & Honorius Augustodunensis in Gemma animæ: Nullus (inquit) sapiens crucem, sed Christum crucifixum adorat, crucem tamen venerando salutat, quapropter merito reprehenditur à posterioribus & sanioribus Scholasticis opinio Thomæ, ut minus tuta & periculosa, asserentis crucem Christi adorandam adoratione latriæ, ea videlicet adoratione qua Christus ipse adorandus est, intelligendum autem esse adorari Christum rememorative, ut per crucem rememoratum. Qua de re disputat Ioannes Picus Mirandula conclusione 3, quæ est hujusmodi: Nec crux Christi, nec illius imago adoranda est adoratione latriæ, etiam eo modo, quo ponit Thomas. A Thoma dissentientes commemorat Durandum, Henricum de Gandavo,

davo, Ioannem Guarra, Robertum Holcoot, Petrum de Aquila, Franciſcum Maronis. Non tamen hæc quæ diximus, eo pertinent, ut imagines Sanctorum, ſi in iis modo decorum ſervetur, non aliquo honore illis convenienti & debito affici poſſint, videlicet ſi ut ſigna & monumenta Sanctorum honorifice habeantur, & in gratiam illorum quos ſignificant & referunt, reverenter conſpiciantur & tractentur, modo ab eximio cultu temperetur, & nil divinitatis & virtutis illis tribuatur, ſed eo tantum loco habeantur, quo literæ & voces, quæ rerum abſentium, quas diligimus & veneramur, gratam memoriam ſuggerunt, alioquin optimum eſt, populum, præſertim hoc tempore, ad potiora traducere, & imaginum moderato uſu, pacis, & tranquillitatis cauſa, conſervato, ad cultum veræ imaginis Dei, id eſt, hominis ad Dei imaginem conditi invitare, qui cultus conſiſtit in egenorum ſubventione, qui non modo imaginem Dei, ſed vicem & perſonam Chriſti nobis repræſentant: Chriſtus enim in die judicii, ut in libris ſuis inquit, magnus ille Imperator, non dicturus eſt, Quicquid uni ex imaginibus iſtis feciſtis, mihi feciſtis: ſed quicquid uni ex minimis iſtis feciſtis. Hi ergo nobis ſummo ſtudio colendi ſunt, non ut eos pro Deo veneremur, ſed ut iis propter Deum opitulemur.

Art. XXII. *De utraque ſpecie Sacramenti.*

DE adminiſtratione ſacroſancti Sacramenti Euchariſtię ſatis compertum eſt, univerſalem Chriſti Eccleſiam in hunc uſque diem: Occidentalem vero ſeu Romanam mille amplius à Chriſto annis,

annis, in solemni præsertim & ordinaria hujus Sacramenti dispensatione, utramque panis & vini speciem omnibus Ecclesiæ Christi membris exhibuisse, id quod ex innumeris Veterum scriptorum tam Græcorum, quam Latinorum testimoniis manifestum est, atque ut ita facerent inductos fuisse, primum instituto exemploque Christi, qui hoc Sacramentum corporis & sanguinis sui duobus hisce, panis & vini symbolis, discipulis suis, fidelium communicantium personam repræsentantibus, præbuit, tum quia in Sacramento sanguinis, peculiarem quandam virtutem & gratiam hoc vini symbolo significatam esse credebant, tum ob rationes mysticas hujus instituti, quæ à Veteribus varie adducuntur, videlicet ad repræsentandam memoriam passionis Christi in oblatione corporis, & effusione sanguinis, juxta illud Pauli: Quotiescunque comederitis panem hunc & calicem Domini biberitis, mortem Domini annunciate, donec veniat. Item, ad significandam integram refectionem sive nutritionem, quæ cibo & potu constat, quomodo Christus inquit: Caro mea verus est cibus, & sanguis meus vere est potus, &c. Item, ad designandam redemptionem & tuitionem corporis & animæ, ut corpus pro salute corporis, & sanguis pro salute animæ, quæ in sanguine est, dari intelligatur; ad significandum quoque Christum utramque naturam assumpsisse, corporis videlicet & animæ, ut utramque redimeret. Quare hæc consuetudo in Ecclesia quoque Latina, mille amplius annis tenuit, ut tam populo quam clero, in celebratione Missarum, post mysteriorum consecrationem, seorsum sanguis Domini præberetur, atque ad effusionis periculum

evitandum, in pleriſque locis, calicibus (qui miniſteriales vocabantur) argenteæ fiſtulæ inſerebantur, poſtea tamen hujus periculi metus effecit, ut intinctus in ſanguinem Domini panis dominicus, vulgo exhiberetur, qui mos huc uſque per Græciam & Armeniam obtinet: poſtea ad omiſſionem alterius ſpeciei in aliquibus locis ventum eſt, ſic tamen, ut in utraque ſpecie communio non prorſus abolita ſit, ſed in quibuſdam locis, præſertim in monaſteriis, ſit retenta, idque uſque ad annum amplius M. CCC, donec hæc conſuetudo in altera ſpecie communicandi populi totam Eccleſiam Latinam pene invaſit. Quæ conſuetudo, cum eam nonnulli ut ſacrilegam & nefariam condemnarent, à Concilio Conſtantienſi & Baſilienſi probata & ſancita fuit, ita tamen ut Bohemis, certis interçedentibus conditionibus & pactis, utriuſque ſpeciei uſus conceſſus fuerit: neque tamen hac ſanctione communionem utriuſque ſpeciei à populo totam ſublatam, ſed ob certas & graves cauſas ad tempus intermiſſam, & ſuſpenſam voluerunt, ſic ut aliis cauſis urgentibus eam reſtituere, & in uſum revocare Eccleſiæ liberum ſit. Quare non temere eſt, quod optimi quique, etiam Catholicæ profeſſionis, in divinorum & Eccleſiaſticorum ſcriptorum lectione verſati, & his quas ſupra diximus rationibus incitati, ſummo deſiderio potiundi Dominici calicis incendantur, omnibuſque modis contendunt, ut hoc ſalpeare Sacramentum ſanguinis Chriſti, una cum Sacramento corporis, juxta veterem & multis ſeculis perpetuatam univerſalis Eccleſiæ conſuetudinem in uſum reducatur, vel certe libertas, quæ ducentis abhinc annis adhuc valuit, in ea

vel

vel utraque ſpecie communicandi reſtituatur. Itaque non modo nil Eccleſiaſticæ auctoritati contrarium; imo vero Eccleſiaſticæ paci, & unitati conveniens, & prope neceſſarium futurum puto, ſi vel illi, penes quos Eccleſiæ gubernatio eſt, priſcum hunc communicandi morem reſtituant, vel eccleſiæ paulatim, quod citra gravem perturbationem fiat, ad eum, quem initio habuerunt, longoque tempore retinuerunt, morem redeant. Nequeo ſane ſatis mirari Ioannem Eccium, virum alioquin inſigni memoria præditum, qui in Apologia principum Catholicorum ſcribat, ſe non meminiſſe legere in Eccleſia Romana, Euchariſtiam ſub utraque ſpecie communicatam Laicis, niſi quod argumentum ſumi poſſit ex vita S. Laurentii. Mirum, ſi non meminerit calicum miniſterialium in eccleſiis urbis Romanæ, quorum in libro Pontificiali ſubinde fit mentio, quos ita vocatos fuiſſe, quod ex iis populo ſanguis Dominicus miniſtraretur, vel ex ſuo Cajetano recognoſcere potuiſſet. An ignotum illi eſſe potuit, quod in Decretis quoque legitur ex Sotero Papa, in Cœna Domini pœnitentes, ad percipienda corporis & Sanguinis Domini Sacramenta reconciliari? Quid? an non meminerat Gregorii Pontificis Romani (ut ejus anteceſſores taceamus) qui in 4 Dialogorum ſcribit, Chriſti ſanguinem, non jam in manus infidelium, ſed in ora fidelium fundi? Et in Homilia Sabbati Paſchalis apud populum differens, Quid ſit, inquit, ſanguis agni, non jam audiendo, ſed bibendo didiciſtis? Quem morem ſanguinis Dominici porrigendi, & antiqua Sacramentaria B. Gregorii, & libellus ordinis Romani aperte teſtantur, & Romani Pontifices in

ſolenni officio conſtanter ſemper retinuerunt, uſque adeo, ut Martinus ſanctus, etiam poſt tempora Conſtantienſis Synodi, in ſolenni Paſchæ officio, juxta præſcriptum ordinis Romani, univerſum populum Corpore & Sanguine Domini communicaſſe legatur. Illud tamen interim fatendum eſt, Veteres non tam neceſſariam utriuſque hujus Sacramenti conjunctionem habuiſſe, ut putarint, ſi neceſſitate aliqua, & gravi cauſa alterum ſine altero ſumeretur, non eſſe in altera ſpecie veram rationem Sacramenti, ſed ad vim & efficaciam Sacramenti percipiendam, ſi ita tempus ferebat, communionem in altera ſpecie ſufficere: præſertim cum id extra ordinem fieret, ubi non ad repræſentationem, ſed ad efficaciam tantum ſumeretur, quomodo factum eſſe conſtat, in domeſtica & privata communione, & ea, qua infirmi privatim reconciliabantur, quanquam illam nonnunquam in utraque ſpecie exhibitam conſtat. Quare illi non ſatis Eccleſiæ auctoritati & paci conſulunt, qui ita utriuſque ſpeciei uſum urgent, ut in altera ſpecie diſpenſationem, quacunque de cauſa fiat, nefariam & ſacrilegam eſſe judicent, & in alterius ſpeciei diſpenſatione Sacramentum eſſe negent, niſi alterum accedat. Quod autem adfertur ex Gelaſio, diviſionem unius ejuſdemque myſterii, ſine grandi ſacrilegio provenire non poſſe, ad Manichæos ſui temporis referendum eſt, qui in publica adminiſtratione oblatum calicem Dominici ſanguinis ſumere recuſabant, quod Chriſti corpus exſangue crederent. Itaque hæc ſanguinis recuſatio, qui cum corpore unum myſterium efficit, ſignum erat abnegationis veri & naturalis in Chriſto ſanguinis, in quo haud dubie

grande ſacrilegium continetur. Quamvis itaque hi probandi ſunt, qui dum in Eccleſiæ unitate id conſequi poſſunt, utriuſque ſpeciei uſum præferunt; tamen cavendum eſt, ne in receptum jam inde ab aliquot ſæculis in eccleſia occidentali morem, quo populus tanquam extra ordinem, in altera tantum ſpecie communionem accipere conſuevit, acerbius invehantur, nec ii, qui Eccleſiæ, Conciliorum & diuturnæ conſuetudinis auctoritate moti, alterius ſpeciei uſu contenti ſunt, odioſius percellantur, & impietatis, ac ſacrilegii damnentur: ſed ita Chriſti inſtitutum & Veteris Eccleſiæ ritus commendetur, ut auctoritatis quoque & pacis Eccleſiæ ratio habeatur, doceaturque populus, non in ſumptione unius, vel utriuſque ſpeciei, ſed in ea tantum communicatione, quæ à dignis ſit, ſalutarem hujus Sacramenti fructum conſiſtere. Quamobrem conſultum fore puto, ſi in his quoque conſilium Apoſtolicum obſervetur, ut is, qui bibit, non bibentem non ſpernat, & qui non bibit, bibentem non judicet, ſed quæ pacis ſunt ſectemur, & quæ ædificationis, invicem cuſtodiamus. In hac ſententia olim quoque Lutherum, dum adhuc eſſet tranquillior, fuiſſe conſtat: ſic enim ſcripſit ad Bohemos: Præſtaret pacem & unitatem, quam Chriſtus ubique præcipit, ſectari: quam de ſpeciebus Sacramenti contendere. Quamvis autem potius ſit, ſi ita neceſſitas ferat, altero Sacramento uti, quam toto privari; tamen vix quemquam futurum puto, ubi rem diligentius conſiderarit, quin ſi vetus eccleſiæ mos reſtituatur, & ſanguis Dominicus Dominico corpori in myſteriorum diſpenſatione iterum ſocietur, pleno integroque Sacramento, quam parte uti malit.

Ad Rom. 14.

Plura de hoc articulo legi possunt in libellis, qui de hoc argumento vulgo extant hoc titulo: Sitne Communio in utraque specie Catholicis expetenda.

De Adoratione & circumgestatione Eucharistiæ.

DE adoratione sacrosancti Sacramenti Eucharistiæ, ita ex Veterum mente statuendum puto. Cum in hoc Sacramento Christus Deus & homo, & corpore & sanguine suo præsentem se exhibeat, consequens est, ut in hoc quoque mysterio adoretur, quæ adoratio non ad ipsum signum quod exterius videtur, sed ad ipsam rem & veritatem quæ interius creditur, referenda sit, quamvis & ipsi signo, cujus jam virtus intelligitur, tanquam religioso, & sacro sua veneratio debeatur. De hac adoratione scripsit Ambrosius, Per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu adorarunt. Hunc imitatus Augustinus: Suscepit enim de terra terram, & quia in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam nobis carnem manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit; inventum est, quomodo adoretur scabellum pedum Domini. Idem exponens illud Psalmi, Manducaverunt & adoraverunt omnes divites terræ: Et ipsi quidem adducti sunt ad mensam Christi, & accipiunt de corpore & sanguine ejus, sed adorant tantum, non etiam satiantur, quia non imitantur. Chrysostomus in 1 ad Corinth.

Libr. 3 de Spiritu sancto.

In Psal. 98.

Epist. 120

rinth. Hoc corpus in præsepi reveriti sunt Magi; &c. Imitemur saltem Barbaros, nos qui cælorum cives sumus. Tu non in præsepi, sed in altari; non mulierem quæ in ulnis teneat, sed sacerdotem præsentem, & Spiritum perabunde super propositò diffusum sacrificio vides. Theodoricus Dialogo 2, Intelliguntur mystica symbola, quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur tamquam ea existentia, quæ creduntur.

De Circumgestatione.

COnsuetudo vero, qua panis Eucharistiæ in publica pompa conspicuus circumfertur, ac passim omnium hominum oculis ingeritur, præter Veterum morem & mentem, haud ita longo tempore inducta & recepta videtur; illi enim hoc mysterium in tanta religione & veneratione habuerunt, ut non modo ad ejus perceptionem, sed ne inspectionem quidem admitterent, nisi fideles, quos Christi membra & tanti mysterii participatione dignos esse existimarant. Quare ante consecrationem, catechumeni, energumeni, pœnitentes, denique non communicantes, diaconi voce, & ostiariorum ministerio secludebantur. Quare videtur hic Circumgestationis usus, citra grave ecclesiæ damnum, imo cum ipsius lucro (si modo id prudenter fiat) omitti posse, cum & recens sit, & diu sine ea circumgestatione, Sacramento suus honos constiterit, & hodie constare possit. Deinde, cum hodie plerumque non devotioni populi, sed pompæ magis & ostentationi serviat. Itaque vir summi judicii Albertus Cranzius in sua Me-

tropoli, Nicolaum Cusanum, legatum per Germaniam laudat, qui abusum Sacramenti Eucharistiæ in nimis frequenti ejus per singulas ferias circumgestatione sustulerit, & constituit, ut nisi inter octavas festi Sacramento dedicati in publicum non deferretur, additque idem Albertus memorabilem causam: quia, inquit, ejus Sacramenti usus à cœlesti magistro institutus est ad usum, non ostentationem. De ipso vero festo certum est, illud ab Vrbano, non ad circumgestationem institutum, sed ad celebriorem conventum, & ut homines per pietatis opera ita se præparent, quo hujus precioſi Sacramenti eo die participes fieri, atque ipsum reverenter suscipere mereantur. Ita enim habent verba decreti. Ad quod institutum si redeatur, nil puto fore absurdi.

De Vnctione infirmorum.

ANtiquum illum Ecclesiæ ritum, quo infirmi inter preces, exhortationes, consolationes, etiam oleo à presbyteris, ex præscripto Apostolico, unguntur, ad designandam internam unctionem Spiritus sancti, quæ est gratia & misericordia, olim primores Protestantium non usque adeo detestati sunt: nam Lutherus in capt. Babylon. & alibi, ait se hanc unctionem non damnare, & in Confessione fidei suæ, quam plurimum Anno 1529 edidit, ita scripsit: Vtile esset adire ægrotum, orare, & exhortari, & si postea velit quis eum oleo lini, liberum esto in nomine Domini. Is quoque qui ex eo ordine æquissimus videtur, M. Bucerus, in deliberat. Lypsica, Anno 1539, clare

re assensus est, non esse damnandam hanc unctionem, si ad exemplum Epistolæ Iacobi usurpetur, si omnis fiducia in Christo collocetur. Quia in colloquio Ratisbonensi nil huic articulo, quomodo in libro oblato expositus fuit, à Protestantium parte oppositum legimus, tametsi Eccius scribat eum articulum 2 Concionatoribus, seu (ut ipse vocat,) Declamatoribus Lutheranis, & Ecclesiasticis admissum; à principibus ordinis Protestantium rejectum, & recantatum fuisse. Sed quis non concedat in hac causa Concionatorum potius, quam principum judicio deferendum? Quod ad nomen Sacramenti attinet, si quid valet Ecclesiæ & antiquitatis auctoritas; certe Innocentius Primus ante annos centum & mille, hujusmodi Unctionem, quæ ex præscripto Iacobi Apostoli fit, genus Sacramenti appellavit, & cæteris Sacramentis comparavit, idque haud dubie, ex recepta jam olim traditione. Offendit autem nonnullos, quod inter reliquas preces, jam Sanctorum interpellatio adhibeatur, videlicet cum invocato Deo trino & uno, ut ægri misereatur, Sancti quoque rogantur, ut pro ægri salute Deum precentur. Sed quod nil in eo absurditatis & impietatis sit, piis omnibus, quibus Ecclesiæ in his precationibus mens perspecta est, satis constat, quod amplius in articulo de cultu Sanctorum declaratur. In forma vero verborum quæ inter ungendum usurpantur, fatendum est, Veterum morem, qui adhuc in vetustis libris divinorum officiorum extat, nonnihil immutatum: nam olim cum æger oleo, quod infirmorum seu Energumenorum dicebatur, tum in cæteris membris, tum præcipue in loco ubi vis doloris maxime incumbebat, inungeretur,

tur, hæc verborum forma adhiberi ſolet: Vngo te de oleo ſancto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, obſecrans miſericordiam ipſius unius Domini, ac Dei noſtri, ut fugatis omnibus doloribus, & incommoditatibus corporis tui, recuperetur in te virtus, & ſalus, quatenus per hujus operationem myſterii, & per hanc ſacrati olei unctionem, ac noſtram deprecationem, virtute Sanctæ Trinitatis medicatus priſtinam & magis robuſtam recipere mereare ſanitatem, per Dominum noſtrum. Ex qua forma & precibus ante & poſt uſitatis conſtat, hanc unctionem non modo ad remiſſionem peccatorum, & animi corroborationem adverſus inſultus diaboli, ſed etiam ad corporalis morbi levationem, pertinere: id quod forma quoque benedictionis olei Ambroſiana, & Romana ſignificat, in qua Romana inter cætera oratur, ut profit febribus, & diſenteriis laborantibus, paraliticis, ſimulque vexaticiis, id eſt, energumenis ſeu dæmoniacis. Idem declarat Hymnus poſt Vnctionem à Clero decantari ſolitus, cujus initium,

Chriſte cœleſtis medicina Patris,
En ob infirmos tibi ſupplicamus,
Quos nocens peſtis valetudo quaſſat,
Vt pios morbo releves jacentes,
Quo quatiuntur.

QVin & Sententiarum Magiſter duplicem cauſam inſtitutionis hujus Sacramenti adducit, videlicet ad remiſſionem peccatorum, & corporalis infirmitatis allevationem. Quapropter olim hæc unctio non, ut hodie fere fit, ad extremum uſque

quę vitæ periculum, & valetudinem jam deploratam differebatur, ſed graviore aliquo morbo invadente, hujuſmodi orationes, & unctiones, per ſeptem aliquando dies continuabantur. Idem illud veteribus in more fuit, poſt officium unctionis, ſi periculum imminebat; corporis, & ſanguinis Dominici communicatio, quæ πλήθει & perfectio omnium Sacramentorum habebatur, ſubjiceretur, à quo veteri more licet nonnihil hodie variatum ſit, hæc tamen tanti eſſe non debent, ut propterea pax Eccleſiæ perturbetur, & unitatis vinculum dirumpatur.

Art. XXIII. *De Cœlibatu Sacerdotum.*

NOn levibus de cauſis olim adducti fuerunt Proceres Eccleſiæ, ut ad præcipua Eccleſiæ miniſteria, hoc eſt, verbi & Sacramentorum, non niſi caſtos & cœlibes admitterent. Quarum prima fuit, ut miniſtri Eccleſiæ caſte, pudiceque in Eccleſia ſerviant, ut ſancta ſancte contrectent, atque diſpenſent. Altera, ut avaritiæ cauſa præcideretur, quam rei familiaris procuratio, & liberorum cura adferre ſolet. Tertia, ut à cura rei familiaris liberi expeditius & attentius res divinas adminiſtrent: Paulus enim ait, maritum mundana curare, ut uxori placeat, cœlibem vero, ea quæ ſunt Domini curare, ut Domino placeat. Quapropter inique faciunt, qui Eccleſiam accuſant, quod hac conſtitutione nuptias prohibuerit, & doctrinam dæmoniorum invexerit. Neque enim ideo Eccleſia nuptias damnat, quod ad Eccleſiæ miniſterium non niſi caſtos & continentes admittat, omnibus enim

enim libertatem ineundi casti conjugii permittit, nisi qui ultro genus vitæ, quod à conjugio alienum esse sciunt, sibi delegerunt, in quo dum manent, æquum est, ut conditionem quam ipsi sponte susceperunt, æquo animo servent. Quare olim Ecclesia, si cui post sacerdotium susceptum, matrimonium inire placuisset, non prohibebatur ille quidem, sed à ministerio removebatur. Sed nec ideo Ecclesia nuptias damnare dicenda est, quod eos, qui rite & ultro ad vitæ castitatem se obstrinxerunt, si fidem fallant, improbat, & pœna dignos judicat: alioquin si hæ rationes valerent, Paulus quoque digamiam prohibuisse, quod Montano hæretico tribuitur, dicendus erit, si quæ plurimorum sententia est, Episcopum non nisi monogamum, id est, unius uxoris virum esse præcipiat, certe dubium non est, quin Paulus viduas post acceptum in Ecclesia ministerium nubere volentes, habere damnationem dicat, ut quæ nubendo, priorem fidem irritam fecerint. Contra tamen fatendum est, graviter à posteris esse peccatum, qui hanc utilem pro tempore constitutionem multis in laqueum verterunt, dum juvenes nondum sibi cognitos & exploratos, temere ad ministerium Ecclesiasticum admiserunt, & cum illi castitatis onus sibi impar esse sentirent, illi potius impuros quosvis concubitus dissimularunt, & quodammodo probarunt, quam ut permittendo constitutionis illius humanæ gratiam illis facerent, qui eam sine offensione divinæ legis observare non poterant. Adde etiam, quod ætas adhuc rerum imperita, & temporum & conditionum vitæ mutatio, hanc observationem pene impossibilem fecerit. Quare nimis rigida, & intempestiva hu-

va hujus conſtitutionis exactione, graviſſima & abominanda in Eccleſia ſcandala extitiſſe videmus: nam cauſæ illæ, quibus Majores ad conſtitutionem hanc faciendam inductos eſſe diximus, non ſolum hodie ceſſarunt, ſed etiam in contrarium ſunt converſæ. Nam primum videmus hoc decreto uſque adeo caſtitatem & continentiam in Chriſto non confirmari, ut per illud ad omne libidinis, & flagitii genus, feneſtra aperta eſſe videatur. Item, uſque adeo non refrenatam in clero avaritiam, ut etiam frena magis laxata eſſe videantur, tum res in pleriſque ſacerdotibus ita comparatæ ſunt, ut conjugum piarum conſortio non modo ad functiones eccleſiaſticas obeundas non impediantur, ſed etiam ad earum procurationem adjuventur ab eis. Quemadmodum de patre ſuo Gregorio & matre Nomia Gregorius Nazianzenus teſtatur: ſunt & contra plerique cœlibes, qui uſque adeo cœlibatu ſuo, ad ea quæ Dei ſunt expeditius curanda non incitentur, ſed etiam contra curis hujus ſæculi, ſupra reliquos homines, immergantur, & obruantur. Ad ea igitur incommoda & ſcandala evitanda, & tollenda, optimum quidem, & præſtantiſſimum remedium eſſet, ſi priſca cleri diſciplina, quæ quo tempore hæc conſtitutio primum inducta eſt, obtinebat, reſtituatur, hoc eſt, ut nemo in ſacerdotem ordinetur, niſi qui à pueritia in Eccleſia inſtitutus, & cleri numero aſcriptus, per gradus miniſteriorum ætatem ut minimum triginta annorum attigiſſet, ac totum illud tempus caſte continenterque traduxiſſet, aut ſi maritum aliquem in ſacerdotem cooptari contigiſſet, is ea eſſet ætate atque morum gravitate, ut mutuo uxoris conſenſu ab ejus com-

commercio abstinere posset : deinde ut in sacerdotio constitutus ab omni prorsus cohabitatione, & familiaritate mulierum abstineret, sine quibus conditionibus impossibilem esse castitati observationem judicabant : notum enim est illud Bernardi, Cum fœmina habitare, & fœminam non tangere, majus esse, quam mortuos suscitare. Sed vere dictum est à Gersone, in primo rigore Ecclesiasticæ disciplinę multa severo rigore statuta sunt, quæ modo, defluentibus in pejora moribus, non modo inutilem, sed impossibilem haberent executionem. Quod si itaque de hac disciplina restituenda desperetur, præsertim in pastoribus Ecclesiarum, quos in media hominum turba vivere, &, ut nunc sè res habent, rem quoque familiarem curare necesse est ; restat primum ut in posterum ordinandis hoc statutum relaxetur, & more veteris Ecclesiæ, & huc usque Orientalium Ecclesiarum honesti quoque mariti ad Ecclesiæ ministerium admittantur, & extra tempus ministerii, familiaritate quoque suarum conjugum uti permittantur, juxta Canonem sextæ Synodi generalis, quo decernitur, nullo modo legitimas Diaconorum & Presbyterorum nuptias esse dissolvendas, nec ante ordinationem ad profitendam castitatem esse compellendos. Sunt igitur hujus constitutionis relaxandæ graves causæ, primum, quod ea manifeste multorum malorum & incommodorum, præsertim quæ vagam & effrenatam libidinem sequuntur, occasionem præbeat, malorum enim non propriæ modo causæ, sed occasiones quoque nonnunquam tollendæ sunt, qua ratione Paulus conjuges, non diu à mutuo congressu separari voluit, ne à Satana tententur, & juniores viduas

De vita spirituali, 40. Con. 130.

viduas nubere præcepit, & liberis dare operam, ne criminandi occasionem adversario præbeant. Prudenter itaque observavit & monuit Panormitanus, Experientia docente contrarium prorsus effectum sequutum ex lege illa continentiæ, cum hodie non vivant spiritualiter, nec sint mundi, sed maculentur illicito coitu, cum illorum graviſſimo peccato, ubi cum propria uxore esset castitas. Vnde debere Ecclesiam facere sicut bonus Medicus, ut si medicina, experientia docente, magis obsit, quam profit, eam tollat. Altera ratio sumitur ex temporum commutatione, non quo tempore hæc sacerdotum continentia indicebatur, longè alia ratio erat disciplinæ cleri, ut jam expoſuimus. Tertiam causam, & quidem præcipuam adfert præsens Ecclesiæ status, & idoneorum miniſtrorum inopia, plerique enim homines docti & pii, ad continentiæ observationem adstringere se nolunt, cum & infirmitatis suæ rationem habeant, & exemplis turpitudinum & scelerum, quæ prætextu cœlibatus passim in oculos & aures incurrunt, moveantur, quo fit ut pauciſſimi adolescentes pietatis indole præditi, ad Theologiæ studium se adjungant, aut à piis parentibus ad hoc studium applicentur, sed ii fere tantum qui opima beneficia, vitæ luxum, & splendorem ac carnis licentiam, & vagam effrenemque libidinem animo præsumunt, præter nonnullos, qui imprudenter & nondum sibi satis noti, in laqueum inducuntur. Sed de maritis ad Ecclesiæ miniſterium eligendis non tantopere quidem reluctantur, cum ea res exemplum habeat priscæ Ecclesiæ, & ab Orientalibus omnibus Ecclesiis huc usque servetur. Gravior autem quæstio de iis, qui post sacerdo-

tium

tium uxores duxerunt, an eis in ministerio permanendi, & uxoris opportuno tempore familiaritate utendi facultas permitti possit, quæ res omni prorsus exemplo vetustatis careat, sed hac ratione non satis concludit: Non est factum, ergo fieri non licuit: cogunt enim novas aliquando invenire medicinas novorum experimenta morborum. Sunt autem causæ non leves, cur hodie iis quoque, qui jam ordinati, non libidine sed conscientia ducti uxores duxerunt, & ecclesiis utiles esse possunt, gratia hujus legis fieri debeat, & in posterum quoque, si magna Ecclesiæ utilitas invites, aliquibus idem concedi possit. Primum, quod conjugium inire post ordinationem nullo divino jure, sed solo Ecclesiæ statuto prohibeatur, & in veteribus canonibus tale conjugium non dirimitur, sed leviore censura punitur. Nam in Concil. Neocæsarienſi cap. 1, sacerdos uxorem ducens deponitur ab ordine, id est, ut exponit Glossa, ab officio, & non beneficio: ubi & illud additur, magis puniri sacerdotem qui fornicetur, quam qui publice contrahit. Idem statuitur canon. 6 Concil. Generalis. In constitutionibus vero Leonis irrita fit constitutio, quæ diaconos, & sacerdotes post ordinationem contrahentes, à clericali habitu ad prophanam vitam redigi vult, statuit vero, ut ab eo tantum ordine, quem ante nuptias tenuerunt, recedant, nec habitu Cleri, nec legitimo Ecclesiæ ministerio priventur. Cum igitur hæc matrimonii contractio post ordinationem solo statuto prohibeatur, & exempla prisca extent, quæ testentur, hujusmodi statuta non tam anxie observata fuisse, quin ob Ecclesiæ necessitatem aliquando relaxata fuerint, quis non concedat in

extrema

extrema hac Ecclesiæ necessitate, hoc idem hodie fieri posse? Exempla non observatorum Ecclesiæ statutorum etiam apud Veteres hujusmodi sunt. Nam primum Epiphanius ait, in quibusdam locis sua ætate presbyteros & diaconos liberos gignere, quamvis id fiat contra ecclesiasticos canones, idque fieri propter inopiam ministrorum. Item, jam dudum Ecclesia cohabitationem sacerdotum cum fœminis tolerat, quod haud secus, atque ipsum conjugium, Ecclesiæ statutis prohibetur. Quin non solum contra Ecclesiæ statuta, sed etiam contra statuta Apostolica, in Ecclesia, aliquando aliquid, exigente id insigni utilitate, admissum legimus, ut Neophytos ordinatos, quod constat de Fabiano, Cypriano, Nicolao, Nectario, Ambrosio, Severo, Tarasio. Item, Tertullianus testatur apud Psychycos, quod nomine Catholicos appellat, etiam digamos adversus præceptum Apostoli Ecclesiis præsidere. Nil igitur absurdi fiet, si in tanta Ecclesiæ necessitate, hujus ecclesiastici statuti (etiamsi Apostolicum esset,) moderatio & relaxatio fiat. Nec audiendus est, novus quidam in Italia dogmatistes: qui unus contra omnium veterum, & recentium Ecclesiasticorum scriptorum sententiam Cœlibatum ordini sacro ἀναγκαίως hoc est, substantialiter & lege divina adjunctum esse contendit, nec esse in potestate Pontificis nec Ecclesiæ, ut conjugii usum sacerdotibus permittant, non magis, quam furandi aut latrocinandi, atque eo modo universam Ecclesiam tam Orientalem quam Occidentalem violati divini juris accusat: illam, quod conjugium in Sacerdotibus hactenus observarit: hanc, quod eam recte facere judicarit. Cur autem etiam in ordinatis conju-

Franciscus Turrianus sive Torrensis libr. 2 de dogmaticis Characteribus.

gium hodie admitti possit; hæc ratio est, quod ex hujusmodi conjugio, non modo nulla offensio populi, sed magna etiam utilitas sit exspectanda. Nam eo res jam rediit, ut vix centesimum invenias, qui ab omni commercio fœminarum abstineat, populus vero ita affectus est, ut sacerdotis fornicatoris seu concubinarii ministerium vel prorsus condemnet, vel levius æstimet, maritum vero sacerdotem æquius ferat, ut cum populo quoque jam notum sit, honorabile esse in omnibus conjugium, adulteros autem & fornicatores à Deo judicandos. Accedit & hoc, quod nisi hujusmodi conjugium toleretur, vix idonei Ecclesiæ ministri in posterum quoque inveniri poterunt. Quare si unquam tempus fuit, antiquæ alicujus consuetudinis immutandæ, certe hæc tempora, hujus, quamvis prisci moris, immutationem aliquam efflagitare videntur: cum optimi quique & religiosissimi sacerdotes infirmitatem suam agnoscentes & perpetuæ scortationis fœditatem exhorrescentes, si publice non audent, certe privatim conjugium ineunt, & populus hodie, ut diximus, eo animo comparatus est, ut maritum quam scortatorem sacerdotem facilius patiatur. Cum igitur hoc tempore, eo necessitatis res propemodum redacta sit, ut aut conjugatus aut concubinarius sacerdos sit admittendus; quis non videt, etiamsi quid in hoc conjugio sit incommodi, minoris mali ratione potius esse eligendum. Nam quod Ambrosii, Basilii, & multorum Antistitum exempla adferuntur, qui ope divina adjuti, extra conjugium feliciter Ecclesias administrarunt; hi certe non modo à conjugio, sed ab omni mulierum congressu sibi temperarunt: quod si hodie quoque

ab

ab Episcopis & Presbyteris observetur, nemo hujusmodi cœlibatum in quæstionem vocet, quin potius summis laudibus evehat. Quare omnino consultum videtur, ut qui hujusmodi castum cœlibatum ultro præstant, laudentur & honorentur, qui hunc autem summum castitatis gradum conscendere nequeunt, in secundo & proximo gradu casti conjugii consistere permittantur: neque enim hoc eo pertinet, ut Heroicus ille ad summum castitatis gradum contendendi conatus & impetus retardetur: sed ut humilium & infirmorum imbecillitati consulatur.

Art. XXIV. *De Missa.*

QVeritur confessio & Apologia, falso suos accusari, quod aboleant Missam, eam enim apud suos retineri, & summa reverentia celebrari, servatis usitatis ceremoniis, populum autem assuefieri, ut utatur Sacramento, nullos admitti nisi exploratos, fieri unam Missam communem Dominicis diebus atque etiam aliis, si qui uti velint Sacramento, in qua Pastores consecrant, sumunt & porrigunt Sacramentum corporis & sanguinis Christi. In his certe verbis nil apparet quod admodum à publica consuetudine in publicis Missis celebrandis dissidet, nisi quod in omni Missa Sacramenta corporis & sanguinis Domini porrigunt, idque idoneis atque exploratis, quod certe improbandum non est: nam & instituto Christi, & Apostolicæ traditioni, & veteris Ecclesiæ etiam Romanæ observationi consentaneum est. Sed præterea alia sunt, & in Missarum seu coenæ (ut ipsi

ipsi vocare maluerunt) celebratione, quomodo ab ipsis fit, quæ certamina haud levia excitarunt. Illud enim præter communem & Veterum omnium Ecclesiarum consuetudinem est, quod in confectione Sacramentorum canonicam precem, in qua invocatio divini nominis, mortis Domini recordatio, & membrorum corporis mystici commemoratio adhibetur, in totum omittunt. Dominica autem verba recitant illi quidem historica narratione, non quod per illa ex divino pacto consecrationem & dominici corporis præsentiam effici putent, hanc enim magiam esse dicunt: qua in re certe, non modo ab universa Christi Ecclesia veteri & recenti dissentiunt, verum etiam, quod cogitatu horrendum est, eam magiæ, incantationis & præstigiarum insimulant. Neque vero solum hanc Canonicam precem, verumetiam, qua nostra Ecclesia Latina jam olim utitur, immaniter flagellant, eo præsertim nomine, quod in ea oblationis & sacrificii subinde mentio fiat, qua de re postea erit dicendi locus. Nunc illud primo explicemus, in quo Confessio, & ei adjuncta Apologia hujus controversiæ statum constituit, nempe opinionem de merito & applicatione Missæ falsam esse & impiam. Objicitur enim præsentis Ecclesiæ Doctoribus, quod hæresim defendant, manifeste pugnantem cum Prophetis, Apostolicis & sanctis Patribus, videlicet, quod Missa ex opere operato justificet, quod mereatur remissionem culpæ & pœnæ, etiam injustis, pro quibus applicatur, si non ponunt obicem. Sed hæc accusatio quamvis atrox sit, tamen ad Missæ substantiam non pertinet, sed in prava opinione hominum posita est, quemadmodum olim quoque in Ecclesia

Iudaica,

Iudaica, Phariſaica opinio multorum animos occupabat, exiſtimantium externa operatione ſacrificii ſe Deo gratificare, à peccato mundari, quum ipſi in graviſſimis ſceleribus reſiſterent, quæ opinio utinam non etiam hodie in multorum in Chriſtiano nomine gloriantium animis hæreat, ſicut ſevera illa Dei apud Prophetam increpatio, qua ſe cœtus, feſta, cæremonias, ſacrificia eorum, qui hoc animo præditi fuerunt, adverſari & deteſtari ſignificat, in multos quoque hodie Miſſarum & aliorum Eccleſiaſticorum officiorum celebratores & auditores merito convenire poſſit. Sed hæc opinio pravorum hominum, ut neque olim ſacrificiorum dignitati, ita neque modo Sacramentorum legitimæ celebrationi quicquam detrahit, quin quod ex adverſo uno ore omnes hodie Eccleſiaſtici ſcriptores clamant, falſo Eccleſiam accuſari, quod doceat, Miſſæ actionem ex opere operato, hoc eſt, ex opere externo, quatenus id à ſacerdote fit, mereri aliis remiſſionem peccatorum, pro quibus applicatur: ſed hoc tantummodo docent, corpus & ſanguinem Chriſti, quæ in hac ſacra actione religioſa commemoratione offeruntur, & fidelibus diſpenſantur, ex panis & vini ſubſtantiis conſecrari, & virtutem ſanctificandi obtinere non ex opere operantis, id eſt dignitate, & merito celebrantis miniſtri, ſed ex opere operato, hoc eſt, ex ordinatione & pacto ipſius Chriſti, hanc ſacram actionem inſtituentis. Itaque ſacerdotis actionem, tanquam miniſtri, quæ in ſola Sacramentorum celebratione & humili ſupplicatione, & gratiarum actione conſiſtit, eo tantum valere, ut virtus & gratia, quæ corpori, & ſanguini Chriſti pro nobis ſemel immolati perpetuo

petuo ineſt, iis, qui ad eam ſuſcipiendam apti & diſpoſiti ſunt, applicetur & tribuatur. Falſo itaque Proteſtantes opus operatum ad actionem ſacerdotis referunt, cum Eccleſiaſtici opus operatum de veritate corporis, & ſanguinis Chriſti intelligant, quæ non in merito ſacerdotis, ſed in verbo conficitur Creatoris. Cum igitur Confeſſio & Apologia cauſæ ſtatum in eo eſſe poſitum dicat, quod oſtendi non poſſit, Miſſam ex opere operato conferre gratiam, aut applicatam pro aliis mereri iis remiſſionem peccatorum; id ſi verum eſt, jam non habent cur hac de cauſa cum Catholica parte litigent, cum id ipſum ingenue omnes profiteantur: ſi enim per opus operatum intelligas extrinſecam ceremoniam ſine fide & bono motu cordis, eam prorſus cuique utilem eſſe negant, tantum abeſt, ut illi tribuant meritum remiſſionis peccatorum pro vivis & mortuis non participantibus Chriſti meritum per fidem. Vide Enchiridion Chriſtianæ inſtitutionis. Idem publice & voce & ſcripto profeſſus eſt inſignis eruditionis vir Michaël Epiſcopus Mersburgenſis Concilio 17 De Sacrificio Miſſæ, ubi inter cætera inquit: Falſo nobis imputant, quod Miſſa ejuſmodi actum externum eſſe ſentiamus, quem ſacerdos ſuo arbitratu quibus velit ſeu vivis ſeu mortuis accommodare queat, etiamſi is nulla fide, nullaque voluntate præditus ſit. Qui aliquam ex hoc ſacrificio ad ſe utilitatem redire volunt, ejuſmodi ſint oportet, qui ad divinam ſperent miſericordiam, alioqui citra propriam fidem & devotionem, aliena actio neminem ſalvum & beatum facere poteſt, & Eccleſia Dei hac ſua ſacroſancta victima homini impio non niſi hactenus conferre aliquid poteſt,

poteſt, quam ut precibus illius cauſa id agat apud Deum, ut pro ſua clementia hujuſmodi hominum corda convertat. Huic accedat, ſi lubet, Eccius, qui in Apologia Principum Catholicorum refellit eorum errorem, qui tribuunt Catholicis, quod partiantur meritum Miſſæ in paſſionem Chriſti & opus ſacerdotis. Quis unquam (inquit,) vel per inſomnia ſic loquutus eſt? Nos dicimus, totam efficaciam Miſſæ eſſe à Chriſto, qui eſt ſummus Pontifex & Sacerdos: hic eſt qui conſecrat, offert, & Deum patrem omnipotentem placat: ſacerdos autem homo ſolum eſt, miniſter Chriſti & Eccleſiæ. Hujuſmodi ſcriptis author hujus Confeſſionis motus, poſtea agnovit Pontificios modo docere efficaciam hujus oblationis conſiſtere, non in merito ſacerdotis, ſed in applicatione tantum; verum fucum eſſe ait. Et quomodo quæſo fucus eſſe poſſit, cum diſerte hanc applicationem fieri dicant fide, & devotione eorum, qui hujus ſacrificii participes fieri cupiunt. Item, hanc oblationem gratam acceptamque eſſe Deo, non ex dignitate rei oblatæ, ſed ex fide & devotione offerentis, id quod ſignificatur verbis Canonis: Quorum tibi fides cognita eſt & nota devotio. Ita enim Cajetanus his verbis inſinuari ait, applicationem hujus ſacrificii non ſola intentione, ſed devotione adjuncta perfici, cujus rei ratio ſit, quia in ſacrificiis, & oblationibus, quantitas devotionis magis penſatur, quam rei oblatæ, ut patet de oblatione vetulæ, Lucæ vigeſimo primo. Porro offerentium duo ſunt genera, unum eorum qui vota offerunt, & quorum nomine fit oblatio, in his propria devotio requiritur. Alterum eorum qui officio, & miniſterio offerunt, in quibus ad efficaci-

ficaciam oblationis non tam persona propria spectatur, quam totius Ecclesiæ, cujus personam in obeundo ministerio repræsentat. Et ne hunc nuper excogitatum fucum esse dicas, idem ante annos fere trecentos docuit Thomas, exponens illud è Canone: Et accepta habere, sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel. Licet (inquit) hoc sacrificium ex ipso præferatur omnibus sacrificiis antiquis, tamen sacrificia antiquorum fuerunt Deo acceptissima ex eorum devotione. Petit ergo sacerdos, ut sic hoc sacrificium acceptetur à Deo, ex devotione offerentium, sicut illa accepta fuerunt Deo. Et Scotus in Quodlibetis disputat, Hanc oblationem Eucharistiæ, non esse acceptam, nisi sit offerentis accepti, & ratione bonæ voluntatis alicujus offerentis, neque id fieri immediate ratione ipsius Christi offerentis, quia Christus & si hic offeratur, ut contentus in sacrificio, non tamen hic immediate offert sacrificium, juxta illud Hebræorum 9, neque ut sæpe offerat semetipsum, alioqui videretur quod unius Missæ celebratio æquivaleret passioni Christi. Patet ergo, inquit, quod Eucharistia oblata acceptatur, non ratione voluntatis Christi, ut immediate offerentis: ratione ergo voluntatis Ecclesiæ generalis, quæ habet rationem meriti finitam. Hæc quis non videt quam maxime adversari falsæ illi fiduciæ de opere operato, quæ tam odiose præsenti Ecclesiæ objicitur? Quid quod eadem hæc prava opinio, & falsa fiducia diserte damnatur in libro ad compositionem religionis Ratisbonæ proposito, his verbis: Superstitiosa illa absit opinio, qua quidam de natura, & energia hujus sanctissimi sacrificii male edocti, virtutem

Quæst. 200.

ejus

ejus ex solo externo opere, quod facit Sacerdos, in se derivari putabant, tametsi illi nullam vivam fidem adferrent, nullam pietatem adhiberent, nulla communione vel precum vel orationis, sacrificio assensum præberent: quæ opinio damnanda est. Quam libri sententiam non modo Protestantium colloquutores, sed cum suis collegis Eccius ipse, quamvis alias libro iniquior, scripto quoque suffragio comprobavit, cum inquit: Liber recte damnat fiduciam solius externi operis in eo, qui nullam fidem vivam, nullam pietatem, nullam communionem precum, vel orationis, vel assensum sacrificio adhiberet, & iste quoque nobis erit velut ethnicus & publicanus, à merito & beneficio Missæ alienus. Hæc cum ita se habeant, miror qua fronte vir quidam adductus in publico suæ Ecclesiæ ministerio constitutus, ac ut videri vult moderatus, hæc haud ita dudum in publicum emittere ausus sit. Pontifex Romanus cum suis assectis, (inquit,) scelerate docuit, ac credi coëgit, hanc Cœnam ad hoc mandatam, & institutam esse, ut in ea à quolibet sacrificio, Deus novo, & singulari sacrificio placaretur, in quo Filius Dei quasi denuo excruciatus & maculatus cœlesti Patri offerretur, cujus operis & oblationis tanta sit dignitas, & efficacia, ut mereantur ex opere operato, sine propria fide, remissionem peccatorum, reconciliationem, justitiam, vitam æternam. Hanc calumniam plenam esse vanitatis, ex his quæ supra diximus, manifeste apparet, hoc tamen ingenue fatendum est, quod ab Ecclesiastica parte magna huic falsæ opinioni occasio præbita esse videatur, unde non temere quidam impulsi sunt ad eam opinionem acerbius insectandam. Videlicet

Paulus Eberus Pastor Witebergensis assertione de Cœna Domini.

cùm tanta multitudo Miſſarum paſſim ſumma negligentia celebretur, itaque nonnunquam à viliſſimis & impuriſſimis hominibus hanc actionem, tanquam quoddam opificium, unde vitam traducant, quæſtus tantum cauſa obeuntibus, ad quam multitudo ſæpe improborum, & ſceleratorum hominũ concurrit, nihilque aliud inde refert, quam quod ex eo ſpectaculo ſanctitatem ſibi aliquam accedere putant, tametſi ipſi de vitæ immutatione nil cogitent, imo ſæpe à quotidiana Miſſæ auditione ſtatim ad ſua uſitata flagitia, & ſcelera ſe convertant. Huic rei optime occurri poterit, ſi minore quidem numero, ſed majore reverentia, Miſſæ, quam hactenus, celebrentur, neque plures ſacerdotes ordinentur, quam quibus ad miniſterium Eccleſiaſticum opus eſt. Videntur autem populo ſufficere ſingulis Dominicis, & majoribus feſtis Miſſæ ſingulæ, vel in frequentioribus locis, Miſſæ binæ: quod antiqui moris eſſe in Romana Eccleſia hinc patet, quod cum olim feſtis diebus convenienter una tantum Miſſa populo celebraretur, eaque multitudini populi ad offerendum, & participandum non ſufficeret, Romana Eccleſia in more habuit, ut ad novum populi conventum ſacrificii oblatio reiteraretur, id quod Leo Pontifex Dioſcoro Alexandrino Epiſcopo ſignificabat. Inſtituendus etiam eſſet populus, ut ad audiendas Miſſas ſeu celebrationem divinorum myſteriorum religioſius conveniat, nam cum olim neminem conſecrationi myſteriorum intereſſe lieuerit, niſi Sacramenta participaret, aut ſaltem participatione Sacramentorum fuiſſet dignus; conſequitur ſane, omnes eos qui hiſce myſteriis interſunt, ita comparatos eſſe debere, ut laudis, & pro-

& precum sacrificium una cum sacerdote offerre, & Sacramenta divina, si non ipsa symbolorum perceptione, certe religiosa animi affectione participare queant. Qua de re Chrysostomus: Quemadmodum (inquit) nemini eorum, qui initiati non sunt, adesse licet, ita neque initiatis, si sordidi fuerint. Ibidem ait, eos, qui indigni sunt participatione Sacramentorum, indignos quoque esse ea communicatione, quæ in precibus est. Huc certe pertinet antiquissima omnium Ecclesiarum, atque in primis Romanæ Ecclesiæ, consuetudo, qua voce Diaconi, post Euangelii lectionem, non communicantes mittebantur, id est, abire jubebantur. De quo solemni ritu, quo primum catechumenis, & non communicantibus, ante consecrationem, & postea fidelibus post consecrationem, & participationem, Missa seu Missio denunciabatur, Missæ nomen in vulgus obtinuit. Quamvis quod hoc loco urget Chrysostomus, ut qui huic mysticæ actioni interfunt, de mensa quoque Domini unà communicent, id ut effici possit, vix optandum est, quando ne ipsius quidem ætate hoc observatum fuerit. Monendi tamen sunt homines, ne tantis ministeriis interesse audeant, si ex conscientia gravioris peccati, indignos se participatione Sacramentorum esse sentiunt, ut qui in usura, scortatione, ebrietate, blasphemia, odio fraterno perstitunt: illi quoque qui manifestis sceleribus obnoxii sunt Ecclesiastico judicio, ab his mysteriis essent arcendi. Hoc de ea parte hujus sacræ actionis intelligendum est, in qua consecratio & mystica oblatio & participatio fit, quæ Missa fidelium dicitur: nam illi parti, quæ institutionem tantum habet, & Euangelica lectione, & verbi

Dei

Dei prædicatione finitur, omnibus olim interesse licebat. Ad hæc Missas ipsas ita à sacerdotibus fieri oportebat, ut hinc utilitas aliqua ad populum redeat, & non in externo tantum spectaculo defixus hæreat: quod fiet, si preces, & lectiones divinarum literarum ita fiant, ut ad præsentium, quorum gratia fiunt, fidem & pietatem augendam pertineant. Adde quod hæc actio Missæ, non solum populi causa fiat, sed ex antiquis Patrum institutis, in ea populus suas quoque partes habeat: nam ut recte inquit Cajetanus: Institutio Missæ id habet, ut populus & audiat, quæ doctrinæ sunt, & dicat, quæ laudis sunt. Quapropter idem scriptor alibi ait, melius esse ad ædificationem Ecclesiæ, si orationes publicæ, quæ audiente populo dicuntur, dicantur lingua vulgari in Ecclesia, quam in lingua Latina. Qua de re cum reprehenderetur, respondit, se hanc sententiam fundasse super doctrinam Pauli, 1 ad Corinthios 14. Quod si ob reverentiam Latinæ linguæ, in qua divinas literas & Euangelicam doctrinam primum accepimus, ea lingua retinenda videatur; saltem ex mandato B. Pauli interpretatio adjungatur, & post lectum Euangelium, brevis aliqua explicatio, ad institutionem populi subjiciatur.

De Solitariis Missis.

QVod itaque de privatis Missis conqueruntur, non omnino præter rationem est, si privatarum nomine intelligant eas Missas, in quibus solus sacerdos confecta Sacramenta participat, nec ulla mysteriorum distributio fit, (Quæ aptiore nomine solita-

ſolitariæ Miſſæ vocantur) quæ veteribus quoque, cum primum in monaſteriis quibuſdam inoleviſſent, improbatæ fuiſſe videntur, ut patet ex Canone quodam Concilii Nannetenſis, in quo ſacerdos ſolus Miſſam celebrare vetatur: abſurdum enim eſſe, ut dicat, Dominus vobiſcum, ſurſum corda, aut, gratias agamus Domino Deo noſtro, cum nullus ſit, qui reſpondeat: aut in Canone, Et omnium circumſtantium, cum nemo adſit: aut invitet ad orationem, cum dicit, Oremus, cum nullus ſit qui ſecum oret. Itaque concludit, ridiculoſam illam ſuperſtitionem maxime à monaſteriis Monachorum exterminandam eſſe. Itaque jubentur Prælati providere, ut presbyteri in cœnobiis, & in aliis Eccleſiis, cooperatores habeant in celebratione Miſſarum. Huic concilii Nannetenſis decreto ſimile reperitur ex Concilio Papienſi cap. 132, Vt nullus presbyter ſolus Miſſam celebrare præſumat, quia ita nec verba Domini ſalvatoris, quibus myſteria corporis, & ſanguinis ſui diſcipulis celebranda contradidit, nec Apoſtoli Pauli documenta declarant, nec etiam in ipſis actibus enucleatim legitur, ita debere fieri ullo modo. De his ſolitariis Miſſis ſcribit Odo Cameracenſis in Canonem, antiquitus eas in uſu Eccleſiæ non fuiſſe, videlicet, cum nullæ Miſſæ ſine collecta, hoc eſt, cœtu aliquo unà offerentium, & Sacramenta participantium, agerentur. Eum autem morem ſolitarias Miſſas celebrandi, maxime in monaſteriis monachorum obtinuiſſe: ſolitarias autem Miſſas etiam habitas fuiſſe, quas ſacerdos cum uno aliquo miniſtro celebrabat, idem Odo teſtatur. Huc etiam pertinet, quod quidam antiquiores Eccleſiaſticorum officiorum interpre-

tes

Veteres ante Gregorium, non facere mentionem privatæ Missæ, nisi fortassis nomine privatæ Missæ solitariam intelligant, quæ tamen nescio, an adhuc ætate Gregorii in usu fuerit. Hujusmodi autem Missas, quamvis privatim extra publicum conventum, & inter paucos fierent, non tamen prorsus, sine omni synaxi & collecta fuisse credendum est, sed in tali actione sacerdotem aliquos, licet paucos, vel ex ipso clero, seu ministris Ecclesiæ habuisse, qui cum illo Sacramenta participarent, quod vel ex eo patet, quod non licuerit sacerdoti sine Diacono celebrare, qui de manu sacerdotis Eucharistiam susciebat, ut testatur Nicolaus de Cusa: addit, ita præceptum fuisse servari: & ex eo, quod in Missali ponitur; Sumpsimus Domine Sacramenta, clare videtur, plures semper communicasse, & in Concilio quodam, cujus supra mentionem fecimus, jubentur Prælati providere, ut presbyteri in cœnobiis, & aliis Ecclesiis cooperatores habeant in celebratione Missarum. Neque illud improbandum erit, si, antiquo more, in collegiis, & monasteriis, per singulos dies Missæ habeantur, etiamsi non quotidie populi conventus celebretur, quæ Missæ quotidianæ dici solent, de quibus loqui videtur Chrysostomus: Frustra habetur quotidiana oblatio, frustra stamus ante altare, nemo est, qui simul participet. Ex quibus verbis apparet, in his quotidianis Missis solos fere ministros, & clericos, paucos vero aut nullos ex populo communicasse. In his itaque Missis, quæ quotidie in collegiis, vel monasteriis habentur, hoc optandum esset, ut loco plurium Missarum, quæ passim per varia altaria satis sæpè negligenter fiunt, una tantummodo Missa celebretur, in

Epistola ad Clerum Literatosque Bohemiæ.

Concil. Nannetense. 2.

Homil. 3 in Epistolā ad Ephesios.

qua

qua viri religioni peculiariter consecrati communionem sacram perciperent, & maxime ii, quorum ministerio Presbyter sacra faciens utitur, hoc est Diaconus, & subdiaconus: qui mos in Ecclesia diutissime fuit observatus. Hujus unius Missæ vestigia adhuc retinentur in monasteriis Benedictinorum, in quibus triduo illo ante Pascha, solus Abbas mysteria perficit, reliqui monachi, etiamsi Presbyteri sint, de Abbatis manu Sacramenta participant. Et B. Franciscus Epistola ad sacerdotes sui ordinis, eos diligenter monet, & exhortatur in Domino, ut etiam in locis, in quibus plures sunt sacerdotes, una tantum Missa celebretur in die, secundum formam Romanæ Ecclesiæ. Quamvis autem fatendum sit, melius & divino instituto, & consuetudini Ecclesiæ convenientius esse, ut in omni Missa, præsentibus aliquot, vel ex clero, vel populo, Sacramenta distribuantur; tamen si quis, ex iis qui modo sunt sacerdotibus, inolitæ jam aliquot seculis consuetudinis auctoritate ductus, divina mysteria sibi celebranda esse putet, etiamsi solus ipse Sacramenta consecrata percepturus sit, non putarim eum invitum prohibendum, nec eam actionem sacrilegii esse accusandam, præsertim cum qui id faciunt, paratos sese esse ad distributionem Sacramenti, si quis modo id expetat, asserant, seque Sacramenta non suo privato, sed publico Ecclesiæ & populi nomine participare dicant. Verum, ut dixi, convenientius, & tutius esse putarim, si in posterum id effici possit, ut ad Apostolicum, & priscum morem, Missæ, sine omni communicatione & distributione Sacramentorum fiant: sed si hoc tam facile impetrari non possit, saltem populi, ad eum modum, quem supra

diximus, ratio in Parochialibus Ecclesiis habeatur, ut singulis Dominicis & festis diebus legitimarum Missarum usus restituatur.

De Sacrificio Corporis & sanguinis Christi.

REstat nunc altera controversia, de sacrificio corporis, & sanguinis Christi, quod in Missarum celebratione offerri dicitur. Cui controversiæ locum futurum non fuisse puto, si priscus ille mos inter plures celebrandæ, & distribuendæ Eucharistiæ retentus fuisset, qui si in usum revocetur, magnam hujus controversiæ partem sublatam putarim. Agnoscunt enim Protestantes, Veterem Ecclesiam uti nominibus sacrificii & oblationis, sed intelligere eos, totam actionem, precationem, sumptionem, recordationem, fidem, confessionem, & gratiarum actionem. Hoc quidem aliqua ex parte verum est, nisi quod Veteres in hac sacra actione peculiarem quendam sacrificii, & oblationis modum intellexerunt, quem Christus instituerit, & præceperit, cum inquit: Hoc facite in meam commemorationem, qui modus sacrificandi, solo ministerio eorum, qui in Apostolorum locum Ecclesiis præsunt, peragatur. Itaque fatendum est, oblationis & sacrificii nomine, veteres nonnunquam intellexisse totam hanc mysticam actionem, quæ constet symbolorum consecrandorum oblatione, oblatorum consecratione, mortis Domini commemoratione, gratiarum actione, & pro communi omnium salute supplicatione, etiam Sacramentorum distributione & participatione. Hæc certe omnia Græci his nomi-

In Conf. Saxon.

nominibus λειτουργιὰς, ἱερουργιὰς, θυσιὰς, ἀγαιμάκτης, λογικὴς, λατρειὰς, significasse videntur. Sed hoc tolerandum minime putant, quod corpus Christi hic offerri dicatur, & quidem sacrificium fieri pro vivis & mortuis, & pro communi totius orbis salute. Quasi vero (si quid veteris Ecclesiæ auctoritas valet) non idem semper vetus illa Ecclesia confessa sit; manifestum est enim, veterem illam Ecclesiam ita semper sensisse, Corpus & sanguinem Christi semel in cruce oblata, ad salutem totius mundi, victimam esse perpetuam, quæ semel oblata consumi non potest, sed efficax manet ad remissionem quotidianorum delictorum: quare & Christus in cœlis perpetuum habens sacerdotium quotidie hanc perennem victimam pro nobis quodammodo offert, quando apud Patrem interpellat pro nobis. Itaque Ecclesiæ ministri, idem illud corpus Christi, ex ipsius mandato, quotidie offerunt, per mysticam repræsentationem, & commemorationem sacrificii semel peracti, cujus sacrificii perpetuam victimam, in cœlis ad dexteram Patris assistentem, in sacra mensa præsentem habent, per quam Deo patri supplicant, ut virtutem, & gratiam hujus perennis victimæ, Ecclesiæ suæ, ad omnes corporis, & animæ necessitates efficacem, & salutarem esse velit: & quia virtus hujus sacrificii, ad vivos pariter & mortuos pertinet, pro iis quoque offerri sacrificium dicitur, pro quibus virtus hujus sacrificii efficax esse rogatur. Non igitur hic novum est sacrificium, nam & eadem hic est hostia, quæ in cruce oblata fuit, & sacrificii illius in cruce peracti in mysterio commemoratio, & continuati in cœlis sacerdotii, & sacrificii Christi in imagine repræsentatio, quo

Hebr. 7.

non efficitur nova propitiatio, & remiſſio peccatorum, ſed ea quæ ſemel ſufficienter in cruce facta eſt, nobis quoque efficax eſſe poſtulatur. Itaque veteres in hoc myſtico ſacrificio, non tam peractæ ſemel in cruce oblationis, cujus hic memoria celebratur, quam perpetui ſacerdotii, & jugis ſacrificii, quod quotidie in cælis ſempiternus Sacerdos offert, rationem habuerunt, cujus hic imago per ſolemnes miniſtrorum preces exprimitur. Quapropter hoc ſacrificium pro communi omnium ſalute fieri dicitur, ſed incruentum & (ut Tertullianus loquitur) pura prece. Hæc ut multis veterum teſtimoniis confirmentur, opus non eſt, cum id à multis, ſumma diligentia factum ſit. De modo igitur ſacrificandi, qui ſit per commemorationem, notum eſt illud Ambroſii ſeu Chryſoſtomi: In Chriſto ſemel oblata eſt hoſtia, ad ſalutem potens. Quid ergo nos, nonne per ſingulos dies offerimus? & ſi quotidie offerimus ad recordationem ejus mortis fit.

In 10 ad Hebr.

DE Poſteriore modo ſacrificii, quo imago repræſentatur perpetui illius ſacrificii, quod fit per ſolemnem & puram Eccleſiæ precem, diſerte loquitur Ambroſius: Nunc Chriſtus offertur, ſed offertur quaſi homo, quaſi recipiens paſſionem, & offert ſeipſum quaſi ſacerdos, ut peccata noſtra dimittat, hic in imagine, ibi in veritate, ubi apud Patrem quaſi advocatus intervenit: & alius quidam gravis auctor, cujus mihi nunc nomen non occurrit, Non, inquit, impie à nobis occiditur, ſed pie ſacrificatur, & hoc modo mortem Domini annuntiamus donec veniat: hoc enim hic per eum humiliter agimus in terris, quod pro nobis ipſe poten-

potenter, (ſicut Filius pro ſua reverentia exaudiendus,) agit in cælis, ubi apud Patrem pro nobis quaſi advocatus intervenit, cui eſt, pro nobis intervenire, carnem, quam pro nobis, & de nobis ſumpſit; Deo patri quodammodo pro nobis ingerere: ſacrificamus ergo corpus Chriſti, dum certa fidei pietate ſanctum illud & credimus & ſanctificamus, & hanc fidem offerimus ad honorem ejus, ex quo qui ſanctificat, & qui ſanctificantur ex uno omnes: mortem enim Domini non opus eſt iterari, quia ſemel facta potens eſt ad ſalutem æternam. Atque hujus perpetui ſacerdotii ratione Chriſtum non ſolum ſeipſum, ſed etiam Eccleſiam univerſam tanquam corpus ipſius capitis quotidie offerre, Auguſtinus docet, cum inquit: Per hoc & ſacerdos eſt, ipſe offerens; & ipſe oblatio, cujus rei Sacramentum quotidianum eſſe voluit Eccleſiæ ſacrificium, quæ cum ipſius capitis corpus ſit, ſeipſam per ipſum diſcit offerre. Idem, Tota ipſa redempta Civitas, hoc eſt, congregatio, ſocietaſque Sanctorum, univerſale ſacrificium offertur Deo, per Sacerdotem magnum, qui etiam ſeipſum obtulit in paſſionem pro nobis.

De civ. Dei, lib. 10, c. 20.

De civit. Dei, lib. 10, c. 6.

De Iteratione.

EX his quoque conſtat, manifeſtam eſſe calumniam, qua inſimulatur præſens Eccleſia, quod iteret oblationem Chriſti, ſemel factam in cruce, & iterum Chriſtum mactet & crucifigat. Huic calumniæ, vel unus Lyra, ex ordine Scholaſticorum, refellendæ ſufficiat, à quo pulcherrime hujus ſacrificii ratio expoſita eſt. Illud, inquit, quod

In epiſt. ad Hebr. cap. 10.

emundat peccatum, oportet quod sit cœleste & spirituale, & istud quod est tale, habet efficaciam perpetuam, & per consequens non est reiterabile. Hic autem est dicendum de oblatione Christi, ratione Deitatis adjunctæ, & ideo non reiteratur, quia semel facta, sufficit ad delendum omnia peccata commissa & committenda. Sed ad hoc diceres, Sacramentum altaris quotidie offertur in Ecclesia, ergo, &c. Dicendum, quod non est ibi sacrificii reiteratio, sed unius sacrificii in cruce oblati quotidiana commemoratio: propter hoc dicitur Matth. 26, Hoc facite in meam commemorationem: quoniam idem offertur, quod ipse obtulit. Cum igitur hæc victima semel oblata sit pro communi totius orbis salute, tam vivorum quam mortuorum, & ad eam salutem quotidie efficiendam, perpetuam virtutem obtineat, nihil est absurdi, si in sacra hac actione pro vivis & mortuis, & communi omnium salute offerri dicatur, quando non solum pro iis oblata commemoratur; verumetiam solenni prece, pro iis omnibus efficax & salutaris esse postulatur. Itaque hoc modo sacrificare, est preces, & gratiarum actiones, ad impetrandam virtutem propositæ illius perennis victimæ Deo patri offerre: unde Chrysostomus in 8 caput Matthæi: Idcirco altari assistens sacerdos pro universo orbe terrarum, pro absentibus, atque præsentibus, pro his qui ante nos fuerunt, pro his, qui postea futuri sunt, sacrificio illo propositio, Deo nos gratias jubet offerre. Idem alibi: Ideo in mysteriis invicem salutamus, ut multi unum efficiamur, & communes pro non initiatis preces effundimus, & pro infirmis, & terræ, maris, & universi orbis finibus

Hom. 72 in Ioannem.

sacri-

sacrificamus. Idem alio loco: Eum qui pro civitate tota, quid dico, civitate? imò verò terrarum orbe legatus intercedit deprecatorque est apud Deum, ut hominum omnium non viventium modo, sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat, qualem quæso esse oportet? &c. Atque hac ratione hoc sacrificium, quatenus sacerdotis pia supplicatione peragitur, non modo Eucharisticum, sed etiam propitiatorium dici possit, non quidem ut efficiens propitiationem, quod sacrificio crucis proprium est, sed ut eam jam factam impetrans, quomodo oratio, cujus hoc sacrificium species est, propitiatoria dici potest. Quare non inepte quidam existimant, hoc sacrificium in Scripturis divinis, propter effectus similitudinem, orationis nomine significari, ut est illud: Domus mea, domus orationis vocabitur. Item illud: Nos vero orationi, & ministerio verbi instantes erimus, &c. Ad orationem autem sacrificii intelligendam, illud quoque observandum est, Quod antiquissima, &, ut videtur, Apostolica consuetudine populus fidelis, ad mensam Dominicam panem & vinum solet offerre, in usum sacri ministerii, quæ ipsæ hostiæ, & sacrificia dici solent, omnisque hoc proprium Christiani populi sacrificium esse putabatur, quod in pane & vino peragitur, locoque omnium veterum sacrificiorum Christiano populo commendatur, quæ cum postea in corpus, & sanguinem Domini, per mysticam benedictionem transirent, & Deo patri in ministerio offerrentur, typus oblationis Melchisedechi in hoc perpetuo Christi sacerdotio, quo ex his creaturis, quas obtulerat Melchisedech, ministri Ecclesiæ sacrificium laudis & orationis offerunt, impleri traditur, at-

que hoc esse illud sacrificium, quod Malachias prædixit: In omni loco, à gentibus offerendum sacrificium mundum: de quo Iustinus, Irenæus, Cyprianus, Eusebius, Hieronymus, Augustinus & alii plerique omnes veteres scriptores concorditer scripserunt, quæ huc adferre longum esset. Hoc autem sacrificium populi, ut quod ex creaturarum primitiis constat, primum symbolum erat, quo se populus Deo consecrabat, & ut Irenæus loquitur, Omnia sua ad Dominicos deputat usus. Ad hæc, oblatio hæc populi voti, & orationis ad Dei clementiam impetrandam significationem continebat. Tertio, in ea oblatione, corpore & sanguine Christi se redemptum esse agnoscebat, & memoriam passionis ejus cum gratiarum actione celebrare profitebatur: atque hanc oblationem non aliis offerre fas erat, quam qui in corpore Christi esse putabantur: ac qua ratione voti, & confessionis interioris symbolum erat, non pro se tantum homines, sed pro aliis quoque absentibus, tam mortuis, quam vivis, qui in ejusdem corporis communione erant, offerre consueverant, quorum & offerentium, & pro quibus offerebantur nomina, postea in sacra prece recitabantur: hinc est apud Tertullianum, quod maritus pro anima uxoris annuas oblationes reddebat, & pro ejus spiritu postulabat, & contra uxor, annuis diebus dormitoriis mariti offerebat, animæ ejus refrigerium postulans. Apud veteres loquendi consuetudo usitatissima est, non solum pro iis defunctis, pro quibus misericordia Dei implorabatur, sed etiam pro martyribus, pro quorum certaminibus Deo gratiæ agebantur, & quorum precibus Ecclesia commendabatur; offerri diceretur, cum vide-

De exhortatione castitatis.

De Monogamia.

videlicet in myſtica actione, propoſito Chriſti corpore, cujus ipſi lectiſſima ſunt membra, eorum memoria fieret: quod ex Cypriano & Auguſtino multis locis conſtat, & in Græcorum Liturgiis manifeſtius exprimitur, qui ſe rationalem hunc & incruentum cultum offerre dicunt, pro Virgine Maria, Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Martyribus, &c. B. Bartholomæi, in ſecreta oratione hoc modo legitur, Pro quo tibi hoſtias laudis immolamus, &c. His ita ex veterum ſententiis conſtitutis, Canon, id eſt, ſolemnis precandi formula & regula, qua jam olim Latina Eccleſia in celebratione myſteriorum uti conſuevit, ab impietatis & ſacrilegii crimine ſatis vindicatus eſt: nil enim in eo continetur, quod non huic antiquitatis ſententiæ conſentaneum ſit, imo in eo, tanquam compendio, omnia quæ hujus ſacroſancti myſterii perfectionem attinent, continentur: nam primum populi oblationes Deo commendantur, Dei nomen invocatur, ſymbola oblata, verbis Domini conſecrantur, mors Domini commendatur, vivorum & mortuorum memoria agitur, & pro tota Eccleſia, & totius orbis incolumitate, Deo preces offeruntur. Ac talem aliquam in celebrandis myſteriis formam, in omnibus totius orbis Eccleſiis uſurpatam fuiſſe, ex monumentis veterum antiquiſſimarum, & variarum Eccleſiarum, quæ monumenta adhuc hodie extant, manifeſte conſtat. Nam tametſi in ordine harum precum nonnihil Eccleſiæ variabant, tamen in rebus ipſis ſummus ſemper fuit conſenſus. Quod facile apparebit, ſi reliquarum Eccleſiarum preces ſolennes, ſeu Canones per ſingulas partes cum noſtro Canone conferantur. Apparebit autem noſtrum Canonem,

ut verbis breviorem, ita ſententia per omnia fere ſimilem, & gravitate ſermonis nulli imparem eſſe. Non eſt igitur quod Canoni noſtro novitas, aut diverſitas ab uſu reliquarum Eccleſiarum objici poſſit. Quanquam credo, antequam à Gelaſio & Gregorio in eum quem nunc cernimus ordinem Canon redigeretur, precem ſolemnem, qua antiquiores Latini utebantur, ordine ipſo & forma verborum propius ad Græcorum Canonem acceſſiſſe, atque una in re inter Græcos & Latinos diſcrimen invenio, quod Græci conſecrationem ſymbolorum invocationi; Latini Dominicorum verborum recitationi tribuere videantur. Quanquam & Latinus Canon invocationem habet, antequam dominica verba recitentur, eo loco quo legitur: Quam oblationem tu Deus, &c. Quo loco rerum eccleſiaſticarum interpretes conſecrationis initium faciunt, & veteres Latini utriuſque pariter & invocationis ſeu precis, & dominicorum verborum, in conſecrandis myſteriis, mentionem faciunt: cætera inter omnes omnium gentium Canones, magnus conſenſus eſt, atque hinc adeo credo, Apoſtolicas ipſas jam inde ab initio Eccleſias aliquas, hujuſmodi preces ad myſteriorum celebrationem adhibuiſſe: imo Chriſtum ipſum non ſola verborum recitatione, ſed etiam Eulogia ante ipſam myſteriorum confectionem, & poſtea hymno uſum fuiſſe, manifeſtum eſt: & Iudæi ipſi, unde hic ritus ſumptus eſt, in ſolemni illo Paſchæ convivio, quo panis, & calix, invocato Dei nomine, à præſide convivii diſtribuitur, prolixam quoque precem adjungunt, quæ & gratiarum actionem pro omnibus beneficiis, tam patribus, quam ipſis conceſſis, & poſtulationes &

ſecrationes pro communi & privata ſalute ſuæ gentis, continet: cujuſmodi aliquid Apoſtolos, in celebratione hujus myſterii, obſervaſſe credendum eſt. Certe Ambroſius, Auguſtinus, & poſt eos Haymo, hanc regulam, qua in celebratione Sacramentorum pro Regibus & communi ſalute ſupplicatur, à magiſtro gentium traditam aſſerunt, ac ab eo formam eccleſiis omnibus præſcriptam, quam in celebratione Sacramentorum ſequi deberent. Cur autem Canon noſter aliis in ſuperſtitionem, aliis in contemptum adductus ſit, in cauſa potiſſimum eſt, mutatio priſci ritus, ad quem nonnullis locis Canonis verba alludunt. Quapropter ut ab utroque, hoc eſt, ſuperſtitione & contemptu vindicetur, opus eſt ut quædam ad priſcum morem ex ipſius Canonis præſcripto revocentur, vel certe, ad priſcum morem referenda eſſe nonnulla verba Canonis intelligantur. In primis hæc precatio ſolennis potiſſimum Miſſæ, in qua eſt conventus populi, & collecta aliqua, panem & vinum offerentium, convenit, quem antiquiſſimum Eccleſiæ morem fuiſſe, notiſſimum eſt. Quo pertinent orationes illæ quæ ſecretæ dicuntur, & prima pars Canonis, qua dona & munera populi, & ſacrificium laudis, quod à circumſtantibus offertur, Deo commendantur: ita ut ſi orationibus his ſua veritas conſtet, intelligi debent ea ſymbola panis & vini, quæ in Dominica menſa ad conſecrationem propoſita ſunt, nomine populi eſſe oblata, & ſymbola eſſe ſacra interioris ſacrificii, quo ſe populus & omnia ſua Deo vovet & dedicat. Nam ut priſcus ille offerendi panis & vini mos, (cujus adhuc in Galliis, & aliis provinciis veſtigia reſtant) reſtitui poſſit, optandum

dum quidem, sed vix sperandum est, cujus oblationis loco receptum est, ut offertorii tempore à populo nummulus offeratur, quod quamvis ab expositore Romani ordinis improbetur, tamen aliquo modo tolerari possit, si nummuli illi in usum panis & vini, unde mysteria conficiantur, impendi intelligatur. Deinde dubium non est, quo tempore Canon hic initio usurpabatur, aliquos semper adfuisse, qui unà cum ipso sacerdote, hæc sacrificia laudis offerebant, & Sacramenta participabant: id enim Canonis verba manifeste significant, & multitudinis numero sæpe efferuntur, & Sacramentorum participationis, inter plures aperte meminerunt, ut cum dicitur: Quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum corpus & sanguinem Filii tui sumpserimus. Item: Prosint nobis Domine Sacramenta quæ sumpsimus, &c. Certe ex tota Canonis compositione manifeste apparet, actionem illam mysticam, in qua Canon adhibebatur, vel publicam, vel certe inter plures semper celebratam fuisse: quod si hodie quoque impetrari queat, facile verus ejus intellectus restitui possit, cujus ignoratio aliis, ad superstitionem eo abutendi, aliis, ut impium ipsum damnandi, occasionem dedit. Frustra autem quidam moventur, quod in eo Sanctorum commemoratio fiat, quorum meritis & precibus Ecclesia se divinitus juvari postulat, quo nihil intercessioni & merito Christi detrahi, satis supra in loco, de cultu Sanctorum declaratum est. Precatio autem pro spiritibus defunctorum, quam omnes totius orbis, tam Orientis, quam Occidentis Ecclesiæ, in usu habent, minime quenquam movere debet, est enim plena pietatis, qua Ecclesia omnibus suis membris in Chri-

Christo quiescentibus, locum refrigerii & quietis, & pacis postulat: quam precandi formam Apostolici esse instituti Chrysostomus confirmat, & Augustinus de verbis Apostoli sermon. 32, Hoc, inquit, à Patribus traditum universa observat Ecclesia, ut pro iis, qui in corporis, & sanguinis Domini communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque offerri id commemoretur, &c. Omnibus certe Christianis animis hoc perpetuo insitum fuit, ut spiritus eorum qui Christi Sacramento initiati, in confessione nominis ejus, cum aliqua pœnitentiæ significatione ex hac vita excesserunt, Dei clementiæ commendarent, & eis remissionem peccati, quietem æternam, & consortium electorum precarentur. Et quamvis de statu illo animarum, quibus hæc prodessent, non satis constaret, nec inter omnes conveniret, omnes tamen hoc officium, ut testimonium charitatis erga defunctum, & ut professionem fidei de immortalitate animarum & futura resurrectione, Deo gratum, & Ecclesiæ utile esse judicarunt. Hæc autem antiquissima omnium Ecclesiarum consuetudo, præcipuis aliquando ex ordine Protestantium viris, & in iis modestioribus improbata non fuit. Nam ut Lutherum & Bucerum omittamus, imprimis ad institutionem nostram faciunt verba Vrbani Regii, ex formula caute agendi. Hæc (inquit) erat olim, & nunc est in Ecclesia, memoria defunctorum, quæ evidens testimonium est charitatis & fidei, de glorioſa carnis resurrectione, & cum sit fidei fructus, quæ per charitatem operatur, nemo eum rejiciat, nisi Epicuræus & Saducæus. Hujusmodi defunctorum memoriam celebrâ-

bravit vetus Ecclesia, ut est apud Orthodoxos, à quorum sententia recedere, non est tutum, nisi repugnet verbo Dei. Constat igitur, in hoc Canone, si æquus interpres adhibeatur, nil esse cur tam atrociter conscindatur & laceretur: quin & Lutherus ipse, qui postea tam impotenter in hunc Canonem invectus est, agnoscit tamen sanum illi sensum attribui posse, eum videlicet, quem sancti & prisci patres, qui eo usi fuerunt, intellexerunt. Videatur quid scripserit de Captivit. Babylon. ubi vult verba Canonis à sacerdotibus vel ad panem & vinum, vel ad orationem referri, non ad Sacramentum: quanquam, cur ad Sacramentum quoque referri non possint, causa non est, si id modo per piam commemorationem, & religiosam supplicationem fieri intelligatur. Proximus ad Ecclesiæ mentem accessit Oecolampadius in Epistola ad Hedionem, cum inquit: Quid mali est, cum majoribus nostris, tam Orientalibus quam Occidentalibus, recordationem tanti sacrificii immolationem vocare, modo absint aliæ pernicioſæ opiniones? Vbi quoque affirmat, non labi eos, qui huc mentem referentes, ab iis vocabulis, quæ in Canone usurpantur, non abhorrent. Cum tamen non modo mutatio prisci ritus, sed ipsa etiam loquendi forma, Canonem ipsum non indoctis hominibus obscuriorem, & difficiliorem reddat, operæ precium esse, ut brevibus Scholiis, vel ad marginem adjectis, vel per Parenthesin interſertis, illustretur, & explicetur. Est autem hujus obscuritatis præcipua causa, quod in eo multipliciter sacrificii nomen usurpetur, & subito nonnunquam ex uno intellectu, in alium transitio fiat, quamvis hi omnes intellectus inter se connexi sint.

sint. Primum enim sacrificii & doni nomine intelligitur sacrificium populi, quod consistit in pane & vino, in quo duo rursum considerantur, externa actio populi offerentis, & interior significatio, qua populus per fidem & devotionem seipsum & sua omnia Deo dedicat, ac sacrificium laudis Deo immolat, de quo in Canone dicitur, Vt accepta habeas hæc dona, &c. Memento Domine famulorum, qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis. Deinde est sacrificium corporis Christi, in quo primum consideratur res oblata, hoc est, ipsum corpus Christi, quod unicum est perpetuum & propitiatorium sacrificium, non quidem quatenus hic à terreno sacerdote in altari quotidie offertur in mortis commemorationem, sed quatenus à summo & æterno Sacerdote in ara crucis semel oblatum est in mortem: huc spectat quod in Canone dicitur: Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. Item: Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam. Deinde sacrificii, & oblationis voce intelligitur ipsa actio seu modus offerendi, qui longe alius est ab eo, qui factus est in ara crucis, quamvis hostia, quæ offertur, eadem sit: ibi enim oblatum est hoc corporis sacrificium per passionem & mortem, hic per passionis & mortis mysticam recordationem & repræsentationem: ibi oblatum est ad pretii solutionem, & propitiationem, hic autem ad pretii illius impetrationem & consequutionem: huc referendum est illud in Canone: Vnde & memores Domine, &c. Offerimus tibi, &c. Quæ oblatio communis dicitur populo & sacerdoti, quia voto populi & ministerio sacerdotis offertur, tum etiam, quia & is offerre dicitur, cujus nomine offer-

fertur. Item, cum Christus sacerdos in æternum sit, perpetuum quoque habet sacrificium, nam hostia illa semel in cruce oblata perpetuam habet vim & efficaciam, ad omnia corporis & animi bona conferenda. Itaque à Christo sempiterno sacerdote pro salute membrorum suorum in rei veritate offertur, dum pro nobis apud Patrem intervenit, hic autem offertur in imagine & mysterio, cum externis precibus, & interna fide & devotione, hostiam illam unicam nomine totius Ecclesiæ sacerdos Deo patri sistit, & per eam sacrificium hoc laudis & fidei ac devotionis, gratum & acceptum esse postulat. Quare in hoc modo sacrificandi, duplex quoque sacrificium spectatur, alterum externum, quod consistit in rebus seu factis, ut est tractatio & distributio, & in verbis, id est puris, sanctisque precibus. Alterum internum, quod positum est in fide & devotione populi & Ecclesiæ, cujus nomine oblatio fit. Huc referendum est, quod dicitur in Canone: Super quæ propitio vultu respicere digneris, &c. Et, Iube hæc perferri, &c. Hæc enim non ad ipsam hostiam corporis Christi in se, sed ad ipsam Ecclesiæ actionem, & offerendi modum, qui prece, fide, & devotione constat, referenda sunt, videlicet, quia sacrificia omnia, non dignitate rei oblatæ, sed offerentis animo æstimantur. In hac quoque actione universum corpus Christi mystico hoc sacrificio veri corporis Christi redemptum colligitur, & capiti suo conjungitur, & adunatur, ad quod corpus pertinent vivi pariter & mortui, quare pro his omnibus offerri quoque dicitur, quando & pro illis oblatum commemoratur, & per illud Deo patri commendantur. Huc pertinet commemoratio vivo-

vivorum & mortuorum in Canone, pro quibus fit deprecatio. Mortuorum duo sunt genera, alii, de quorum salute & gloria constat, ut Apostoli & Martyres, pro quibus offertur per gratiarum actionem, & honorificam commemorationem. Alii sunt, de quorum salute bene speratur, pro quibus offerri dicitur, quando in ipso sacrificio pro ipsis oratur. Hæc ad brevem explicationem, non Latini modo Canonis, sed reliquarum omnium Ecclesiarum, item, & ad veterum scriptorum, cum de hoc sacrificio loquuntur, intelligentiam sufficere puto.

Art. XXV. *De Monachatu.*

MOnachatum, non ipsum vitæ institutum, sed hominum mores, hoc instituto abutentium, odiosum apud multos fecerunt: nam si Monachatus in ea forma perstitisset, quæ describitur ab Athanasio, Basilio, Hieronymo, Ambrosio, Augustino, atque adeo Benedicto, & Bernardo, nunquam in tam graves reprehensiones & insectationes incurrisset. Quid enim (inquit Ambrosius,) aliud fuere monasteria, quam Officinæ virtutum, abstinentiæ, jejunii, patientiæ, laborum? finis enim monasticæ vitæ, non alius est, quam ut periculis, quæ adfert vita popularis, evitatis, carne in obsequium spiritus, quoad fieri potest, redacta, corpore & animo totus homo liberius Deo serviat. Quapropter regulæ à piis viris conscriptæ, non novam aliquam religionem, & ab Euangelio Christi alienam & separatam invexerunt, sed formulam tantum vitæ præscripserunt, qua ad observan-

Libr. 10. Epist. 82.

vandam regulam Euangelii Christi, (quæ rectissimam & perfectissimam vivendi normam continet,) via sterneretur. Id quod de regula sua aperte Benedictus profitetur, & Christianus Druitmarus, vir eruditissimus, de præceptis Monachorum, & operibus supererogationis, (ut vocantur,) ita disserit, ut dicat, ea omnia tendere ad custodiendam regulam Christi. Atque ut vera ratio hujus monasticæ vitæ melius appareat, considerentur ea, in quibus Monachatus præcipue consistit: nempe in certis generibus operum, exercitiorum & observationum, ad carnis potissimum mortificationem, & expeditiorem spiritus ad Deum sublevationem, pertinentium. Item, Monachorum proprium est, voto ex libera animi voluntate suscepto, se ad observationem hujusmodi operum astringere, ut hac observatione, communi illi voto, in Baptismo ab omnibus præstito, facilius satisfiat, de quo voto Hilarius loquitur; Deo vovenda sunt contemptus corporis, castigatio, custodia jejunii, tolerantia. Porro hujusmodi operum & observationum Monasticarum tria sunt genera, alia peculiariter pertinent ad carnis lasciviam retundendam, quæ quamvis Christianis omnibus communia sunt, tamen apud Monachos, & crebrius & attentius observantur: ut sunt jejunia, abstinentiæ delicatorum ciborum, silentia, vigiliæ, purior habitus, cubatio asperior, precationes & lectiones divinarum literarum prolixiores, laborum tolerantia, & hujus generis, ita ut tota Monachorum vita speciem quandam lugentium & pœnitentium præ se ferat. Alterum genus operum est, quæ tametsi non omnibus mandentur, tamen si sponte suscipiantur, à Deo laudem & merce-

In Matt. ad illud, Ecce nos reliquimus omnia: & secuti sumus. An. 800.

In Psal. 64.

mercedem propositam habent, ut, Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Item: Qui reliquerit patrem & matrem propter me, centuplum accipiet: Sunt Eunuchi, qui se castraverunt propter regnum Dei: De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Quæ opera consilii & supererogationis dicuntur, non quod aliquid supra finem mandatis Christi præscriptum præstent, sed quod ad finem illum consequendum, peculiarem quandam & expeditiorem viam ingrediantur. De quibus Gerson libr. de conciliis Euangelicis: Consilia (inquit,) Euangelica faciunt ad perfectionem vitæ spiritualis, sicut instrumenta promoventia, vel expedientia, vel manu ducentia ad illam, vel sicut removentia prohibens. De his operibus vide Augustinum de adulter. conjug. libr. 1, cap. 4. Tertium genus observationum est levioris momenti, quod consistit in certo vestitus genere & habitu corporis, & tonsura, rasura, cinctura: item certo loquendi, prandendi, cubandi tempore, quæ auctores hujus instituti, non modo ad discrimen ab alio hominum genere, sed etiam ad modestiam, & humiliationem animi pertinere volunt. Quare portentosum hoc & sumptuosum indumenti genus, quo plerique, Monachi nomen præferentes, utuntur, quam longissime ab institutorum mente recedit. Hic autem Monachorum cœtus initio ex illiteratis tantum fere constabat, mox cum & literatis hominibus hoc genus vitæ adlubesceret, cœperunt in monasteriis studia non solum rerum divinarum, sed etiam liberalium artium exerceri, sic ut ibi adolescentes in liberalibus artibus, & potissimum pietatis studiis imbue-

rentur, ac tandem ex iis Ecclesiæ ministri & pastores assumerentur. Ita de Gelasio II legimus eum in monasterio Cassinensi institutum fuisse, viris ad omnia peritissimis, quorum in eo monasterio, non parva copia inerat, ad liberales artes addiscendum adjunctum. Et Severus in vita Martini testatur, ex ejus monasterio Episcopos, & sacerdotes assciros fuisse: & Pelagius Pontifex optat, ut qui in monasteriis nutriuntur, tales sint, ut provecta ætate, & vita probata ad sacerdotium valeant promoveri. In hoc itaque vitæ genere, si recte ex mente institutorum observetur, nil est, quod vel iniquissimus huic monasticæ vitæ reprehendat, sed potius quod miretur & laudet: tantummodo removenda est falsa opinio, & præpostera fiducia, ne in his operibus fiducia collocetur, quæ in solo Christi merito collocanda est: quam falsam opinionem & præposteram fiduciam, ab omni externorum operum, & ceremoniarum observatione abesse oportet. Quid autem, quod eruditiores & saniores Monachi de hisce monasticis exercitiis, id ipsum sentiant, & publicis scriptis profitentur: ita enim quidam Concionator celebris Franciscani instituti, hac nostra ætate scriptum reliquit: Hoc (inquit) cavendum est, ne potatur justitia, id est, salus, in hujusmodi observationibus, id est, ne quis putet, se promereri justitiam, & remissionem peccatorum & gratiam, hujusmodi servandis ritibus, nam justificationem, & gratiam impetrare, sit per fidem in Christum. Igitur Monachus servata sua regula, si sentiat, se propterea justitiam coram Deo consequi, is errat, juxta illud Christi Matt. 15. Fruſtra me colunt mandatis hominum: sic sentiendum est, de omnibus

Libr. Pontificiali.

Conradus Clingius in locis Commun. cap. 118.

bus traditionibus, Ceremoniis & institutis Ecclesiæ. Igitur sola siniſtra intentio hic deponenda est, non traditio, neque ordo, neque Ceremonia. Idem alio loco: Vita (inquit) monastica, non quæritur alia justitia, quæ salvet, præter unicam Christi justitiam, qui sanguine suo nos lavit, & justos, ac filios regni fecit. Igitur illa justitia carnis, est sub justitia fidei seu Christi, & infinitum distant: non enim illi, sed priori Christi justitiæ, tribuimus justificationem & salutem, ad retentionem justificationis valet illa justitia, &c. neque dubitamus hanc omnium piorum Monachorũ, de suis operibus esse sententiam. Ad vota autem quod attinet, certe Lutherus ipse, non vota ipsa, sed abusum votorum, hoc est, falsam opinionẽ fidei contrariam, damnandam esse censuit. Ita enim scripsit in propositionibus, Anno 20, Non per hæc omnium religiosorum vota aut vitam damnasse volumus: sed sicut Paulus usum legis legitimum, ita nos votorum docemus. Et mox in aliis propositionibus, Anno vigesimo primo: Vt meretrix abusum auri ponere debet, aurum ponere non cogitur, ita impius impietatem operis ponere debet, opus ponere non cogitur, aut si volet & potest, votũ & religionem teneat, impietatem ponat: abusum voti dicimus hanc ipsam opinionem fidei contrariam: hæc libertas, non carnis, sed spiritus, seu conscientiæ est. Vt ergo cum Apostolo sub lege fieri potest, qui non est sub lege, jure hujus libertatis, ita ad eandem libertatem pertinet, sese posse perpetuo voto, aut cuicunque legi subdere: talis fuit Bernardi religio, & omnium qui feliciter religiosi fuerunt. Hactenus Lutherus. Quæ doctrina, cum omnium piorum judicio satis consentanea est,

Vide Luth. in Postill. Epistola de circũcisione.

quamobrem si retineatur, nulla de votis aut de vita monastica in se considerata, controversia erit, nisi quod in his propositionibus Lutherus licentiam Monachis, ipsum quoque votum propria autoritate mutandi & violandi concedere videtur, quod certe à divinis literis, & doctrina antiquitatis alienum est, quæ jubent vovere, & reddere, modo abusus voti salvo & integro voto tolli possit, præsertim modo legitimum & plenum votum sit, hoc est, ex libera voluntate, certa, firmaque animi deliberatione susceptum: hæc enim conditio ad plenam rationem voti necessaria est, sicut ipsi quoque Scholastici scriptores tradunt. Quam autem longe Monachatus hodie, à prima sua origine degeneraverit, & quantis abusibus contaminatus, & deformatus sit, satis per se est manifestum. Nam paulatim religio vera, & solida in superstitionem, & inanem speciem religionis conversa est, & accrescentibus opibus, decrevit pietas, & in ejus locum larvæ ceremoniarum successerunt, in quibus, veræ pietatis operibus pene neglectis, summa totius religionis constituta est: quarum ceremoniarum inanis observatio usque adeo veram apud plerosque monachos religionem imminuit & obscuravit, ut nusquam fere licentior & profanior vita, quam in nonnullis monasteriis reperiatur, ita ut mirum non sit, si (cujusmodi nunc fere est monastica vita) multorum odio & reprehensioni exponatur. Non dubito tamen in illis ipsis cœtibus, nonnullos esse pios viros, qui hanc monasticæ vitæ deformationem deplorant, & quantum in ipsis est, hoc genus vitæ ad suam originem revocare contendunt. Restat igitur hoc tantum, ut abusus, qui in res omnes præcla-

Richard. de Villa in 4. dist. 38. art. 2. Quæst. 2.

claras, ita hoc salubre institutum monasticum invaserunt, Episcoporum & Principum cura, quam optima ratione fieri poterit, pro conditione horum temporum corrigantur.

De Canonicis.

MOnastica vita olim privata fuit & ab omni ministerio Ecclesiæ separata, sic ut primum ad celebranda intra monasterium divina mysteria aliunde presbyterum acciperent: postea etiam concessum, ut & ex ipso ordine presbyter ordinaretur, cujus ministerio in celebrandis & participandis Sacramentis uterentur. Erant igitur hi ordines monachorum & Clericorum prorsus distincti. Monachatus enim (ut inquit Hieronymus,) non doctoris, sed plangentis officium habet. Verum à viris religiosis ad imitationem monasticæ vitæ, etiam presbyterorum & canonicorum collegia instituta sunt, in quibus clerici ministeriis Ecclesiæ initiati ac destinati, ac Presbyteri in Ecclesiæ ministerio jam constituti, ad certam & præscriptam regulam vitam agerent, quæ quamvis monastica illa paulo fuerit liberior, tamen etiam certis legibus & canonibus astringebatur, unde & vita illa Canonica, & qui eam profitebantur Canonici dicti sunt, ipsaque collegia, monasteria quoque dicta fuerunt, quod nomen adhuc in celebrioribus nonnullis collegiis retinetur. Itaque in antiquioribus Conciliis monasteria monachorum & clericorum memorantur. His præerat Episcopus, ut illis Abbas. Auctor hujus instituti præcipuus fuit B. Augustinus, qui cum cœtum quen-

dam piorum virorum congregaſſet, qui extra urbem, & turbas hominum, pietatem exercerent, factus Epiſcopus, intra Epiſcopium monaſterium quoque Clericorum & Presbyterorum, cum quibus communiter viveret, inſtituiſſe legitur. Alii initium hujus Canonicæ vitæ ad Vrbanum primum referunt, ideo quod is conſtituiſſe legitur, ut ex prædiis, & bonis, matricibus Eccleſiis collatis, Epiſcopi omnes communem vitam degere volentibus, cuncta neceſſaria ſubminiſtrent. Hæc vita Canonica cum paulatim laxari & ſolvi cœpiſſet; in Concilio Moguntino ſub Carolo, Canonici ad ejus obſervationem revocabantur, in cujus Concil. cap. 9 leges Canonicæ vitæ breviter comprehenduntur: Vt divinam Scripturam & doctrinam ſanctorum Patrum obſervent, nil ſine ſcientia Epiſcopi vel Magiſtri ſui agere præſumant, & ſimul manducent & dormiant, in clauſtro ſuo maneant, &c. Atque hæc conſtitutio, cum fortaſſis minus proficeret, in conventu Aquiſgranenſi, ſub Lodovico accuratius & copioſius, ex ſcriptis potiſſimum ſanctorum Patrum, tota ratio Canonicæ vitæ deſcripta, ac vitam illam profitentibus præſcripta & injuncta fuit: ſed poſtea affluentibus opibus & pietate decreſcente, jugum omne propemodum excuſſerunt, & Veterum conſtitutionum repagula perfregerunt, ita ut hodie vix ſpes ulla ſit, ut intra ſepta illa paulo arctioris vitæ, quam regulario ordo præſcribit, revocari poſſint, quamvis legamus, ante annos paulo amplius 300, Legatum quendam Romani Pontificis, Leodii, ut Clericos & Canonicos à commercio ſuarum concubinarum, quæ focariæ dicebantur, averteret, præcepiſſe illis, ut ſimul reſiderent, in refecto-

rio

rio simul comederent, & in dormitorio dormirent, Ecclesias die ac nocte frequentarent. Hæc acta leguntur Anno 1203. Sed quantum profecerit, præsens rerum status declarat. Manent tamen adhuc vestigia hujus communis & Canonicæ vitæ, sed in ædificiis ac nominibus tantum. Nam multa adhuc collegia, claustri, id est, loci septi atque secluſi, nomen & speciem æferunt, & in iis refectoria, dormitoria, ac cellæ singulis assignatæ reperiuntur. Cum igitur illorum vita longe jam à regula deflexisset, in eorum locum successit Canonicorum aliud genus, qui cum regulæ præscriptum propius sequerentur, Canonici Regulares dicti sunt, ad quorum differentiam illi regulæ desertores, absurdo & monstroso nomine Canonici Seculares, hoc est, Regulares irregulares dici cœperunt. Quare haud injuria Albertus Crantzius Canonicum secularem vocat monstrum sine exemplo, Regularem sine regula, Canonicum sine Canone. Cum autem hujusmodi collegia in celebrioribus locis, in quibus Episcopus præsidebat, constituta essent, ac in iis literati ac docti viri vitam agerent; vetus Ecclesiæ mos, quo apud insigniores Ecclesias, ut Alexandriæ & Antiochiæ scholæ liberalium artium, & divinarum literarum habebantur, in iis collegiis servabatur: nam longo tempore hujusmodi collegia publicorum Gymnasiorum loco fuerunt, in quibus ad eam rem insignes doctrina & pietate viri adhibebantur, donec tandem hoc quoque tam utili & pio opere cum cæteris neglecto, pii principes & Magistratus, ad horum negligentiam supplendam, & aliunde conquisitis stipendiis publica Gymnasia, in certis locis instituenda, inducti sunt: quorum

Gymnasiorum, (ut testatur Albertus Crantzius, & res ipsa) nullum est in Germania, quod centesimum longe annum superet. Quamvis itaque hodie de prisco illo Canonicæ vitæ instituto ad plenum revocando, propemodum desperetur: tamen cum hodie in ea professione multi adhuc & nobilitate & literis clari viri versentur, non penitus ea professio abjicienda & delenda erit, sed potius curandum, ut pro conditione temporis medicina aliqua, & curatio adhibeatur. Nec absurde ea de re scripsisse & consuluisse videtur Lutherus ipse his verbis: Quod initio Episcopatus fuerint Scholæ, testantur illa vetusta vocabula, Præpositus, Decanus, Scholasticus, Cantor, Canonici, Vicarii, Custos. Vtinam adhuc tale aliquid agerent, retinerent sane suum splendorem, suas dignitates, manerent in suis possessionibus, essent Principes & magni Domini, saltem restituerent lectiones aliquas, & cogerent Canonicos, Vicarios, Chorales, ut per diem, unam saltem lectionem audirent, quæ enarraret sacram Scripturam, & rursum aliquo modo scholis essent similes Episcoparus, atque postulante necessitate, in promptu haberentur Pastores & Episcopi. Neque hinc abhorrent, quæ ante aliquot sæcula consuluisse legitur Guilhelmus Duranti, Episcopus Miniatensis, cui remedium aptissimum adversus negligentiam conditionis universi Cleri visum fuit, ut secundum providentiam Lateranensis Concilii generalis, Ecclesia, quæ sicut pia mater providere tenetur, ne pauperibus, qui parentum opibus juvari non possunt, legendi & profitendi opportunitas subtrahatur, in unaquaque Cathedrali Ecclesia, & in aliis Collegiatis & honorabilibus

libus Magistros tenerent, qui clericos, & seculares pauperes Civitatis, & Diœcesis, in honestis studiis, gratis instituerent, & pro doctrina sua nil ab iis acciperent, sed Ecclesiastica beneficia & stipendia ab Episcopis & Capitulis, ac Collegiis, ac aliis Prælatis assignarentur iisdem.

Art. XXVI. *De potestate Ecclesiastica.*

QVæ de potestate Ecclesiastica, & Episcoporum in hoc Articulo prolixè & speciosè disputantur, ad ea supra in Articulis de traditionibus, & de ordine, dictum est, ita ut hic prolixiore explicatione opus non sit. Primum rectè ajunt, non esse commiscendam potestatem Ecclesiasticam & potestatem gladii: quod autem additur: secundum Euangelium, seu de jure divino nullam jurisdictionem competere Episcopis, nisi remittendi peccata, veram doctrinam à falsa discernendi, falsam rejiciendi, & impios à communione excludendi; certum est, proprie hæc ad Episcoporum munus pertinere: sed nec illud negandum est, Episcopis, ut olim Apostolis, potestatem esse ordinandi & constituendi leges quasdam & observationes Ecclesiasticas, quibus & ordo in Ecclesia observetur, & cleri ac populi disciplina communiatur: quod etiam quodammodo Confessio postea agnoscit, cum ait: Licere Episcopis seu pastoribus facere ordinationes, ut res ordine gerantur in Ecclesia: neque etiam inficiabuntur in Ecclesia utiliter distinctos esse dignitatum gradus, ut sic Episcopis cujusque Provinciæ præsint Archiepiscopi, Episcopi Pastoribus, &c. Ita ut jus habeant

beant commonefaciendi, ſynodos convocandi, Electos confirmandi & ornandi, rebelles coërcendi, & ab officio removendi: item, Cauſas Eccleſiaſticas Eccleſiaſtico jure exercendi. Quod ajunt, Epiſcopos non habere poteſtatem ſtatuendi aliquid contra Euangelium, non inficiamur: Euangelio autem adverſari pleraſque traditiones, quas ipſi accuſant, non admittimus, modo ex mente Eccleſiæ uſurpentur, ut de jejuniis, & abſtinentia ciborum ſuo loco diximus. Quod addunt, ideo pleraſque traditiones adverſari Scripturis, quod ideo condantur & exigantur, ut per earum obſervationem remiſſionem peccatorum mereantur: Item, quod conſcientiæ per eas obligentur, ut ducant eas eſſe neceſſarias ad ſalutem, jam ſupra ſatis oſtendimus, falſo hæc Eccleſiæ, & ejus ſanioribus doctoribus impingi, ut qui manifeſte doceant, nullis operibus, non modo his traditionibus, attribuendam eſſe remiſſionem peccatorum, quæ gratis datur per fidem ſanguinis Chriſti. Item, his traditionibus, & ſtatutis Eccleſiæ, neminem obligari, niſi his tanquam remediis, ad vitia coërcenda & virtutem exercendam, indigentem. Itaque hujuſmodi ſtatuta, ob cauſas rationabiles, videlicet in quibus ratio legis ceſſat, ſolvi & omitti poſſe. Non autem prorſus iniquum videtur, quod poſtremo poſtulant, ut Epiſcopi in traditionibus, & conſtitutionibus Eccleſiaſticis, æquitatem & moderationem adhibeant. Equidem fatendum eſt, nonnullas eſſe traditiones, in quibus urgendis, ab æquitate & mente Eccleſiæ, ab imperitis & ſuperſtitioſis Antiſtitibus & Eccleſiarum præfectis receſſum eſt, ut de nimis ſevera exactione jejuniorum & delectu ciborum: item,

De

De cœlibatu eorum, qui imprudenter & temere ſe ad cœlibatum aſtrinxerunt, & de votis monachorum, vel virginum, incautis & ſubreptitiis, & de reliquis ejus generis. Adhæc concedimus, obteſtandos eſſe illos, penes quos Eccleſiarum procuratio eſt, ut compertos jam & manifeſtos abuſus, quorum aliquot ſupra commemoravimus, ex quibus motus, quibus hodie Eccleſia periculoſiſſime jactatur & afflictatur, extiterunt, tolli & aboleri curent. Id quod non modo ſine offenſione, ſed etiam cum ſummo applauſu, & congratulatione optimorum & doctiſſimorum virorum fieri poterit; in quibus tamen tollendis cautio adhibenda eſt, ne ſubita innovatio ſimplicium, & imperitorum animos perturbet. Aſſentimur autem Confeſſioni, cum ait, Si Epiſcopi hos abuſus, præcipue qui Miſſam, & alias partes divini cultus invaſerunt, in tempore correxiſſent, minus nunc eſſet diſſentionum, neque tantum monendos & rogandos putamus, ut abuſus corrigant, verum etiam ut antiquos aliquot Eccleſiæ ritus, & mores progreſſione & inclinatione temporum obſoletos & immutatos, pietati vero promovendæ & Eccleſiæ pacificandæ utiles, revocare ſtudeant: cujuſmodi eſt uſus Sacramenti Dominici ſanguinis, ſeu plenæ ac legitimæ communionis corporis & ſanguinis Domini. Item, ut in celebratione myſteriorum, ſive Miſſis, Sacramentorum diſtributio adhibeatur, &c. Imprimis autem operæ detur, ut primo quoque tempore corruptiſſimi Eccleſiaſticorum hominum mores, quibus ſimpliciores non poſſunt non graviter offendi, non inanibus conſtitutionibus & decretis, ſed ſeriis & ſeveris executionibus corrigantur, & in melius reformen-

mentur: quod tamen ut fiat, opus est ut ab iis, qui summo loco præsident, correctionis initium fiat, ac aliis, qui inferiore loco sequuntur, pietatis, justitiæ, continentiæ, temperantiæ exemplis præeant. Quamvis itaque in gerendis nonnullis traditionibus, ab Episcopis nonnihil peccatum, & in tollendis abusibus non parum cessatum esse concedimus; tamen isti rursum meminisse debent, se in illis corrigendis modum quoque excessisse, ut qui vitiata curare studentes, etiam ea quæ sana sunt, & sine totius corporis pernicie convelli non possunt, tollenda putarint. Quare nos quoque, quotquot toto orbe Ecclesiæ Catholicæ veram in Christo pacem optamus, eos vicissim per viscera miserationum Dei obsecramus, ut Reipublicæ Christianæ tot undique periculis expositæ, in qua eorum quoque salus continetur, miserti, ad hanc Ecclesiarum pacem conciliandam, operam quoque suam adjungant, & quod officii sui est, præstent, hoc est, ut priscæ illius & indubitatæ Ecclesiæ Christi judicium non detrectent, & si quid illius concordi, & universali judicio dissentaneum ab illis inductum est, ad priscam illam regulam, & formam corrigi & revocari patiantur. In ceremoniis præsertim universalibus, & constitutionibus Ecclesiasticis jam longo usu receptis, & inolitis, quæ & salva fide retineri possunt, & sine manifesto pietatis damno aboleri nequeunt, se & priscæ & præsenti Ecclesiæ accommodent. & conforment erga præsentem Ecclesiam, quamvis miserabiliter deformatam, in qua plerique ex iis in Christo renati sunt: affectum charitatis & unitatis induant, injuriam & vim, si quam ab ejus Præfectis perpessi sunt, publicæ paci condonent, of-

fen-

fensiones omnes & suspiciones, ex animo deponant. Mendacia, maledicta, calumnias, quibus nonnulli præter charitatis legem, & falsa ecclesiasticis affingere, & recte dicta depravare consueverunt, cohibeant. Quin potius ex lege charitatis, incommode dicta, mitiore interpretatione sublevent. Notas verò & maculas, quibus ecclesiæ præsentis facies adhuc deformata est, & à quibus nunquam ullo tempore Ecclesia prorsus immunis fuit, dissimulent, & ne suos quidem suasque Ecclesias omni vitio carere, sed ipsis quoque mutua dissimulatione & condonatione opus esse, meminerint. Facilius enim condonat peccata aliena, qui agnoscit sua.

De Hæresibus.

QVod autem ad hæreses attinet, quæ vel ante confessionem Augustanam, vel postea extiterint, in iis commemorandis & refellendis opera nostra nil opus esse puto, cum illæ omnibus in promptu sint, & communi studio ab utriusque partis Doctoribus abunde refutatæ legantur, quin & ipsa veræ Apostolicæ & Catholicæ doctrinæ expositio, omnis falsæ doctrinæ longe optima refutatio est. Adde, quod & ipsa Hæreticorum certamina inter se, Catholicam doctrinam propugnant: nam ut scite dictum est ab Hilario, Hæretici omnes contra Ecclesiam veniunt, sed dum hæretici omnes se invicem vincunt, nil tamen sibi vincunt, victoria enim eorum Ecclesiæ triumphus ex omnibus est, dum in eo hæresis contra alteram pugnat, quod in hæresi altera Ecclesiæ fides damnat,

INDEX CAPITVM.

De numero Sacramentorum. 101
De ordine Ecclesiastico. 103
De Ritibus Ecclesiasticis. 107
De Magistratu & rebus Civilibus. 115
De secundo Christi Adventu. 118
De Libero hominis arbitrio. 119
De Prædestinatione. 121
De Causa peccati. 122
De Præscientia. 123
De Bonis Operibus. 124
De Cultu Sanctorum. 124
De Meritis & Intercessione Sanctorum. 135
De Veneratione reliquiarum. 142
De Imaginibus & simulachris. 146
De Vtraque specie Sacramenti. 160
De Adoratione & Circumgestatione Eucharistiæ. 166
De Vnctione infirmorum. 168
De Cœlibatu Sacerdotum. 171
De Missa. 180
De Solitariis Missis. 188
De Sacrificio Corporis & Sanguinis Christi. 194
De Iteratione. 197
De Monachatu. 209
De Canonicis. 215
De Potestate Ecclesiastica. 219
De Hæresibus. 223

FINIS INDICIS.

HVGONIS GROTII
ANNOTATA
AD
CONSVLTATIONEM
CASSANDRI.

SCRIPTA

Anno cIↃ IↃ cxLI.

HVGONIS GROTII ANNOTATA AD CONSVLTATIONEM CASSANDRI.

Ad Articvlvm I.

Appellationem *personarum.*] Sicut hypostaseos vox non uno sensu ab antiquis est usurpata, cùm veteriores unam, posteriores tres hypostases dixerint, ita & personæ vox non statim omnibus benè sentientibus placuit, ut Facundus & alii notant. Et certè vix est ut cùm de Deo loquimur, utamur vocibus quæ omnes incommodas interpretationes effugiant. Scholæ Græcæ & Latinæ post multas curiosas & audaces disceptationes in verbis tandem convenerunt, in eorum explicatione sæpè diffident. Græci veteres quidam appellant πρόσωπα ὑποστάσεως, id quod Latini personas. Cæterùm commodissima ac minimè intricata mihi videtur ea explicatio quam Ecclesia Græca quæ erat Constantinopoli, tunc cùm urbs ea caperetur, exhibuit Turcarum Sultano. Res secundæ delicatos faciunt, res adversæ sobrios. Verumtamen vocibus Theologicis quæ Conciliorum universalium auctoritate aut magno consensu eruditorum receptæ sunt, reluctandum non est. Non enim ita imprudenter fictæ sunt, ut non commodam interpretationem

recipiant, atque etiam à multis commodè sint explicatæ. Quibus se addere, aut certe tacere, multo est satius, quam ob res, sibi non minus quam aliis obscuras, & nihil ad emendationem morum pertinentes, turbare rem maximam, pacem Ecclesiæ.

Ad Articvlvm II.

Homo cum primum est conditus promissa nulla habuit vitæ cœlestis, sed terrestris tantum. Itaque & vires ei datæ sunt tali præmio respondentes. Alia enim est imago Dei ad quam Adamus est conditus, alia ad quam per Christum renascimur. Evæ & Adami peccatum non modo documentum fuit imbecillitatis humanæ, pollicitatione præmii cœlestis destitutæ, sed & labem quandam attulit, quæ spe impunitatis multum crevit. Ad vitam cœlestem nobis dandam requirit Deus sanctitatem animi eximiam, & quæ illum Adami, non modo ex quo lapsus est, sed & cùm primùm est conditus, statum longe excedat & nos Angelis æquet, manente tamen discrimine eo quod corpora humana ab Angelicis distantia secum ferunt. Est ergo in hominibus cum nascuntur & humana tantum institutione adolescunt, aliquid non idoneum ad vitam cœlestem adipiscendam. Ideo ad eam adipiscendam renasci est opus, id est per Dei præcepta & promissa cœlestia attolli supra vires humanæ naturæ, quæ sibi magis quam aliis consulere solet. Vide si placet, quæ diximus de jure Belli & Pacis II, XX, 19. & ad Luc. II, 22. Hofmeisterus & Vilvosius dicunt de tota hac re vix quicquam esse discriminis inter Catholicos & Protestantes.

Ad

Ad Articvlvm III.

Christus cum dicitur sedere ad dexteram Dei quid significet, tractavimus ad Matth. xx, 21. Christus ex quo in cœlum est evectus ubique suis adest. Matth. xviii, 20. xxvi, 1, 20. Adest autem non sola vi divina, sed etiam vi corporis & sanguinis, sive passionis suæ, tanquam instrumentis, per quæ emendationem nostram & salutem operatur. Hæc enim omnia non ad scholasticas disputationes, sed ad usum referenda sunt. Cæterum digna sunt lectu quæ Augustinus ad Dardanum scripsit.

Ad Articvlvm IV.

Perpetuo hîc reciprocatur serra λογομαχίας. Nam justificare Protestantibus est remittere peccata : Catholicis, sanctum sive justum, efficere. Ex usu Hebræorum הצדיק, cui respondet δικαιοῦν, duo significat: primũ nativo sensu justum aut, quod idem est à vitiis purum efficere : deinde sensu nonnihil inclinato, tractare velut justum, quod fit non solum peccata priora, quamvis gravia, remittendo, & imbecillitates quasdam dissimulando, verum etiam laudando, præmium & honores pollicendo. Hunc esse interdum ejus vocis sensum agnoscunt Cardinalis Bellarminus 1 de Justificatione cap. 19. Pineda in Iobum 4. Vega libro de Iustificatione cap. 3. Salmero in epistolas Pauli, disputatione 9. Quousque vis hujus vocis se porrigat, diximus ad Iacobi de fide & operibus locum. Sensus autem hic secundus tam lata

quàm diximus patens duo habet discrimina. Nam aut initium notat aut continuationem. Vir sapiens quædam requirit in eo quem ad amicitiam admittat, plura, ut eum eo amicitiam servet. Remissio quoque peccatorum non semper eodem dicitur modo. Est enim remissio in hoc ut Deus alicui gravibus criminibus involuto ea quæ ad conversionem sunt necessaria non adimat: de qua agitur Lucæ XIII, 34. Est alia major qua Deus omnes pœnas remittit & jus dat ad vitam æternam. Est & tertia qua id jus conservatur: & quarta qua lapso redditur. Dei processus in Euangelio circa hominem hic est. Primum hominibus quantumvis vitiosis non ita irasci voluit, ut non eos præter solitum morem ad se revocaret, per eximia miracula, præcepta & promissa Christi, perque miracula discipulorum ejus. Qui huic vocationi se accommodant, ii per fidem habitam verbo purgantur. Vbi ea fides ad eum devenit gradum ut sincerum pariat obedientiæ propositum, quod esse non potest sine dilectione Dei & proximi, quanquam ea dilectio multum adhuc recipere profectus potest, ei qui talis est, id est fidem habet formatam, ut loquuntur Catholici, fidem non in solo intellectu, sed & in voluntate consistentem, ut Melanchthon, jam plane condonantur peccata, &, si talis moriatur, jus habet ad vitam æternam atque cœlestem, quia Deo pro summa sua bonitate ita visum est. Si vero vita post id conceditur, ad jus illud retinendum requiritur jugis pia operatio, & imprimis abstinentia ab omnibus illis criminibus, quæ conscientiam vastant, & à regno cœlesti hominem excludunt. Est enim condonatio plena & jus ad vitam æternam

nam datum hac lege atque omine. Hæc est doctrina Apostolorum veterumque omnium. Quia vero justificationis vox est ambigua, & propterea ab his & illis aliter & aliter intellecta, pugnas serit; utile erit in disputando ea voce abstinere, & pro ea usurpare voces remissionis peccatorum & emundationis à vitiis, quam sequitur sanctificatio. Remissio illa prima nullum respectum habet operum. Secunda etiam sine operibus potest contingere. Sanctitas in animo esse potest per Dei gratiam ante opera: durare sine piis operibus non potest. Et per hæc opera, non naturæ aut legis, sed Fidei; opera, inquam, Gratiæ servatur Dei in homines favor, & jus ipsorum ad vitam æternam eandemque cœlestem. Vox meriti à veteribus nunquam usurpatur, ubi de vocatione, aut prima illa remissione agitur. Sed sicut mercedis vox usurpatur in sacris literis, eodem sensu vox meriti, ubi agitur de conservando illo jure ad vitam æternam, & majore etiam jure ad majora præmia adipiscendo: idque duplici de causa: tum quia opera illa nobilitate suæ originis, utpote profecta ex verbo & spiritu Christi, & ad ejus exemplar conformata aptitudinem quandam habent ad præmium non vulgare: deinde quia Deus, ut Augustinus loquitur, non aliquid accipiendo, sed liberaliter promittendo debitorem se fecit. Promissi enim ea vis est, ut conditionem implenti jus conferat. Facilius hæc intelligentur si quis legere velit quæ diximus libro I de Iure Belli & Pacis 1, 4, & sequentibus; & libro II, XI, 1. Opera autem ista bona de quibus hîc agimus, ita ut jam dicere cœpimus, non sunt ex nativis hominum viribus profecta, sed tota Gratiæ

Dei, quæ per Euangelium contingit, novamque naturam ferit, debentur. Laudanda est in hoc argumento loquendi formula, de qua in Ratisbonensi colloquio convenit, quam in fine hujus capitis posuit Cassander. Cum vero dicunt veterum quidam, quos hîc produxit Cassander, fide sola nos justificari, intelligunt nos ex impiis pios fieri per fidem, quæ sola dicitur, non quomodo distinguitur à pœnitentia aut charitate, sed quomodo distinguitur à longa ac jugi operatione. Hoc est quod vult Ambrosius, *Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Et ideo nemo glorietur in operibus, quia nemo factis suis justificatur, sed qui justus est, donatum habet.* Et Augustinus de Fide & operibus. *Bona opera sequuntur justificatum, non præcedunt justificandum.* Vide quæ ad Iacobum ea de re diximus. Scholastici interdum etiam iis præparationibus aut impedimentorum remotionibus quæ conversionem antecedunt, dant nomen meriti, sed improprie. Liquet id ex scriptore de Vocatione gentium: *Vilesceret redemptio sanguinis Christi, nec misericordiæ Dei humanorum operum prærogativa succumberet, si justificatio, quæ fit per Gratiam, meritis præcedentibus deberetur, ut non munus largientis, sed opus esset operantis.* Notandum & hoc, veteres, cum de remissione peccatorum proprie loquuntur, solius misericordiæ Dei & satisfactionis Christi facere mentionem, quia prima illa remissio, unde cæteræ ortum habent, nullam in nobis requirit conditionem: Deinde quia etiam ubi conditio exigitur, remissio peccatorum non bene venit sub nomine mercedis. neque enim de ea re contrahi solet. Adjungit hîc Cassander quæstionem de certitudine propriæ salutis. Ea vero distinguenda est. Nam aut agitur de præsenti statu, aut

tu, aut de futuro. Pro præsenti statu dari posse certitudinem, id est scire posse aliquem pium se & fide & proposito talem esse cui salus promittatur, agnoscunt Ferus, Medina, Catharinus etiam post Concilium Tridentinum, Cajetanus quoque & Guillandus, & speciali libro Isengrinus. Augustinus in Psalm. CXLIX, *Est modus gloriandi in conscientia, ut noveris fidem tuam esse sinceram: spem tuam esse certam.* Idem libro XIII de Trinitate capite I, *Fidem quisque videt esse in corde suo, si credit, & non esse, si non credit.* Tractatu V super epistolam Ioannis: *Nemo hominem interroget, sed rideat ad cor suum. Si ibi invenit charitatem, securus sit, quia transiit à morte ad vitam.* Epistola 162, *De tua certus salute.* Bernardus sermone I de Annuntiatione: *Crede tibi peccata condonari. Hoc est testimonium quod perhibet in corde nostro Spiritus sanctus, dicens, Dimissa sunt tibi peccata tua.* Hanc certitudinem sic explicant veteres, ut excludant dubitationem. Basilius libro II contra Eunomium: *Tunc sine dubio credes te liberum esse à peccato.* Leo Papa II, sermone de festo Paschatis: *Deum sibi inesse non dubitent.* Bernardus super Cantica: *Non dubito.* Blosius: *Humiliter precare, nihil hæsitans, sed certo credens.* Hosius: *Coram Tribunali tuo nos intrepidi sistimus.* Antonius Marianus: *In dubitationis labyrintho non errant, qui per Christum adepti sunt justitiam.* Cæterum non male faciunt qui quemque admonent, ne temere de se hoc credat, sed post diligens examen. Falluntur enim multi, fidem putantes esse eam quæ fides non est, & tenue desiderium melius vivendi sumentes pro firmo illo quod requiritur proposito. Sed id non impedit, quominus signa gratiæ aliquando tam aperta sint, ut nulla formido, nulla dubitatio sit conjuncta

hujusmodi cognitioni, ut loquitur Tapperus. Altera est quæstio de certitudine pro futuro. Hic datur magis bona spes quam certitudo, spes qualis est in honesta matrona, quæ cum semper casta fuerit, etiam in posterum talis esse vult, & futuram se confidit, ideoque non metuit anxie ne sè maritus repudiet. Hæc spes sollicitudinem & cautionem non excludit. *Quandiu enim vivimus, in certamine sumus*, ut ait libro 11 contra Pelagium Hieronymus, Bernardus : *Certitudinem utique non habemus, sed spei fiducia consolatur nos*. Hic vero periculosè admodum labuntur qui volunt singulos credentes certos esse suæ prædestinationis. Qui putat se stare, videat ne cadat, 1 Cor. x, 12. Cum timore ac tremore salus obtinenda est, Philipp. 11, 12. De hoc argumento non spernenda sunt quæ scripsit Modrevius in libris de Emendanda Ecclesia, & Marcus Antonius de Dominis libro VII, c. 11, quæstione 5.

Ad Articvlvm V.

Bene monet Cassander in libris Novi Testamenti, semper Spiritum sanctum poni post fidem. Nam in loco 1 Cor. XII, 9, fides ponitur non pro ea quæ omnibus necessaria est, sed pro dono quodam mirifico. Neque tamen hoc impedit quominus fides sit donum Dei, eam in nobis operantis. Sed solet Scriptura Trinitatis opera ita dispensare, ut prima tractio tribuatur Patri, institutio ad fidem Filio, obsignatio post fidem Spiritui sancto. Errant autem qui sacramenta esse putant signa tantum acceptæ gratiæ, non etiam instrumenta per quæ Deus operatur. Voluit enim Deus

Deus per Sacramenta dare & augere gratiam, ut honoraret Ecclesiam cui tradita sunt Sacramenta, & nos hoc ipso adigeret ad nos ipsi Ecclesiæ concorporandos. Requiritur quidem in adultis dispositio quædam, ut dicitur in Missa, *quorum tibi fides cognita est & nota devotio* : verum efficacia non istis dispositionibus tribui solet, sed Deo: & hoc est quod dicitur ex opere operato. In hac re bene processit Conciliatura Ratisbonensis : & infra de ea aget Cassander ad articulum VIII.

AD ARTICVLVM VI.

Bene hic articulus Confessionis Augustanæ vocem merendi de operibus per gratiam factis usurpat. Bene quoque ponit primam justificationem, sive per eam intelligere velis conversionem, sive remissionem, contingere ante tractum piorum operum. Neque id impedit, quominus justificatio, sive ponatur pro incremento sanctitatis, sive etiam pro continuatione divini favoris, dicatur fieri per opera, id est operum conditionem ad id requiri, ut ad Iacobum diximus. Meriti autem vox in hoc sensu gratiam non destruit, sed præsupponit, idque duplici modo, sive aptitudinem respicias, sive jus quæsitum, ut jam ante diximus. In operibus destitutorum Gratia nihil est meriti : ne in operibus piorum quidem, si nude in se spectentur, ut recte docet Costerus, & convenienter Synodo Tridentinæ, cujus hoc dictum est sessione VI, 16, *Atque ideo bene operantibus usque in finem & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam Gratia filiis Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum*

ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda. Deinde: *Abſit tamen ut Chriſtianus homo in ſeipſo vel confidat vel glorietur, & non in Domino: cujus tanta eſt erga omnes homines bonitas, ut eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.* Et Canone XXVI damnantur qui dicunt juſtos non debere pro bonis operibus quæ in Deo fuerunt facta, expectare & ſperare æternam retributionem à Deo per ejus miſericordiam & Ieſu Chriſti meritum. Melanchthon in locis communibus, *In reconciliatis poſtea bona opera cum placeant fide propter Mediatorem, merentur præmia ſpiritualia & corporalia in hac vita & poſt hanc vitam, ſicut clarè oſtendit parabola de negotiantibus. Habenti dabitur.* & 1 Timoth. IV, *dicitur pietas habere promiſſionem præſentis & futuræ vitæ.* Marci X, *recipient centuplum in hac vita, ſed cum tribulatione, & poſt hanc vitam, vitam æternam.* Matth. X, *qui dederit potum uni ex minimis propter doctrinam, non perdet mercedem ſuam.* Lucæ VI, *date & dabitur vobis.* Cur autem, cum de remiſſione agitur, ad miſericordiam Dei nos ſemper reſpicere velint veteres, jam ante diximus.

Ad Articvlvm VII.

Bene ad diſcernendam Eccleſiam ab hæreticis conventibus Auguſtana Confeſſio dixit in Eccleſia eſſe puram & ſanam Euangelii doctrinam cum uſu ſacramentorum. Sed non minus bene Caſſander ad eandem Eccleſiam diſcernendam à Schiſmaticis addidit unitatem, ex Chriſti ipſius dicto Ioan. XIII, 35. Hæc unitas non animo tantum retinenda eſt, ſed & ſacramentorum communione, quatenus fieri poteſt. Id vero fieri non poteſt, niſi plebs præpoſitis obſequatur. Eſt enim Eccle-

Ecclesia corpus quoddam, & proinde juncturis quibusdam compaginatum, Ephes. IV, 16. Hæ juncturæ sunt Episcopi in parte minore, in majore Metropolitæ, aut ut in Africa Episcoporum seniores: in parte adhuc majore ἔξαρχοι sive Primates, quales illi Carthagine & alibi: rursum in majore alia Patriarchæ: & in toto corpore is qui princeps est Patriarcharum Episcopus Romanæ urbis: quæ omnia conformata sunt ad exemplar Principatus ejus quem Petrus instituto Christi habuit in Apostolos. Vnitas enim Antistitis optimum adversus schismata est remedium, quod & Christus monstravit, & comprobavit experientia. Hanc principatus in Episcopo Romano utilitatem ingenue agnovêre Melanchthon multis locis, Iacobus Rex Britanniæ, multique in Protestantibus viri eruditi. Objicitur fieri posse ut Papa in jura Episcoporum, imo & Regum, involet. Fieri hoc posse verum est, & factum apparet, maxime ex quo laceratio contigit Imperii Romani in plures reges. Id ubi evenit, in eis quæ sunt contra statum publicum, aut canones receptos, obediendū non est: sed non ob id negari debet, ut à multis factum est, principatus illius utilitas, aut etiã obedientia subtrahenda in iis quæ canonibus congruunt & statum non lædunt. Hoc si cogitassent Protestantium multi, Ecclesiam jam haberemus & indivulsam & emendatiorem. Hoc fecere Afri Episcopi cum de appellationibus disputaretur, hoc Imperatores multi, & avorum memoria Carolus V. Imp. Vbi tales incidunt controversiæ, penes utros sit causa schismatis, aut etiã an penes utrosq; , facile judicabunt pii & eruditi: & si res valde sit dubia, Concilium univer-

univerſale, regibus id quod ſuæ poteſtatis eſt contribuentibus. Digniſſima ſunt lectu quæ de concordia regni & ſacerdotii ſcripſit vir egregius Præſes à Marca. Principatus in Eccleſiæ partibus minoribus & majoribus à Deo eſt. Hos Principes Angelos vocat Apocalypſis, quomodo à Malachia vocati fuerant ſacerdotum Hebræorum principes. Quod autem ſummus ille apex Romæ collocatus eſt, id venit ex conſenſu univerſalis Eccleſiæ, honorantis duorum maximorum Apoſtolorum memoriam, & eorum exemplo edoctæ non eſſe locum ſpargendo Euangelio in omnes partes terrarum, & retinendæ compagi magis idoneum. Quod vero ait in hoc capite Auguſtana Confeſſio, non neceſſe eſſe ubique ſimiles eſſe traditiones ſeu ritus ab hominibus inſtitutos, verum eſt aliquatenus, & epiſtolæ Irenæi ad Victorem Epiſcopum Romanum, & Athanaſio de Synodis, & Chryſoſtomo de iis qui Paſcha anticipant, convenit. Et hoc ſequuntur qui Græcos, Armenios, Maronitas cum magna rituum diverſitate ad ſuam communionem recipiunt. Verum tamen adſtrictio hic quædam adhibenda eſt. Multa enim Apoſtoli aut inſtituerant, aut approbaverant, ut regimen Eccleſiarum, ſynodos, excommunicationis & abſolutionis regulas, quæ perſcribi ideo neceſſe non fuit, quod palam in uſum Eccleſiarum introducta eo ipſo ſatis nota eſſent, & obiter interdum ea ſubinnui magis ex occaſione, quam fuſe explicari in epiſtolis ſufficeret, cum par eſſet eorum quæ dixerant quæque ſcripſerant, Apoſtoli auctoritas, 11 Theſſ. 11, 2, & 15. Sunt & alia quæ primum in uſu fuere vario, ſed poſtea ad ejuſdemmodi obſervationem redacta ſunt, ſive

sive consensu Concilii universalis, ut Nicæni primi in re Paschatis, sive Moribus, ut in jejunio Quadragesimæ, aliisque rebus nonnullis. Cum autem hæc parilitas quocunq; modo introducta, ut recte notavit Melanchthon, ornet Ecclesiam, unitatem testetur atque conservet, & lædat neminem, ab ea recedere non est hominis socialis, nedum spiritum Christi habentis: imo, si Augustino credimus, est hoc insolentissimæ insaniæ. Neque huc adferenda sunt quæ dicunt Apostoli de onere rituum abolito. Illi enim ritus à Mose præscripti numero erant valde multi, à singulis non publice tantum, sed & privatim observandi, molesti præterea ac sumtuosi, à quibus gentes semper liberæ fuerant, & quibus ipsas onerari tum infructuosum fuisset, tum obstitisset processui doctrinæ Euangelicæ, cum illi ritus de quibus per universam Ecclesiam, sive ab initio sive postea convênit, sint pauci, faciles, & ad pietatem utiles. Quod si Apostoli ab omnibus servari voluere præceptum de non edendo sanguine, quia à Noæ temporibus valuerat non apud Iudæos tantum, sed & apud alios Deum timentes, & ad conciliandos magis cum Gentibus Iudæos pertinebat, quid est, quod non ad hoc exemplum in rebus talibus pacis causa ferre debeamus? Neque hæc sunt humana dogmata quæ Christus damnat. Agit enim ibi Christus, ut ad eum locum diximus, de præceptis cum divina lege pugnantibus, aut fundamentum habentibus in persuasione plane falsa atque noxia, aut de aliis etiam quatenus ea præceptis morum præferebantur, aut certe æquabantur. Namque ubi [illegible] fit [illegible], solet [illegible] haberi in [illegible]. quod diligenter cavendum est. Præterea scien-

sciendum est, leges tam Ecclesiasticas quam civiles ferri secundum id quod pluribus expedit, ac propter hoc ipsum in applicatione ad singulos requiri, modo ἐπιεικείαν, modo laxamenti aliquid.

Ad Articvlvm VIII.

Quod hic dicitur sacramenta esse efficacia, etiamsi per malos administrentur, non omnino spernendum. At si generalis quædam sit & aperta & permanens corruptio, quæ pietatis studiosos tum propter rei indecorum, tum propter metum contagii offendat, non adeo mirum est si alienantur animi. Et si ita sensit Cyprianus epistola LXVIII, plebem obsequentem præceptis Dominicis, & Deum metuentem à peccatore præposito separare se debere, ne se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia misceat, cogitandum est, an non quæ evenere dissidia magna ex parte imputanda sint corruptissimis qui tum passim apparebant Prælatorum moribus. quanquam non nego plebis fuisse officium retinere interim Ecclesiæ universalis & amorem & reverentiam, omnibusque modis ostendere nihil se aliud quam sanctiorem disciplinam optare. Magnam partem culpæ penes eos fuisse qui abusus noluerunt corrigere, fatetur infra Cassander.

Ad Articvlvm IX.

Baptismum infantium nihil habere quod Dei verbo repugnet, ostendimus ad Matth. XIX, 14. Quod vero hic sentit Cassander infantibus etiam non baptizatis subvenire posse extraordinariam quandam Dei bonitatem, in eo consentientem sibi habet

habet Gersonem in oratione habita in Concilio Constantiensi in Nativitate Mariæ, & Bielem, & Thomam Cajetanum; inter veteres vero scriptorem quæstionum ad Antiochum quæ Athanasio tribuuntur, Nazianzenum de sancto baptismate duobus locis, & Scholiastem ejus Nicetam: sed & Augustinum antequam in certamine cum Pelagio incalesceret, libro III de libero Arbitrio cap. XXIII. Locum Ioannis tertio intelligendum de iis qui possunt & contemnunt baptizari, vult Lombardus lib. IV, distinct. IV, & Bernardus epist. LXXVII. Si Valentiniano Imperatori, ex Ambrosii sententia, votum baptismi pro baptismo profuit, quid obstat, quo minus, si Deus ita velit, votum aut parentum aut Ecclesiæ prosit infantibus nullius commissi aut omissi reis? Sed hæc quæ ad nos non pertinent Deo relinquamus. Sicut verò multum decessum est à prima baptizandi forma, qua homines veste exuti in flumine mersabantur, ad quem ritum alludunt Apostoli, cum nos dicunt exui & sepeliri cum Christo; ita non mirum est accessisse alia quædam quæ Catholici agnoscunt non necessaria. Origo eorum hæc est, quod illi populi, unde ad alios venit Christianismus, multum amarent res eximias non verbis tantum, sed & rebus significare, & cum viderent Christum in sanandis corporum morbis symbola quædam adhibuisse, tactum aurium, salivam & similia, ac pro certo haberent istas sanationes corporales sanationis spiritualis præferre imaginem, symbola eadem usurparunt ad significandam animorum sanationem quæ ab idololatria, aut etiam à corrupto Iudaismo ad cœlestem Christi disciplinam transeuntibus contingit. Manuum impo-

ſtio ex Hebræorum more ad Chriſtianos venit, uſumque habuit in omni precatione, qua divina opitulatio implorabatur: quæ diverſis cauſis applicata fluxit in ſacramenta quinque. Nam vetus mos fuit etiam conjugium contrahentibus manus imponere, quod fit in Oriente. Sic quia Chriſtum in baptiſmo profeſſis, magno ad perſeverandum ſpiritu opus eſt, is ſpiritus per manuum impoſitionem invocabatur. Et quia Chriſtianis promittitur futurum ut reges ſint & ſacerdotes, ideo ad manuum impoſitionem acceſſit duplex unctio in vertice & in fronte: quia, ut Hebræi nos docent, in vertice ad modum coronæ ungi ſolebant reges, in fronte autem, per modum decuſſis, ſacerdotes. Cætera quæ hic monet Caſſander & ex Ruardo confirmat, pia ſunt: eaque ad rectum uſum Confirmationis ſæpe monuit Eraſmus. Baptiſmus Joannis non idem fuit cum Baptiſmo Apoſtolico. Habebat enim mentionem tantum pœnitentiæ & remiſſionis: non autem promiſſum Spiritus ſancti, ut Baptiſmus Apoſtolicus. Et aliud eſt baptizatos ad Ieſum mittere, aliud in nomine Chriſti baptizare. Errarunt qui in Actis Apoſtolicis XIX, 4, 5, 6, putant eos qui à Joanne baptizati ſunt, eo ipſo in nomen Chriſti baptizatos. Decepit eos vocula μὲν, quam cohærere putabant cum ἀκούσαντες δὲ, cum μὲν ſæpe & in Græcorum veterum & in ſacris libris ponatur ſine ſequenti δὲ per ἀποσιώπησιν: ut Actor. III, 21. Rom. I, 8. illud autem ἀκούσαντες δὲ novum ibi inchoet ſenſum. Quare quod hic ex Hieronymo dicit Caſſander, pro veriſſimo haberi debet.

AD

AD ARTICVLVM X.

Sicut Dominus id quod dedit Apostolis vocavit corpus & sanguinem suum, ita & Ecclesia, 1 Corinth. xi, 27. id sic explicat Iustinus Martyr. Εὐχαριστεῖται ὁ τοιοῦτος καὶ ἐπιφημίσαντος πᾶσα ὁ λαὸς οἱ παρόντες λέγουσιν ἀμήν. ἐστὶ δὲ τοῦτο ἑβραϊστὶ τὸ ἀμὴν τὸ ἀποδιδόασιν ἡμῖν διάκονοι καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου, καὶ οἴνου, καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀναφέρουσι. καὶ ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία, ἧς οὐδενὶ ἄλλῳ μεταποιεῖν ἐξὸν ἐστιν, ἢ τῷ πιστεύοντι ἀληθῆ εἶναι τὰ διδασκόμενα ὑφ' ἡμῶν, καὶ λουτρὸν τὸ ὑπὲρ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν καὶ εἰς ἀναγέννησιν λουτρὸν, καὶ οὕτως βιοῦντας. ὡς Χριστὸς παρέδωκεν. οὐ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον, οὐδὲ κοινὸν πόμα ταῦτα λαμβάνομεν, ἀλλ' ὃν τρόπον διὰ λόγου θεοῦ σαρκοποιηθεὶς Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν καὶ σάρκα καὶ αἷμα ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν ἔσχεν, οὕτως καὶ τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι. οἱ γὰρ Ἀπόστολοι ἐν τοῖς γενομένοις ὑπ' αὐτῶν ἀπομνημονεύμασιν ἃ καλεῖται Εὐαγγέλια οὕτως παρέδωκαν. οὐτοπαράξαι αὐτοῖς τὸ Ἰησοῦς λαβὼν ἄρτον, εὐχαριστήσας εἶπεν. τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἀνάμνησίν μου. τοῦτο τὸ σῶμά μου. καὶ τὸ ποτήριον ὁμοίως λαβὼν καὶ εὐχαριστήσας εἶπεν, τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου. *Postquam Præses gratias egit, & acclamavit populus, illi qui à nobis dicuntur Diaconi dant cuique præsentium quod sumant de pane & vino & aqua super quibus actæ sunt gratiæ, & portant absentibus. Et hoc alimentum à nobis vocatur Eucharistia, cujus nemo alius fieri potest particeps, nisi qui crediderit vera esse quæ à nobis docentur, & qui ablutus sit lavacra pro remissione peccatorum ad nativitatem novam, & sic vixerit quomodo tradidit Christus. Non enim ut vulgarem panem, neque ut vulgare poculum hoc sumimus. Sed quemadmodum per verbum Dei caro nobis factus Iesus Christus Servator noster carnem sanguinemq; habuit salutis nostræ causa, sic etiam alimoniam istam, super qua per preces verbi ab ipso traditi actæ sunt gratiæ, per quam alimoniam sanguis & carnes nostræ per mutationem a-*

luntur, illius qui caro factus fuit Iesu carnem & sanguinem esse didicimus. Nam Apostoli in commentariis suis, quæ dicuntur Euangelia, sic ajunt præcepisse ipsis Iesum: accepto quippe pane actisque gratiis dixisse: Hoc facite in commemorationem mei. Hoc est corpus meum. & similiter accepto poculo actis gratiis dixisse: Hic est sanguis meus. Irenæus vero IV, 34, Quomodo autem constabit eis eum panem in quo gratiæ actæ sint, corpus esse Domini sui & calicem sanguinis ejus, si non ipsum Fabricatoris Mundi filium dicunt? V, 2. Et quoniam membra ejus sumus, & per creaturam nutrimur, creaturam autem ipse nobis præstat, solem suum oriri faciens & pluens quemadmodum vult, eum calicem, qui est creatura, suum sanguinem qui effusus est, ex quo auget nostrum sanguinem, & eum panem, qui est creatura, suum corpus confirmavit, ex quo nostra auget corpora. Quando ergo & mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei, fit eucharistia sanguinis & corporis Christi, ex quibus augetur & subsistit carnis nostræ substantia, quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, qui est vita æterna, quæ corpore & sanguine Christi nutritur ut membrum ejus? Fit ergo mutatio quam Græci vocant μεταβολὴν, μεταρρύθμισιν, μετασκεύασμὸν, μετατοίησιν, μετατοιχείωσιν, Latini veteres etiam transfigurationem, & posteriores transsubstantiationem, nempe cum sacramentaliter præsens Salvator substantia sua nobis adest, ut loquitur Synodus Tridentina, qui locus ordine primus verbis de hoc dogmate ab eadem Synodo alibi positis lucem adfert. Manent panis & vini τὰ αἰσθητὰ, mutatur νοητὸν, ejusque loco succedit corpus & sanguis Christi. Et quia τὰ νοητὰ vere sunt ὄντα apud Hebræos, ideoque ἀληθῆ vocantur, ut notavimus ad Ioan. VI, 32, cui loco similes sunt, Ioan. I, 9. Hebr. VIII, 2. IX, 24. 1 Ioan. II, 8. & Philoni ἀναγκαιότητος ἱερείας, libro de sacrificantibus, substantiæ

tiæ maxime neceſſariæ; ideo voces realiter, ſubſtantialiter, eſſentialiter, in hoc negotio paſſim etiam Proteſtantium Confeſſiones & magiſtri uſurpant. Eodem ſenſu veritatis nomen uſurpat Auguſtinus in expoſitione Pſalmi LIV. *Corpus enim in quo reſurrexit in uno loco eſſe oportet. Veritas autem ejus ubique diffuſa eſt.* Hieron. *Dupliciter & ſanguis Chriſti & caro intelligitur. ſpiritualis illa atque divina, de qua dixit: Caro mea vere eſt cibus: vel caro quæ crucifixa eſt.* Quanquam vero ſpiritualis eſt hæc præſentia & efficacia, attamen non animum ſolum, ſed & corpus attingit. animo enim purgato corpora noſtra & ſanguis noſter fiunt corpus & ſanguis Chriſti, id eſt ejus ſpiritu vegetantur. Chryſoſtomus in I Corinth. homilia XXIV. *Quid ſunt qui ſumunt? Corpus Chriſti.* Ideo Melanchthon ait corporaliter quoque communicatione carnis Chriſti Chriſtum in nobis habitare. Et per hanc vim corpora noſtra & ſanguis noſter redduntur idonea ad beatam reſurrectionem, propter unitatem veram & realem quam habent cum corpore & ſanguine Chriſti. Irenæus dicto libro IV. c. 34. *Sic & corpora noſtra percipientia Euchariſtiam jam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia.* Hoc corpus νοητὸν & verum nemo digne manducat niſi qui prius adoraverit, ut loquitur Auguſtinus ad Pſal. XLVIII, id eſt cruci ejus ſe ſubmiſerit, quod & corporum ſubmiſſio teſtatur: quam corporum ſubmiſſionem licitam eſſe Lutherus & Brentius agnoſcunt. Ambroſius libro III de Spiritu ſancto ait ſe carnem Chriſti in myſteriis adorare. Chryſoſtomus in I ad Corinthios, in altari ait adorari hoc corpus quod in præſepi adoraverunt Magi. Theodoretus dialogo II intelligi ait myſtica ſymbola

quæ facta sunt & creduntur & adorantur tanquam ea existentia quæ creduntur. De hac re infra aget Cassander. Oblatio autem sive sacrificium hic est triplex. Primo enim offeruntur Deo species istæ creatæ à Deo ad vitæ hujus sustentationem. Hoc est quod dicitur in Liturgiis, τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν, tua de tuis. Offerimus ea quæ sunt ejus, ait Irenæus dicto capite. Nec mirum id dici sacrificium, cum LXX interpretes etiam illam legalem ex simila oblationem, de qua agitur Levitici cap. II, θυσίαν vocent, & Græci pagani προθύματα, quibus accedebat vini libatio. Alterum sacrificium est in eo ipso quod Christus obtulit. Namque hoc ipsum & Ecclesia Deo offert per gratam commemorationem, Deumque orat ut suas preces ratas faciat propter corpus & sanguinem Christi. Et recte Deo offerimus quod Christus nostrum fecit. Hoc sensu Augustinus de spiritu & litera hoc sacramentum vocat ipsum verissimum & singulare sacrificium: & alibi ait eum non mentiri, qui ait Christum ibi immolari: quod & μνήμην προσφέρειν ἠθύειν dixit Eusebius libro I. de Demonstratione Euangelica. Nicæna autem Synodus situm dicit in sacra illa mensa Agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruente à Sacerdotibus immolatum, & pretiosum ipsius corpus & sanguinem vere nos sumentes credere hæc esse resurrectionis nostræ symbola. Bene hanc rem explicat Synodus Tridentina, cum ait, per hoc sacrificium, illud cruentum quod in cruce peractum est repræsentari, ut memoria in finem usque permaneat, & virtus nobis applicetur. Franciscus autem Costerus sacrificii rationem pertinere ad genus orationis: & esse tunc efficacissimam,

cissimam, quando per sacrificium illud repræsentatur quod maxime Deo gratum est & acceptum, nempe passio & mors filii sui. offerri in Ecclesia Deo munus, in quo dum aliquid agitur, repræsentatur passio & mors Christi, petunturque à Deo dona, quæ Christus nobis sua morte impetravit: & hoc agi ut per Christi mortem, & sanguinis effusionem, his speciebus ob oculos positam, ea impetrentur, quæ Christus vere sua morte in ara crucis nobis est meritus. esse idem sacrificium: differentiam esse in modo. illic Christum vere occisum: hic mortis fieri repræsentationem. illic oblatum ad satisfaciendum, persolvendumque pretium pro peccatis totius mundi, omnibusque donis necessariis: hîc efficacem esse orationem, ut per Christi mortem repræsentatam ea nobis applicentur, & donentur. Lyranus ait, non esse sacrificii iterationem, sed unius sacrificii in cruce oblati quotidianam commemorationem. Oecolampadius vero in Epistola ad Hedionem, nihil ait mali esse, si cum majoribus nostris tam Orientalibus, quam Occidentalibus, recordationem tanti sacrificii immolationem vocemus. Sic Ambrosius offerre nos quotidie dicit, sed ad recordationem mortis Christi. Tertium sacrificium est, quod ad exemplum ejus sacrificii facit Ecclesia offerens corpus Christi, quod ipsa est, ut loquitur Augustinus. Offerunt enim fideles suum corpus & sanguinem Deo, parati, si ita res tulerit, pro ejus gloria & ædificatione fidelium non bona tantum sua & labores, sed & vitam profundere. Sic Abraham dicitur filium suum obtulisse, defunctione cordis, ut explicat Salvianus. Et huic proposito vires pares Deus tribuit per ipsam Ex-

chariſtiam. Cyprianus epiſtola LIV. *Vt quos excitamus ad prælium non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione ſanguinis & corporis Chriſti muniamus, & cum ad hoc fiat Euchariſtia ut poſſit accipientibus eſſe tutelæ, quos tutos eſſe contra adverſarium volumus, munimento dominicæ ſatuitatis armemus. Nam quomodo docemus aut provocamus eos in confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem derogamus, aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, ſi non eos prius ad bibendum in Eccleſiæ poculum Domini jure communicationis admittimus?* Quanquam vero Tranſſubſtantiationis vox idem ſignificat, quod Græcæ illæ quas ante poſuimus, tamen hujus vocis uſum à nemine exigit Eccleſia Romana, quod & Cardinalis Perronius notavit. Sed nec damnandi ſunt qui ſignum dari corporis dicunt, cum ita loquatur Auguſtinus, Patreſque alii, & Sacramentum definiatur ſignum viſibile inviſibilis Gratiæ. Similes ſunt voces, figuræ, ἀγάλματα, εἰκόνες, ἀντίτυπα, apud veteres obviæ. Bene canit Romana Eccleſia:

Sub duabus ſpeciebus,
Signa tantum & non rebus,
Latent res eximiæ.

Poſſiaci hæc concordiæ formula placuit Sorbonicis & Proteſtantibus: *Credimus in uſu Cœnæ Dominicæ vere, reipſa, ſubſtantialiter, ſeu in ipſa ſubſtantia, verum corpus & ſanguinem Chriſti ſpirituali & ineffabili modo eſſe, exhiberi, ſumi, à fidelibus communicantibus.* Mos Euchariſtiam ad infirmos deferendi quam ſit vetus oſtendit Iuſtinus, & Nicæna Synodus ἀναγκαῖον ἐφόδιον neceſſarium viaticum id vocat. Eum morem Proteſtantes & in Germania multi, & in Anglia tenent: neque putant deferre ſe panem vulgarem, ſed eum qui Sacramento factus eſt corpus Domini.

Recte

Recte autem notavit Cassander Sacramentum, si efficaciam ejus spectes, perfici sumtione. Extra hunc usum circumgestandi Eucharistiam mos est novus, & à more veterum discrepans, qui ab ipso conspectu Eucharistiæ non communicantes arcebant. Dies quoque festus ab Vrbano Papa, ut infra dicet Cassander, ad celebriorem conventum, non ad circumgestationem fuit institutus. Sed de toto argumento Eucharistiæ suadeo lectoribus videant libellum incerti auctoris, cui nomen Diallacticon, editum Argentorati anno CIↃ IↃ LVIII, & complura scripta Theophili Mileterii.

Ad Articvlvm XI, & XII.

Vtiliſſimum esset in criminibus manifestis restitui Pœnitentias publicas secundum canones antiquos, aut certe quam proxime ad eam formam. Nam ita Ecclesia servaret suam puritatem, melius corrigeret lapsos, & à similibus criminibus absterreret alios. Et tunc in illis qui præter cæteros magnam ostenderent pietatem, locum utiliter habere posset indulgentia, de qua agit canon XII Nicænæ Synodi. Criminum autem non manifestorum utilem esse Confessionem agnoscunt Protestantes in Confessione hac Augustana, & multis in locis Melanchthon. Cum vero singulorum criminum in memoriam venientium commemorationem cum suis circumstantiis non esse divini præcepti statuant Canonistæ & Scotus, nec aliter sentire Græcos dicat Gratianus, & Nectarii sequentiumque Patriarcharum actus satis id testentur, Acosta vero narret Theologis quibusdam visum optime Indis consultum iri si obliga-

tio iſta tolleretur, graviſſima autem ſit diſputatio & valde odioſa, quæ crimina Sacerdos reticere, quæ revelare debeat; cogitent Eccleſiæ Præſides, annon hæc res aliquid recipiat temperamenti: deinde annon ex re ſit Eccleſiæ abſolutionem differri in bene valentibus donec completum ſit pœnitentiæ tempus, ne per fiduciam abſolutionis homines maneant in peccandi conſuetudine, & id quod ad medicinam repertum eſt, non bene adhibitum, ut ſæpe fit, alat morbum. De cæteris pœnitentiæ partibus ſatis bene convenit inter Catholicos & Proteſtantes. Nam & hi cum fidem ſeu fiduciam accipiendæ veniæ requirunt, præſupponunt dolorem de crimine, & illorum complures, ut notavit Caſſander, contritioni, id eſt, ſpiritui fracto & humiliato, adjungunt fidem. Etiam Suarez amorem Dei requirit, qui ſine fide eſſe non poteſt. Sufficere autem is dolor intelligitur, qui non eſt ſimulatus, ſed ſinceritatem habet cordis. Si qui autem dixere hunc dolorem meteri remiſſionem peccatorum, eos incautius locutos ex eis quæ ſupra de merendi voce dicta ſunt, intelligi poteſt. Itaque Capreolus & Dominicus à Soto hanc vocem hac in re repudiant, & dolorem hunc diſpoſitionem aut præparationem ad accipiendam remiſſionem vocant. Opera quoque digna pœnitentia requirit agnoſcunt & Catholici & Proteſtantes. Catholici hæc ſatisfactiones vocant, neque vero Eccleſiæ tantum, ſed & Deo aliquatenus ſatisfieri docuit eſt veterum, nec aliud ſignificans, quam quod Proteſtantes dicunt, mitigari bonis operibus præſentes calamitates. Nec vox repugnat: nam Latinis ſatisfacere dicitur qui id facit quod offenſo placet. Quippe

pe & ſatisfacere illis dicitur, qui profitetur ſe nolle aliquid dictum factumve, ut videre eſt apud Plautum Amphitruone III, 2. Sic vocem ſatisfactionis uſurpant Cæſar, Suetonius, Aſconius, Martialis. Satisfacere dicimur & cujus deſiderium implemus. L. 1. ff. *Qui ſatisdare cog.* Et ſatisfactionem ita eſſe noſtram, ut per Ieſum Chriſtum fiat, agnoſcit Synodus Tridentina. Satisfactionum neceſſitas non alia credi debet, quam quæ eſt in illis verbis Apoſtoli, *Si nos ipſos judicaremus*, (id eſt, aut ſponte noſtra, aut duce Eccleſia) *non utique judicaremur.* 1 Corinth. XI, 31.

AD ARTICVLVM XIII.

Sacramentis non ſignificari tantum gratiam collatam, ſed & conferri, ſupra vidimus. Et opus operatum intelligitur Dei efficacia, ad honorandam Eccleſiam, & ejus unitatem nobis commendandam, Sacramentis attributa. Cæterum non negant Catholici requiri ad ſalutarem uſum in adultis fidem & Dei amorem. Et hæc ita ajunt requiri, ut efficaciæ honos Deo ſalvus ſit. In his omnibus nihil eſt controverſiæ, ſi dextera interpretatio accedat. Si qui minus recte locuti ſunt, eorum imprudentia alios non involvit.

Supra diximus ritum apud Hebræos, Chriſtum quoque & Apoſtolos uſitatum, manus imponendi, propter uſum ejus frequentiorem in firmandis baptizatis, ordinandis paſtoribus, reconciliandis pœnitentibus, copulandis conjugibus, animandis iis qui cum periculo vitæ ægrotant, fluxiſſe in quinque Sacramenta, additis ritibus quibuſdam, quos aut Apoſtoli inſtituere, aut poſterior ætas ad adum-

adumbranda quædam Scripturæ loca non inutiliter invenit. Eo autem minus æquum est eo nomine scindi Ecclesiam, quod eadem omnia, etsi non plane cum iisdem ceremoniis, habeant Ecclesiæ Orientis. Vide Ieremiæ Patriarchæ scripta ad Tubingenses.

Ad Articvlvm XIV.

Episcopi sunt Presbyterorum Principes: & ista οἰκονομία à Christo præmonstrata est in Petro, ab Apostolis vero, ubicumque fieri poterat, constituta, & à Spiritu sancto comprobata in Apocalypsi. Quare sicut est optandum ut ista οἰκονομία retineatur ubique, utpote non ad singularum tantum Ecclesiarum optimum regimen, sed & ad totius corporis compagem perquam necessaria; ita rogandi sunt reges & clericorum collegia, ut Episcopi fiant viri vitæ sanctæ, in sacris scripturis & Conciliorum actis, veterumque libris bene versati: deinde monendi Episcopi ut diligenter inquirant in vitam & studia eorum qui ad presbyteratum aspirant, ne presbyteri fiant inutiles, & plures quam opus sit ad instituendam plebem. Id si fieret, neque tot essent Missæ privatæ, quæstus causa, neque opus esset Monachis, qui in docendo populo & exomologesi audienda, præcipuas obeant Presbyterorum partes: neque causa esset, cur illi Monachi eximerentur ab inspectione Episcoporum, contra morem veteris, & nunc etiam Græcæ Ecclesiæ.

Ad

AD ARTICVLVM XV.

De his rebus supra diximus ad Articulum VII. Mores aut leges qui divinis legibus repugnant, non esse servandos satis constat. Et res per se mediæ desinunt tales esse, ubi pacis aut ordinis causa lex aut canon factus est, aut consuetudo legis vim accepit. Ab initio non multum refert utrum fiat: constituta autem lege plurimum, ait Aristoteles Nicomachiorum V, 10. Et qui Ecclesiis singulis aut corpori universo hanc adimunt potestatem, adimunt ei quod cognatum est omnibus societatibus. Verum est, non debere onera imponi nimia & inutilia, quale fuisset onus tot Iudaicorum rituum iis qui ex gentibus erant vocati: neque vero tales sunt ritus qui in Oriente & Occidente recepti sunt: sed pauci numero, sine sumtu, & minime graves, præsertim adhibitis temperamentis quæ adhiberi solent, & de quibus pulchra hic dixit Cassander. Sunt autem talia Deo grata, quia ordo & pax ipsi placent: partim etiam quia in iis si non virtutes sunt sitæ, at certe præparatus quidam ad virtutem. Cavendum autem ne in his præcipua pars pietatis ponatur, aut ne tantum hic insumatur curæ, ut propter hæc negligantur quæ sunt potiora.

AD ARTICVLVM XVI.

Verum est, non interdictam Christianis ἀνατροχὴν sive prælationem inter ipsos. Nam dominis egregia dant præcepta Apostoli, non autem vetant eos servis uti. Et quæ dixerunt dominis, eadem dicturi

dicturi fuerant regibus, si reges tunc fuissent Christiani. Cæterum monendi sunt qui potestates civiles obtinent, ne malint exscindere malos, quam emendare, & ne ad Draconeas leges veniant, ubi sine eis societas civilis conservari potest. Deinde Christianorum esse Principum vitare bella omnia, quod inter Christianos fieri facile potest mutua concessione, aut veniendo ad arbitros, quod ad minus incommodum, id est, ad lites incruentas vitandas, fieri vult Paulus. Qui in ea re æquas conditiones repudiabit, is jam nomine, non re erit Christianus. Qui autem Christi & Ecclesiæ causa aliquid de suo cedet, is nihil veri honoris ex eo perdet. Et in hac potissimum re quicquid fieri potest suadendo, non cogendo, id experiri debent Ecclesiarum præsides, pacis præcones, cum nunc contra bellorum conditores maximi inter ipsos reperiantur, nonnulli eorum ne à bellicis quidem actibus abstinent. Non male veteres canones tales actus interdixere clericis & monachis, imo & pœnitentibus. Quare nec spernenda est illorum laicorum cautio, qui cum videant multa in capitalibus judiciis, multo autem plura & majora in bellis peccari, ab utroque se abstinent: neque societates talium hominum, quales olim fuêre in Iudæa Rechabitarum & Essenorum, damnandæ essent, si non ab Ecclesiæ universæ corpore se segregarent, unde exemplum ortum est infinitarum etiam inter ipsos secessionum, ut olim inter Donatistas. Ac sicut cum tales societates inter Iudæos essent, non defuêre judices & milites, ita ne nunc quidem unquam sunt defuturi. Quod vero hîc dicit Cassander, Imperatorum & Regum hoc quoque esse officium, ut

leges

leges divinas & canonas conservent, verissimum est : debent enim Christo servire etiam qua reges. Sed cavere sibi debent ne schismati dent causam : sed ita se norint Ecclesiarum sui regni esse tutores, ut simul meminerint Ecclesiæ universalis se esse filios. Pessime autem officium hoc implent Principes, qui ea quæ olim Deo, id est, piis usibus, data sunt, ad suos & quidem profanissimos sæpe usus vertunt, hoc obtentu, quod nimis multa possideant Episcopi. Si nimium multa habent Episcopi, detur quod supersit Presbyteris & diaconis : detur Ecclesiis ædificandis aut instaurandis : detur pauperibus popularibus : & si ei desint, externis, sicut olim ab Achaja & Macedonia missæ sunt in Iudæam pecuniæ : redimantur qui apud barbaros sunt captivi, quam ob causam multi Episcopi vasa Ecclesiæ, etiam jam consecrata, vendidêre, quidam semetipsos dedêre pignori. Miror non terreri eos qui vetus Testamentum legunt, Achanis, qui Novum, Ananiæ exemplo. Et hæc vel præcipua causa est, cur tam diu bella durent, non tantum quia propter ista utrinque bellatur, verum etiam quia Deus contemtum sui sic ulciscitur. Quod autem dicit Articulus Confessionis Augustanæ, parendum esse Magistratibus, nisi cum jubent peccare, recte dictum est, modo sciamus eum qui Magistratui à Deo vetita jubenti nec paret, nec vi resistit, sed potius quam vi resistat mortem amat oppetere, id facere quod Christianos in Petri persona docuit Christus, quodque optimorum temporum Christiani fideliter implerunt. Et hæc fuit patientia illa quæ mundum vicit, quod omnium miraculorum est maximum. Et huc recte aptari possunt quæ sequente

quente Articulo dicuntur contra ſpiritus tales quales in urbe Monaſterii quondam apparuêre.

Ad Articvlvm XVII.

Origenis ſententia hîc non plenè exprimitur. Neque enim tantùm voluit finem fore pœnarum, ſed & impios homines & diabolos perventuros ad gaudia æterna.

Ad Articvlvm XVIII.

Liberum arbitrium nativis viribus & humana inſtitutione valet aliquid, ut rectè hic dicitur, ad res vitæ temporalis,

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Sed ejuſmodi innocentia nulla habet promiſſa vitæ cœleſtis.

Nec furtum feci, nec fugi, ſi mihi dicat
Servus, habes pretium, loris non ureris, ajo.
Non hominem occidi, non paſces in cruce corvos.

Ad vitam cœleſtem in Euangelio revelatam ac promiſſam opus eſt nova genitura, quæ contingit per verbū & Sacramenta, Deo intus operante, & per Spiritum ſanctum confirmatur. Neque tamen proprie loquendo mutatur voluntatis ſubſtantia, ſed qualitas. Vide ſcriptorem de vocatione gentium l. 1, c. 7. Et certe ne quid nativis liberi arbitrii viribus tribuatur ad vitam ſpiritualem ſive Euangelicam pertinens, ita bene cavit Synodus Tridentina; ut quæcumque Papæ veteres ad Afros aut Gallos in honorem gratiæ ſcripsêre, abunde in eâ contineantur. Coſterus ait peccatorem viribus ſuis non modo à peccato liberari non

non posse, sed nec ab illo posse resurgere, neque de peccato dolorem concipere, neque ad gratiam, aut peccatorum remissionem se disponere, neque pie erga Deum affici, aut pio affectu de Christo ut redemptore suo loqui sine divina motione & gratia præveniente. Tantam esse in eo intellectus cæcitatem, tantam voluntatis & cordis duritiem, ut nisi misericors gratia Dei præveniat, & mentem illustret, affectumque moveat, nunquam serio poeniteat, vel ad Deum convertatur. Hanc Dei motionem appellari Dei gratiam prævenientem & operantem, quod illam nullis meritis nostris exigentibus, nobisque nihil agentibus, sed in peccato secure quiescentibus, Deus pro sua misericordia in nobis sine nobis operetur, cor moveat, & mentem illustret. Homine vero per prævenientem gratiam à Deo præparato, Deum menti animoque ipsius per se gratiam atque justitiam, qua peccata omnia auferuntur, & homo ipse constituitur amicus & filius Dei, gratis infundere, homine nec operante, nec adjuvante, sed tantum hoc beneficium libere suscipiente & admittente instar mendici. Recte & illud Driedo atque alii, gratiæ divinæ auxilium prius esse quavis præparatione; quem sensum sic Prosper expressit, de gratia loquens:

Hæc ut cujusquam studio affectuque petatur,
Ipsa agit, & cunctis dux est venientibus ad se,
Perque ipsam nisi curratur, non itur ad ipsam.

Cœlestinus Papa: *Nemo nisi per Christum libero arbitrio bene utitur. Omnis sancta cogitatio & motus bonæ voluntatis ex Deo est.* Nec errant qui gratiam ajunt operari partim ad modum physicæ, partim ad modum moralis operationis. Quia vero mali initia abun-

de in nobis habemus per naturam, pravam educationem, & tot exempla, veræ autem emendationis à Deo inseri ac provehi oportet, hæc est causa, cur veteres in impiis magis præscientiam Dei, in piis magis prædestinationem agnoscant, quanquam nec hæc prædestinatio solet fieri κατ' ἐνέργειαν, secundum id quod prævalet. Omnia beneficia, quæ non toti humano generi sunt communia, vocantur electionis nomine in sacris litteris: in Euangelio ea quæ vitam novam in nobis inchoant, promoventque, & ad vitam æternam ducunt. Cum autem nihil Deus faciat sine decretis præeuntibus, omnia illa decreta, tanquam ad specialem quandam providentiam pertinentia, prædestinationis vocantur nomine, & quia in illis decretis quædam sunt, quorum causa reddi nequit, ut cur hic per Euangelium vocetur, ille non, hic potentius, ille minus potenter, cur huic prorogetur, illi præscindatur vita, ideo ex illa parte, ut nobiliore, de tota prædestinatione dicitur eam in hominibus causam non habere: non esse ex operibus: imo nec ex fide quidem.

Ad Articvlvm XIX.

Alia est causa cur homo in nativo statu aptus non sit ad vitam cœlestem, alia criminum quibus pœnas Deus minatur. Hæc enim ex libera voluntate proceduntur. Deinde quanquam Euangelica gratia suo demum data est tempore, & ne nunc quidem contingit omnibus, est tamen gratia quædam, ut loquitur scriptor libri de vocatione gentium, pardior & occultior, sufficiens quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium. Quibus

donis

donis auctorem suum per omnia secula protestantibus specialis gratia sit circumfusa. Vide disquisitionem de Pelagianis dogmatibus. Recte autem dicit Confessio Augustana, promissionem quæ sit per Euangelium esse universalem. de quo vide eandem disquisitionem. Agit hîc Cassander etiam de præscientia, cujus conciliationem cum libero arbitrio Cajetanus putat tam difficilem, ut in hoc ævo eam non sit assequi. At Maimonides intelligi eam ait à paucis sapientibus. non autem opus esse, aut expedire ut distincte explicetur populo, pro diversitate modi prænoscendi & decretis intercedentibus.

Ad Articvlvm XXI.

Vtile est in disputationibus abstinere verbis ambiguis. Invocatio dicitur, & oratio ad Deum, qua ab ipso, ut omnipotente, bona & æterna & temporalia petimus: & humani auxilii aut etiam deprecationis pro nobis imploratio. Adorationis quoque vox ambigua est: proprie enim significat signum honoris, quod apud multas gentes exhiberi solebat manum admovendo ori: à nonnullis vero sumitur hæc vox in priore illo sensu invocationis. Ob hanc ambiguitatem adorandi voce, ubi de Sanctis agitur, non utitur Synodus Tridentina. Honos Martyribus debetur, non is modo qui Sanctis viventibus, sed major multo, quia eos jam cum Christo regnare docet Apocalypsis VII, 14, 15, 16. XX, 4. fruuntur, ut loquuntur veteres, prærogativa resurrectionis: sunt jam nunc ἰσαγγέλοι, sicut alii futuri sunt post universalem resurrectionem. Itaque cum eorum fit men-

tio, honoris eximii signa illis exhibere, etiam celebrare eorum memoriam diebus ad id electis in eo loco ubi martyrium passi sunt, Beatæ vero Virginis & Apostolorum ubique, nihil habet mali. Orare eos pro Ecclesia agnoscunt Protestantes. Sed aliter illos pro nobis intercedere, aliter Christum recte notat Costerus: illos ut supplices, Christum ex parto jure. Cum vero regnum illud quod jam nunc habent sub Christo, aliquam requirat notitiam, ea quæ & quanta sit difficile est definire. Sed quod veteres probabile putaverunt docet hic Cassander, & M. Antonius de Dominis lib. VII, c. XII, 7, & sequentibus, ad quem lectorem remitto. Ac sicut Catholici eos non improbant qui ad Deum & Christum, prætermissis Martyribus, preces suas deferunt; ita inique faciunt Protestantes, quod idololatriæ damnant eos, qui multorum veterum sententiam secuti putant nostrarum necessitatum & precum notitiam aliquam ad Martyres pervenire, aut Dei revelatione, aut Angelis internuntiis: quo posito etiam implorationem recte fieri concedit Calvinus. Cæterum à multis modum excedi, negari non potest: idque Protestantibus hunc totum morem reprehendendi, id est, alia ex parte modum excedendi, occasionem dedit. Orandi sunt Episcopi, ut totum hoc quia periculo non caret, neque Synodus Tridentina eam quam voluit emendationem assecuta est, si fieri potest, ex communi liturgia & homilia tollant: sin minus, temperent: quod fieri poterit Sanctos laudando potius quam alloquendo, & Deum orando ut Sanctorum pro nobis preces gratas habeat. Nec illud quidem quicquam habet impii, orare Deum ut propter Sanctos,

ctos, qui in eadem nobiſcum communione fuêre, & ad eorum quoque pia facta reſpiciens, nobis bene faciat. Videmus enim ſic veteris Teſtamenti homines Deum obteſtari ut ipſis parcat propter Abrahamum, propter Iſaacum, propter Iacobum, propter Davidem, idque Deum feciſſe, ut 1 Reg. xv, 4. neque minor eſt noſtra cum Martyribus ſpiritualis conjunctio, quam illa carnalis populi Hebraici cum Patriarchis. Bucerus in Ratisbonenſi diſputatione agnoſcit Deum Sanctorum ſuorum opera remunerari, non tantum in ipſis, verum etiam in iis qui ad ipſos pertinent, & pro quibus ipſi intercedunt. Leo Papa ait horum meritorum vim pendere ex merito Chriſti: Lovanienſes quidam moveri Deum per Sanctorum merita (quo ſenſu ſic dicantur ex iis quæ ſupra dicta ſunt intelligi poteſt) ut Chriſti merita nobis applicet. Cæterum cum modus etiam in hac re non ſemper ſervetur, ut hîc notat Caſſander, & non uno loco Eſpenſæus, & Synodus Tridentina nihil dixerit hac de re, nihil mali eſſet ſi in oratione ad Deum tantū Chriſti meritorum fieret mentio, ex quibus fluunt & quibus cohærent cætera. Vt ad monumenta Martyrum concurreret populus, ibique Deum oraret, mos eſt vetus, aitque Chryſoſtomus, de Babyla agens, ea ratione maxime infigi animis Martyrum memoriam. Mos vero ſub altari ponendi reliquias, alludit ad Apocalypſeos locum VI, 9. Et recte fecit Iacobus Britanniarum rex cum agnovit verorum Martyrum veris reliquiis honorem, ſed ſui generis, id eſt, propter Martyres deberi, nec aliud dicit Bellarminus. Et hac in re hominibus Deus ipſe præivit reliquias Sanctorum honorando, II Reg. XII, 21.

Similia habes Actor. v, 15. xix, 12. Quod vero propter exiguam utilitatem & multos abusus Cassander mallet abstineri ostentatione & circumgestatione Reliquiarum, in eo, ut in multis aliis rebus, piam ostendit prudentiam: sicut & recte monet, Ecclesiarum Basilicas omnes Deo & Christo dicatas, non Sanctis, etiam illis quorum ibi peculiariter memoria celebratur. Ad imagines quod attinet, primum pictas ne Hebræis quidem generaliter fuisse interdictas ad decalogum ostendimus, cujus præcepto secundo Hebræi vetantur ullas facere imagines exstantes, quovis in loco. Iosephus: Οὐδὲ ἀξιοῦσιν ἐν τῇ πόλει δείκηλον τίθεσθαι, *nullum in urbe sinunt poni simulachrum*: & alibi, Οὐδὲ θεοῦ τι δείκηλον, οὐχ ὅπως ἀνδρὸς, οὐ κατὰ τὸν ναὸν μόνον, ἀλλ' ἐν εἰκαίῳ τινὶ τόπῳ θέσθαι θεμιτόν. *Nec Dei nec hominis simulachrum ponere illis licet, non modo non in templo, sed nec in profano loco.* Tacitus: *nulla simulacra urbibus suis, nedum Templis sunt.* Alterum quod eodem præcepto illis vetatur est, ne ullum signum honoris exhibeant apud imagines. Neutrum naturale esse & perpetuum satis apparet Cherubinorum argumento, apud quos summus Sacerdos post anniversarium sacrum Deum venerabatur. Positiva autem illa quæ fuêre in lege veteri, & nihil ad mores pertinentia, sed Iudæos separantia à gentium institutis, nihil obligant Christianos, non magis quàm lex Sabbathi, quæ & ipsa in Decalogo est posita. Propterea Christus cum perpetuo mansura Decalogi præcepta repetit, horum nullam facit mentionem. Cum vero multæ superstitiones occasione imaginum irrepserint, neque eas tollere, ut voluit, potuerit Synodus Tridentina, & Iudæi ac Mahumetistæ earum aspectu multum avertantur à Christianis-

stianismo, & Græci pictas tantum tabulas habeant, primum ex usu sit auferri Dei imagines, quod Episcopi quidam fecêre, & communiter fieri placuerat in colloquio Possiacenо : Christi vero & Sanctorum imagines, ubi receptæ non sunt, non poni : quin & auferri è publicis locis ubi sine offensa plebis id fieri potest, repositis in earum locum tabulis historias sacras continentibus : id si non potest, gnaviter doceri populum, usum imaginum unicum esse memoriam revocare : nullam autem esse in illis vim divinam aut beneficam, quod & Synodus Tridentina recte monet. Sollicite vero cavendum, ne quamvis sub favorabili obtentu paganorum in hac re mores in Christianismum reducantur : nec defendenda, quæ Scholasticis, magis se vulgo quam par erat accommodantibus, improvide exciderunt.

De utraque Specie Sacramenti.

Agnoscit Costerus Christum sub utraque specie Sacramentum suum instituisse, & porrexisse, & Ecclesiæ Christianisque omnibus ut idem facerent liberum reliquisse : & significationem sic esse pleniorem. Addunt alii etiam utilius sic sumi. Cum vero Martinus V Papa etiam post Constantiensem Synodum palam populo omni Sacramentum sub utroque symbolo dederit, & nunc quoque Papa & Cardinales Græcis id Romæ permittant, quin & adsint id facientibus : Synodus quoque Tridentina populis id poscentibus censuerit non negandum, nihil aliud est quod hac in re obstet concordiæ præter atroces accusationes illas quibus Protestantium nonnulli Ecclesiam

Romanam hac in re sacrilegii ream faciunt, cum tamen initio Lutherus, Melanchthon, Bucerus crediderint sine peccato sub uno symbolo hoc Sacramentum sumi posse, sicut sumunt abstemii sub solo pane, ægroti nonnulli sub solo vino: & tamen creduntur sumere totam rem Sacramenti. Est hac de re liber specialis Cassandri dignissimus lectu, ut & ea quę de hoc argumento scripsit Modrevius.

De unctione infirmorum.

Mos ungendi infirmos quam sit vetus, ex Iacobo apparet. Objiciunt Protestantium nonnulli id factum ad sanandos ægrotos : dona autem sanationum nunc cessare. Responderi potest, non quidem tam frequentia & conspicua esse quam olim fuêre dona sanationum : attamen Deum nunc quoque piis, quorum saluti id expedire judicat, sæpe morbos auferre aut mitigare : &, ut id non fiat, illud certum esse, omnes illas sanationes corporum figuras fuisse sanationis animorum: & proinde non male ad hanc obtinendam pares ritus usurpari. Adde quod & Græci hunc morem retinent: & Protestantium præcipui non improbant. Et tamen de unctione quæ nunc usurpatur, non eandem esse quæ Marci VI, 13. describitur, ait Suarezius, nec plane eam colligi ex loco Iacobi Cajetanus ad illum Iacobi locum. At vero cum mos sit Ecclesię universalis & utilitate non careat, nihil video cur non debeat retineri.

De cœlibatu Sacerdotum.

Nihil fecit contra Apostolum Ecclesia Occidentis, cum olim, sufficiente virorum castorum copia,

copia, cœlibes ad ministeria Ecclesiastica iis qui in matrimonio constituti sunt prætulit: præsertim cum eligerentur ad hujusmodi ministeria homines provectæ ætatis, & vitæ bene exploratæ. Alioqui si interdictores sunt matrimoniorum qui cœlibatum matrimonio præferunt, & ipse Apostolus sibi erit contrarius, qui Episcopum vult legi unius uxoris virum, quod mos Ecclesiæ interpretatus est, non post mortem uxoris alteris nuptiis implicitum: valde bene. nam pari loquendi genere Apostolus ad viduatus ordinē legi vult unius mariti uxorem, id est, semel tantum nuptam; neque enim eodem tempore duos habere viros feminis unquam licuit. Sed eadem Ecclesia olim, ut notat Cassander, matrimonia, etiam post ordinationem contracta non dirimebat, sed tantum eos qui ea contraxissent à functione sacerdotali amovebat, tanquam habentes κεῖμα, id est, quod culpari posset, ut de viduis quæ se Ecclesiæ dicaverant nubentibus loquitur Paulus 1 Timoth. v, 12. Quia vero res ipsa docuit multis in locis cœlibatum qui olim castus fuerat, mutatum in libidines fœdas, quæ & sacerdotum dedecorarent ordinem, & plebem, nisi occursum fuisset, ab omni pietate poterant avertere; propterea recte fecerunt Cassander & Modrevius, & alii viri pii, imo & Imperatores, & Reges non pauci, qui id suasere, ut ubi jam matrimonia Presbyterorum recepta sunt, maneat volente Papa, si non major, ea libertas quam Græci, qui se Ecclesiæ Romanæ communioni dedêre, usurpant: at quibus locis mansit cœlibatus, non eligantur ad sacerdotia nisi qui ejus sint ætatis & morum, ut exspectari ab ipsis bono jure possit castus cœlibatus: Deinde ut di-

ligenter vigilet disciplina, non tantum contra libidines, sed & contra liberiores talium aditus ad feminas. Iure divino non esse cœlibatum annexum sacerdotio consentiunt Cajetanus, Sotus, Bellarminus, Valentia. Espensæus in Epistolam ad Titum ait multis annorum centenariis post Apostolos Ecclesiam primitivam, defectu cœlibum, sacerdotes habuisse maritos. idem ait Costerus. Balsamo ante eam Synodum quæ in Trullo est habita, licuisse etiam Episcopis habere uxores. Orientales Sacerdotes matrimonio copulari ait Stephanus Papa: Cajetanus hoc amplius, Tomo I opusculorum tractatu XVII. *Diu licuit in Ecclesia Orientali contrahere post ordinationem*: nempe minoribus Clericis, ut Cantoribus, Lectoribus, Ostiariis, qua de re vide quæ collegit M. Antonius de Dominis, lib. II. cap. X, Y, & sequentibus.

De Missa.

Laudabile est quod volunt Protestantes ut in omni Missa sive Liturgia aliqui sint qui communicent, ut mox quoque dicemus. Sed eosdem Protestantes recte admonet Cassander, non recte ab eis omitti preces ad Deum, per quas oratur ut Spiritu suo dona sanctificet, faciatque ea corpus & sanguinem suum, quales preces habes in omnium gentium Liturgiis antiquis: qui consensus, nihil adferens incommodi, non est repudiandus. Operis operati vox quo sensu ab eruditis usurpetur, dictum est supra. Cæterum non omittunt Catholici exigere in communicaturo serium studium vitæ piæ, pios affectus, amorem Dei ac proximi. Sed caliginem huic doctrinæ affert multiplicatio ista Missarum, nulli rei nisi quæstui serviens,

ens, cui qui inhiant, nunquam populum bene instituunt. Et vel hac de causa utile esset minui numerum Sacerdotum, deinde si non in omnibus, in quibusdam certe Ecclesiis preces & laudes Dei peragi sermone vulgari, aut Latino primum, deinde vulgari, ut populus *Amen* respondeat.

De solitariis Missis.

Cum optet Synodus Tridentina ut in singulis Missis fideles etiam sacramentali Eucharistiæ perceptione communicent, morem hunc fuisse veterem & Græcæ & Latinæ Ecclesiæ dicat præter eos quos producit Cassander, Cardinalis Bellarminus, idemque testetur Clemens in Constitut. lib. 11. cap. 11. Gregorius secundo Dialogorum cap. 23. Walafredus Strabo c. 21. Gratianus in c. peracta 11. distinctione de consecratione, & c. tribus gradibus, ibidem : & c. hoc quoque distinctione prima : apud Græcos id nunc quoque fiat, & in Occidentis Monasteriis multis : & dicat Henricus Gorichemus teneri Presbyterum admittere laicos cupientes communicare : danda est opera ab Episcopis & Presbyteris ut hoc votum Synodi impleatur : nec admittantur tantum volentes laici, sed & invitentur ut velint. Cæterum non obstat hoc, quominus ægrotus aliquis simul cum domesticis suis, aut certe simul cum Presbyteris aut Diaconis communicet. Est enim communio etiam inter paucos.

De sacrificio Corporis & Sanguinis Christi.

Recte dici in actione Eucharistica corpus & sanguinem Domini, sive ipsam Domini passionem à nobis offerri supra diximus ad Articulum x. unde

unde & propitiatorium ſacrificium recte dicitur, ſiquidem Chriſti ſanguis propitiatio eſt pro mundi peccatis. Accedit quod qui criminum ſibi conſcii ſunt, non niſi per pœnitentiam piati accedunt, & ſic ipſam ſuam pœnitentiam, & pœnitentiæ opera, quæ & ipſa, ex vi ſacrificii generalis, ſacrificia ſunt propitiatoria novi fœderis, Deo offerunt. Nec pro mortuis precandi uſus, per omnes Eccleſias Orientis non minus quam Occidentis receptus, damnari debet. Bene dixit Auguſtinus de verbis Apoſtoli ſermone 31, univerſam hoc obſervare Eccleſiam. Nempe quia præmii qualitas & quantitas nondum decreta eſt, ſed decernetur & pronuntiabitur judicii die, recte fidelibus defunctis precamur, quod Paulus Oneſiphoro II Tim. 1, 18. Deinde quia mora reſurrectionis aliquid in ſe habet animis grave, oramus Deum ut dies plenæ beatitudinis illorum cito adveniat, exemplo Apocalypſeos in fine: præterea ut in illa mora Deus illis largiatur ſolatia, quæ refrigeria & ſomnum pacis, dixit antiquitas. Ex his qui hunc morem Eccleſiæ univerſalis improbant, quæro, cum fateantur ipſi nihil in cœlum intrare cui adſint illæ infirmitates quæ humanis animis in hac vita adſunt, ab illis infirmitatibus repurgationem ubi fieri exiſtiment. Si dicant in itinere animæ inter terram cœlumque, jam hoc erit ejus Purgatorium. At veteres Chriſtiani cum de fidelium animabus ante reſurrectionis univerſalis tempus loquerentur, regnare eas aut in cœlum admitti vix dicebant niſi de Martyribus, ob eam quam ſupra attigimus cauſam. Locum vero in quo interim eſſent aliorum piorum animæ non definiebant, ſed obſcure ſignificabant

cabant ᾅδου nomine, quod nomen aut locum aut statum animarum à corpore sejunctarum significat, & piis impiisque commune est : interdum distinctius nomine Paradisi, ad exemplum Hebræorum, quibus de vocabulis diximus ad Lucam XVI, 23. & XXIII, 24. Et sic nunc quoque sentiunt Græci. Attamen quod de Martyribus tradit Apocalypsis, idem de spiritibus justorum τετελειωμένων, ut loquitur epistola ad Hebræos XII, 23. censuêre nonnulli Hebræorum. Putant enim post tempus aliquod τελειώσεως, id est purgationis, spiritus illos in cœlum recipi. Sic loquitur Gemara Hagigæ : sic Midrasch Aneholam in capite Bereschith, Rabbi Moses Barschemtob in notis ad Rabbinum Israëlem, & Maimonides compluribus locis : quæ sententia etiam apud Christianos in Occidente invaluit. Hæc ut in magna rerum istarum caligine sobrie & circumspecte tractanda sunt : non autem damnandæ veteres liturgiæ, cum ne Christus quidem orationes pro mortuis apud Iudæos fieri solitas, quarum & formula exstat in Thalmudicis facta ut creditur in Babylonico exsilio, & mentio est in Maccabaico secundo, unquam reprehenderit : & in Ecclesia prima tolerati sint qui pro mortuis baptizabantur. Cæterum Gersonem laudo qui vita manente preces & pro se & pro aliis fieri maluit, & allaborari ut anima hinc quam purgatissima decederet. Vide de hoc argumento librum Wicelii : & dent operam omnes ut caveant tria quæ in hoc argumento caveri vult Synodus Tridentina, curiosas quæstiones, fabularum commenta, & quæstuum aucupia.

De

De Monachatu.

Monaſtica vita, id eſt abducta à turbis & ſeveriori innixa propoſito exemplum habet in Nazaræis, in Elia & Prophetis quibuſdam, in Rechabitis, deinde in Eſſenis. Et certum eſt multos in primo Chriſtianiſmo talem exercuiſſe vitam in ſuis domibus. Perſecutiones in Ægypto occaſionem dedere ſecedendi in loca deſerta, & ibi vivendi liberius, nemine impediente. Iidemque fuere apud veteres, ἀναχωρηταὶ, ἀσκηταὶ, μοναζοντες, quorum habitatio in locis ſolitariis. Tales etiam nunc ſunt in Oriente, & ex eorum probatiſſimis ſumuntur presbyteri, maxime vero epiſcopi, ut olim Baſilius, Chryſoſtomus, & alii: Nec illi ad victum quærendum moleſti ſunt cuiquam. ex ſuis vivunt operis, & ita parce, ut inde & alios pauperes adjuvent. Hæc vita à Baſilio egregie deſcripta laudanda potius quam improbanda eſt, & tamen diſcernenda adminicula pietatis ab ipſa ejus ſubſtantia. Cæterum ſicut vota rerum honeſtarum in noſtra poteſtate poſita violari non debent, ita homines ſuarum virium ignaros, minime ad tam ſublime propoſitum præparatos, admitti ad vota perpetua valde periculoſum eſt, & multis, ut apparuit, malis obnoxium. Deinde uſus factus eſt longe alius, ut exonerentur familiæ, ut lautior ſit aliorum hæreditas, non ut illi meliores. Quare optimum videtur inſtitutum Patrum Oratorii & quorundam virginalium cœtuum, ut libertas diſcedendi maneat, aut Ieſuitarum, ut id liceat venia à cœtu impetrata. Præterea accidendus eſt monachorum numerus, quorum otioſa multitudo reipublicæ nocet, & Eccleſiæ eſt plane inutilis,

inutilis, si non & damnosa reipublicæ & ecclesiæ: qua de re multa dici vere possent, si non satis nota essent omnibus. Deinde qui restabunt, serio debent emendari, & ad antiqua instituta, quantum fieri potest retrahi, Papæ & episcoporum cura, sed & regum. Vota non omnia esse illicita docet nos Lucæ narratio de Paulo: & ita olim senserat Lutherus: sed cavendum ne quid voveatur quod legi divinæ contrariũ sit, aut aliquando esse possit: ne lædantur jura eorum quorum sumus in potestate: ne temere & improvide vota fiant: deinde ne credatur in votis talibus esse perfectio, sed status facilius acquirendæ perfectionis, ut loquitur Gerson, perfectionis nempe quanta in hac vita possit contingere. Etiam Philosophi monent ne turbæ se facile committant, qui sunt εἰς τὴν κακονομίαν, in profectu ad virtutem. Quod de virginibus virginitatis propositum professis dixit Cyprianus: *quod si ex fide se Christo dicaverunt, pudice & caste sine ulla fabula perseverent: ita fortes & stabiles præmium virginitatis expectent. Si autem perseverare nolunt, vel non possunt, melius est nubant, quam in ignem delictis suis cadant:* & Hieronymus ad Demetriadem: *Quibus aperte dicendum est, ut aut nubant, si se non possunt continere, aut contineant, si nolunt nubere*: idem monachis multis, mutata sexuum voce, aptari potuisse quis non videt? Et vota etiam solemniter facta posse laxari, docent Azorius de votis, Maldonatus in Summa, & multi alii: & exempla habemus in historiis Arragoniæ & Poloniæ. Connubia post votum contracta non debere dirimi Augustini erat sententia relata in corpus Gratiani Decret. XXVII. quæst. 1. c. Nuptiarum.

De Ca-

De Canonicis.

Olim presbyteri, excepto cœlibatu, non minus strictam regulam sequebantur quam Monachi, abdicatis bonis suis, aut si iis frui vellent, parcè utentes & abstinentes ab Ecclesiæ proventibus. Postquam disciplina illa prima, de qua egregia habet Salmasius ad Pallium, labi cœpit, cœpere ab Augustino aliisque clericis ad vetus institutum, quod tunc monachi sequebantur, redigi, dicique canonici, quod regulam servarent. Id vero adeo non mansit, ut Canonici existiterint dicti irregulares, quod est, ut cum scholis balbutiamus, oppositum in appositio. Et qui sic voce dicti non sunt, sæpe tamen re hoc fuere: & utinam ne nunc quidem multi sint tales. Sed quid facias cum collegia talia multis in locis impleant Principes ineruditi, & otiosi nobiles, exclusis illis qui in vitæ sanctimonia principatum, & ex eruditione nobilitatem habent? Et reges & episcopos cura spectat, hæc ut corrigantur: sed id ita demum sperabimus, si qui alios corrigere debent, prius semetipsos corrigant.

De potestate Ecclesiastica.

Cum episcopis commissum sit Ecclesiæ regimen Hebr. XIII, 17, & nullum sit regimen sine jure constituendi quædam, sequitur hinc episcopum cum presbyterorum ordine in sua ecclesia, & episcopos canonice congregatos in pluribus ecclesiis, quædam constituere posse, non contra jus divinum (id enim nemo dixerit) nec ut istæ constitutiones æquentur divinis legibus, nedum ut præferantur, sed ad δίκαιον, secundum præceptum

ptum Apoſtoli 1 Corinth. xi, 16. xiv, 33. Deinde ad cavenda ea quæ infirmos animos à recto curſu poſſent avertere, quo referri ſolet à multis decretum illud Actor. xv, 20. Præterea ad magis parandos animos pietati, quo ſpectant ſtata jejunia, per omnes Mundi eccleſias uſitata, & alia quædam. Sic Chriſtus & Apoſtoli obtemperarunt conſtitutioni de itinere Sabbati per ſapientes definito, & de hora una ante, una poſt ſabbatū additā ad majorem cautionem. Bene ait Gerſon de actibus internis nihil præcipere poſſe Prælatos: nec quicquam adjicere Fidei capitibus, aut legi divinæ tanquam ejus partem. de externis, obligare, quatenus divinis legibus, in quibus eſt & illa de pace & ordine ſervando, & cavendis offendiculis, ſerviunt: ita ferme quomodo Medici præceptum obligat ad non bibendum vinum, in tali aut tali valetudine. Idem recte docet conſtitutionum multitudinem ſæpe in cauſa eſſe cur Dei præcepta, quæ ſunt potiſſima, negligantur: & eam vim eſſe conſuetudinis longæ ut omni humanæ conſtitutioni obroget. Remiſſionem peccatorum Catholici ne iis quidem operibus acceptam ferunt quæ à Deo præcipiuntur, multo minus iis quæ homines, quanquam ſalutariter, præcipiunt. Neceſſitatem quoque agnoſcunt non niſi ἐξ ὑποθέσεως, qualem Eccleſia pro temporum & locorum ratione intendit, aut remittit. Omnia quæ hīc dicit Caſſander egregia ſunt.

His ita poſt Caſſandrum diſcuſſis monendos arbitror Catholicos ne adeo indignentur, ſi res quædam mediæ, ſed quarum abuſio frequens erat & continua, repudiatæ ſunt à Proteſtantibus, cogitentque quid de ſerpente æneo fecerit Ezechias,

zechias. Proteſtantes vero monendos cenſeo, ne idololatriæ accuſent ea quæ vident placuiſſe illis eccleſiis, quarum ſocietatem negant ſe fuiſſe declinaturos ſi in illa incidiſſent ſecula. utroſque, ne convitiis potius quam rationibus certent: ne alter alterius ſententiam verbis aliis proponat, quam ille eam exprimit: deinde illationibus, ſæpe illegitimis & ad animos tantum exulcerandos pertinentibus, traducat. deinde vero ut canones Apoſtolicos & alios ævi proximi in uſum revocent, tum in rebus aliis, tum maxime circa electiones epiſcoporum & presbyterorum. Vbi mores correcti erunt, facilius de dogmatibus & ritibus conveniet: eóque magis, quod diligens lectio poſt literas velut renatas effecit ut utrique & commodius loquerentur, & offendicula quædam auferrent. Quia vero nonnullæ quæſtiones in diſputationem vocari frequenter ſolent, præter eas quas attigit Caſſander, etiam de his quædam ad pacem non inutilia dicemus.

De Canonicis Scripturis.

De libris Novi Teſtamenti convenit utrinque. Veteris autem Teſtamenti libros, quos Canonicos agnoſcunt Proteſtantes, qui hac in re Iudæos & Athanaſium, Cyprianum & maxime Hieronymum, ferme & Concilium Laodicenſe ſequuntur, eoſdem Catholici agnoſcunt. Catholici ex decretis tum Florentinæ, tum Tridentinæ Synodi addunt libros Tobiæ, Iudith, Maccabæorum, Baruch, Eccleſiaſticum & Sapientiæ. Nam additamenta ad Eſterem etiam poſt Synodum Tridentinam abdicat Senenſis: & idem puto alios facere de additamentis ad Danielem, præſertim cum

cum Latini codices, ad quos Tridentina nos remittit, varient. Canus etiam de Baruchi libro putat sine culpa hæreseos posse dubitari locorum Theologicorum 11,9. Vtiles esse eos libros quos in canone ponit Synodus Tridentina, Protestantes non negant: & in ecclesia Anglicana libri isti legi solent. Conciliaturam nobis dat Hieronymus in præfatione ad Proverbia, qui ait utiles eos esse ad ædificationem plebis; non ad ecclesiasticorum dogmatum auctoritatem confirmandam, quæ eadem ferme verba Cajetanus usurpat in hac re, sine Commentariorum ad vetus Testamentum. Cardinalis Bellarminus positos ait in gradu inferiore, approbante hoc ipsum Iacobo Magnæ Britanniæ rege. Nimirum non sunt hi libri à Prophetis aut scripti aut approbati, ut illi quos Hebræi agnoscunt: sed Ecclesia Christiana, aut certe magnæ ejus partes, credidere nihil esse in his libris quod non cum illis quos omnes agnoscunt, bene conveniat. Solent quædam hîc objici, ad quæ in nostris ad eos libros annotatis respondebimus.

De Sufficientia Sacræ Scripturæ & Auctoritate Traditionum.

Apostoli non scripto tantum, sed & ore docuere 11 Thess. 11, 5. 1 Corinth. xi, 2. & prius ore quam scripto, sicut & religio primorum sæculorum sola traditione propagata fuit, & Iesus Christus ipse nec scripsit, nec scribendi præceptum dedit, sed prædicandi. Et narrant veteres, apud Indos Asiæ ecclesias fuisse sine libris per centum annos. Non est autem dubium quin parem auctoritatem habere debeant quæ Apostoli scripse-

QVi gaudes Batavis quod aheneus adſtat Eraſmus,
Præmia ſed meritis iſta minora putas:
Qui quod Caſſandri veracia ſcripta terantur
Cordeſio grates hac bona propter agis:
Quem pradulce juvat ſtillante Melanchthone nectar:
Qui VVicelli chartas Modreviique legis:
Qui pia vota probas Palatinis inſita libris,
Deque decem velles non periiſſe duos:
Quisque putas regem multum ſapuiſſe Britannum,
Cum ſua mandavit ſanſa Caſaubonidæ:
Accipe, ſed placidus, quæ ſi non optima, certe
Expreſſit nobis non mala pacis amor:
Et tibi dic: noſtro labor hic ſi diſplicet ævo,
A grata pretium poſteritate feret.

H. G.

DISQVISITIO
DE
DOGMATIBVS
PELAGIANIS.

H. G.

DISQVISITIO DE DOGMATIBVS PELAGIANIS.

CVm verum in quaque re unicum sit, cui falsum multiplex opponi potest, mirum non est, si verum difficulter invenitur, præsertim cum ejus rectam inquisitionem præconceptæ opiniones, adde & affectus, plerumque impediant. Hinc sæpe fit, ut qui falsum ex una parte apparens vident, ejus fugiendi studio abrepti longius, non in verum deveniant, sed in falsum alia ex parte positum; atque ita errorem non exuant sed mutent: quos si quis ad verum velit retrahere, is statim ut contrarii erroris defensor aut fautor in odium publicum adduci solet. Ita olim Sabelliani Catholicos, quod hypostases distinguerent, quasi Tritheitas aut Arianos; Tritheitæ & Ariani eosdem, quod Deitatem non discerperent, quasi Sabellianos differebant. Eutychiani eos qui recte sentiebant de Christi naturis duabus, ajebant cum Nestorio conspirare: eosdem Nestoriani Eutychiano nomine infamabant, quod Christum non nisi unum agnoscerent. Quæ cum olim evenisse videamus, minus mirandum est, si hoc sæculo simile quid eveniat. Cum vero hoc tempore maxime caleat Pelagianismi criminatio, an non ea quoque

in re tale quid, quale diximus, lateat, diſquiſitu maxime eſt neceſſarium.

Res ut intelligatur, illud primum, quamquam ferme ſupervacuum eſt monere, monebo tamen, non eſſe Pelagianum, id eſt Pelagianiſmi partem, ſi quid forte Pelagius aut Pelagianus aliquis dixerit. Quam multa enim ſunt quæ Pelagio concedit Auguſtinus? Ipſa fides Pelagii iis verbis erat ſcripta, ut pro Hieronymi opere & olim & nunc etiam à multis legatur. Denique Auguſtinus negat quemquam ex eo eſſe Pelagianum aut Cæleſtianum, quod liberum arbitrium agnoſcat. Neque vero ſi quid in diſputatione adverſus Pelagium allatum eſt ab aliquo, id qui negat, in Pelagianiſmum incidit. Alioqui aut Hieronymus aut Auguſtinus hoc crimine tenebuntur, qui cum in ſumma rei conſentiant, circa incidentes tamen quæſtiones in diverſa ire manifeſte conſpiciuntur. Quare pro Pelagianis, ſi ſapere volumus, ea demum habebimus, quæ ut Pelagiana damnarunt veteres Synodi, quarum judicium univerſa Eccleſia eſt ſecuta. Cum autem in Pelagii cauſa complures habitæ ſint Synodi, omnes priores ad eam rem pertinentes Canonas ſuo ambitu comprehendunt acta magnæ Synodi Africanæ, quæ nunc ſub Milevitani Concilii nomine leguntur. Recte autem monet Auguſtinus libro de bono Perſeverantiæ, capite 11, tria eſſe quæ maxime adverſus Pelagianos Catholica defendit Eccleſia: quorum primum ad gratiam pertinet: alterum ad imperfectam hujus vitæ ſanctitatem: tertium ad reatum originalem. Maxime cum dicit, ea intelligit ob quæ damnatus eſt Pelagius. nam erant & alia minuta, neque ad hæreſis quæſtionem pertinentia,

quæ

quæ cum eo disputabantur. Atque ad ista tria nec alio pertinent Canones ejus quam diximus Africanæ Synodi, ut & in ipsis Canonibus videre est, & in eo Canonum compendio quod ad Carolum Magnum misit Adrianus. Canones qui aut originalem reatum, aut imperfectam in hac vita sanctitatem statuunt, nihil ad hanc rem pertinent. nam quæ hodie ut Pelagiana damnantur, ea ab illis controversiis remota esse nemo non videt. De Gratiæ operatione, tum in cōversione, tum in perseveratione, tota vertitur quæstio. Pelagius gratiam agnoscebat eam, qua cum libero arbitrio creati sumus, legis quoque promulgationem & remissionem peccatorum: sed internam illam Gratiam, præsertim quæ voluntatem movet, negabat esse necessariam. Damnat igitur Africana Synodus capite III, dogma hoc: Gratiam Dei qua justificamur ad solam remissionem valere peccatorum quæ commissa sunt, non etiam in adjutorium ut non committantur. Capite IV, dogma hoc: ad Scientiam nos habere Gratiam Christi: ad Charitatem non habere. Capite V, Gratiam justificationis dari, ut quod facere jubemur per liberum arbitrium, facilius possimus implere per Gratiam, tamquam etsi Gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possemus etiam sine illa implere divina mandata. Eundem cum his quæ diximus sensum habet illud quod Episcopi Africani, Osorius atque alii, ut Pelagianum damnant, Gratiam non ad singulos actus (salutares scilicet) dari: & illud Augustino toties exagitatum: Gratiam secundum merita dari. Nam cum meriti nomine ea ætas intellexerit opus omne quod Deo ita gratum est ut ei mercedem

dem polliceatur, qui Gratiam ſecundum merita dari dicit, aliquod opus, cui merces promittatur, proficiſci vult ex naturæ viribus, non ex Gratia. Quem dicti illius ſenſum clare explicat Auguſtinus II contra epiſtolas Pelagianorum, cap. IX: *Hoc quippe ita dicunt, velut homo à ſeipſo, ſine adjutorio Dei, habeat propoſitum bonum ſtudiumque virtutis, quo merito præcedente dignus ſit adjuvari Dei gratia ſubſequente.* Cui Pelagianorum ſenſui hunc ſuum opponit: *Hominis propoſitum bonum adjuvat quidem ſubſequens Gratia, ſed nec ipſum eſſet, niſi præcederet Gratia. Studium quoque hominis quod dicitur bonum, quamvis cum eſſe cœperit, adjuvetur à Gratia, non tamen incipit ſine gratia, ſed ab illo* (Deo) *inſpiratur.* Et adverſus eaſdem epiſtolas lib. IV, c. VI, *Sic enim volunt intelligi* (Pelagiani) *quod dictum eſt, ſi volueritis & audieritis me, tanquam in ipſa præcedente voluntate ſit conſequentis meritum Gratiæ, ac ſi Gratia jam non ſit Gratia, quæ non eſt gratuita, cum redditur debita. Si autem ſic intelligerent, quod dictum eſt, ſi volueritis, ut etiam ipſam voluntatem illum præparare confiterentur, de quo ſcriptum eſt, Præparatur voluntas à Domino, tanquam* CATHOLICI *uterentur hoc teſtimonio, & non ſolum hæreſim Manichæorum vincerent, ſed* NOVAM PELAGIANORVM CONTERERENT. Poſtea: *Qui meritum* ANTE GRATIAM, *& ideo jam contra gratiam defendentes, priores volunt dare Deo, ut retribuatur eis, priores utique dare quodlibet ex libero arbitrio, ut ſit Gratia retribuenda pro præmio, ſapienter intelligant, vel fideliter credant, etiam quod ſe* PVTANT PRIORES DEDISSE, *ab illo ex quo ſunt omnia, per quem ſunt omnia, in quo ſunt omnia, percepiſſe.* Recte igitur Hypomneſticon ſcriptor omnem quæ cum Pelagio erat de Gratia controverſiam his definit verbis: *Poſſe dicunt hominem per liberum arbitrium, tanquam per ſe ſibi ſufficientem, implere quod velit,*

vel

vel etiam meritis operum Gratiam à Deo unicuique dari.

Atque huc referri poſſunt ac debent omnia illa, quæ in hac cauſa ut Pelagiana damnavit veteris Eccleſiæ conſenſus : neque ullo modo huc trahendæ ſunt diſcrepantes de prædeſtinatione ſententiæ, niſi ſi quæ forte ea quæ diximus ſecum trahant : ut ſi quis ſtatuat hominem ad gloriam prædeſtinari ex operibus, aut etiam ex fide, tanquam vi nativa præſtitis. Si quis ſanctos ſcriptores, qui Auguſtinum anteceſſerunt, cum cura legerit, videbit verum eſſe quod dicit Proſper, *Pene omnium parem inveniri & unam ſententiam, qua propoſitum & prædeſtinationem Dei ſecundum præſcientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vaſa honoris, alios vaſa contumeliæ fecerit : quia finem uniuſcujuſque præviderit, & ſub ipſo Gratiæ adjutorio, in qua futurus eſſet voluntate & actione, præſcierit* : idque ipſum verum eſſe non obſcure agnoſcunt Calvinus III Inſtitution. cap. XXIII ; & Beza ad Rom. IX. At Auguſtinus prædeſtinationis nomine non illud tantum comprehendit decretum, quo crediturus & perſeveraturis gloria aſſignatur, ſed & omne illud, quo præparatur Gratia per quam creditur & perſeveratur : in quo comprehenditur etiam vitæ modus contractior aut productior. Cui quidem decreto ſubſternit præſcientiam, qua Deus novit tali auxiliorum ſerie præparata, certo, quamquam libere, futurum, ut hic aut ille credat & in fide perſeveret : atque ita vocatos dicit vocatos quomodo aptum eſt ut ſequantur, aut congruenter vocatos. Vtrum vero Auguſtinus hanc vocationem, quæ ex tali fluat prædeſtinatione, ideo ſecundum propoſitum vocet, quod in illis hominibus propoſitum illud commune Dei, quo omnium hominum ſalutem

deſiderat,& ad eam obtinendam neceſſaria ſubminiſtrat, plenum ſuum effectum ſortiatur, manentibus interim in occulto plerumque cauſis cur huic magis quam illi hujus aut alterius generis auxilia ſuppeditet, an vero ideo quod ante auxiliorum delectum, certo illos, ſalva tamen libertate, ad gloriam perducere decreverit; inter viros pios & eruditos modeſte diſputari ſolet, extra controverſiam poſita, ut diximus, libertate humanæ voluntatis in eo conſenſu quo vocanti paretur. Neque mirum hac de re nunc dubitari, cum Proſper, qui omnia Auguſtini diligentiſſime legerat, jam tum dubitarit (ut ex epiſtola ipſius apparet) an ex Auguſtini ſententia, *in his qui aliquid boni acturi ſunt, per præſcientiam poſſit ſtare propoſitum*, illud ſcilicet quod pure ac definite ſalutem alicui addicit, *an vero præſcientia ſit ſubnixa propoſito*. Sed ſive prius illud, ſive poſterius, quicquid denique Auguſtinus ſenſerit, illud manifeſtum eſt, neminem eo nomine Pelagianum dici poſſe, quod hac in parte ab Auguſtino diſſideat, niſi, ut dixi, prædeſtinari hominem ſtatuat ex iis factis quæ ſine Gratia præſtentur. Nam primum Synodi contra Pelagium congregatæ, etiam illæ quibus Auguſtinus interfuit, nihil plane de Prædeſtinatione decernunt: neque magis epiſtolæ quæ à Romanis Epiſcopis de hoc negotio ſcriptæ ſunt. Imo contra Cæleſtinus Papa in epiſtola ad Galliæ Epiſcopos hac de re conſultus, cum primo ſtatuiſſet eſſe originalem reatum, deinde neminem per ſemetipſum bonum eſſe, niſi participatione ejus qui ſolus eſt bonus, neminem jam revocatum idoneum eſſe ad ſuperandas diaboli inſidias, niſi per quotidianum adjutorium, neminem niſi per Chriſtum libero

libero bene uti arbitrio, omnia ſtudia, opera ac merita ſanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda, quia nemo aliunde ei placeat, niſi ex eo quod ipſe donaverit, ſanctam cogitationem, pium conſilium, omnemque motum bonæ voluntatis ex Deo eſſe : deinde vero ea damnaſſet quæ in magna Synodo Africana damnata jam ante retulimus, ſuamque ſententiam argumento orationum quas fideles pro infidelibus celebrant, & rituum in baptiſmo uſitatorum confirmaſſet, nihil ultra addendum cenſuit, epiſtolamque hac ſobria admonitione concluſit : *Profundiores vero difficiliores-que partes intercurrentium quæſtionum* (difficillima autem haud dubie eſt illa de Prædeſtinatione, quæ maxima ingenia pridem exercuit, & nunc quoque exercet, quam non eſſe principalem controverſiam, ſed intercurrentem quæſtionem jam oſtendere cœpimus) *quas latius pertractarunt qui hæreticis reſtiterunt*, (puta hinc Hieronymus, inde Auguſtinus, & eum ſecutus Proſper & Hypomneſticon ſcriptor) *ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus adſtruere. Quia ad confitendam Gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus detrahendum eſt, ſatis ſufficere credimus, quicquid ſecundum præſcriptas regulas Apoſtolicæ ſedis nos ſcripta docuerunt, ut prorſus non opinemur Catholicum, quod apparuerit præfixis ſententiis eſſe contrarium.* Senſit ergo Cæleſtinus, & cum eo Clerus Romanus & univerſa Eccleſia hanc epiſtolam ſecuta, ſatis defendi poſſe Gratiæ dignitatem, etiamſi de prædeſtinatione, quam illa epiſtola ne attigerat quidem, alius alia ſentiat : neque ea ſententiarum diverſitate cuiquam Catholici nominis honorem eripi. Idem ex eo evincitur, quod jam ante diximus, à veteſtioribus Auguſtino ſcriptoribus prædeſtina-

tionem non aliam agnosci, quam quæ est ex præ-
scientia veræ fidei. At Pelagianum dogma ubi-
que ut novum exagitat Augustinus: cui hac qui-
dem in parte consentit Vincentius Lirinensis:
Quis, inquietis, ante profanum illum Pelagium tantam vir-
tutem liberi præsumsit arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus per a-
Etus singulos adjuvandum, necessariam Dei gratiam non puta-
ret? Is quem dixi Augustinus, lib. IV adversus
Pelagianorum epistolas, ita loquitur: ANTI-
QVITVS fundatam Catholicam fidem adversus recentem
Pelagianorum hæreticorum præsumptionem perniciemque de-
fendimus. Et cap. XII, Quibus demonstratur quomodo sit
hæc quam tenemus fides vera, vereque Christiana atque Catho-
lica, sicut per scripturas sanctas ANTIQVITVS tradita,
sic à patribus nostris & usque ad hoc tempus, quo isti eam con-
vellere tentaverunt, retenta atque servata, & deinceps propi-
tio Deo retinenda atque servanda. Nominatim Ambro-
sium in ista causa à se stare profitetur Augustinus.
At Ambrosii est, libro V de Fide, cap. III, Non
enim ante prædestinavit quam præsciret: & quæ sequun-
tur. Legitur & sub Ambrosii nomine, quod si
non ejus, certe ætatis ejusdem est, in VIII ad
Rom. Istos quos PRÆSCIIT futuros sibi devotos, ipsos
elegit ad promissa præmia capessenda. Item: Et misericor-
diam dabo ei, quem præscii post errorem recto corde reversu-
rum ad me. Hieronymus acerrimus Pelagii oppu-
gnator, Pelagianismo affinis, nisi ab insanis ho-
minibus, dici non potest. At ex Hieronymi sensu
ad Gal. I, Ex Dei præscientia evenit, ut quem scit justum
futurum, prius diligat, quam oriatur ex utero. Item ad I
Malachiæ: Dilectio & odium Dei vel ex præscientia nasci-
tur futurorum, vel ex operibus. Et ad Rom. VIII, Propo-
suit sola fide servare, quos præsciverat credituros: & ad ca-
put XXI, Illam plebem non repulit, quam præscivit esse cre-
dituram.

dituram. Et epistola ad Hedibiam, quæstione decima : *Vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam suam, non irrationabiliter salvat & absque veritate, sed causis præcedentibus : quia alii non susceperunt filium Dei, alii autem recipere sua sponte voluerunt : ex quo ostenditur, non gentes eligi, sed hominum voluntates.* Imo in ipso adversus Pelagianos conflictu, libro III, *Eligit,* inquit, (Deus) *quem bonum cernit.* His adde quod Augustinus ipse, & in ipsis postremis libris, ea quæ ad Simplicianum jam Episcopus scripserat, commendat ut sufficientia refutando dogmati Pelagiano. At in eo opere manifeste vetustiorem illam de prædestinatione secutus erat sententiam : lib. I, quæst. II, *Nemo eligitur,* inquit, *nisi jam distans ab illo qui rejicitur : unde quod dictum est, quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum, nisi de præscientia fidei & operum pietatis.* Mox de Iacobo : *Non electus est ut fieret bonus, sed bonus factus eligi potuit.* In iisdem quos dixi postremis libris nonnulla quæ de prædestinatione disputaverat, neque necessaria creditu, neque comperta plane à se haberi, satis ipse indicat, cum libros de Prædestinatione Sanctorum, & bono perseverantiæ hunc in modum concludit : *Qui vero errare me existimant, etiam atque etiam diligenter quæ sunt dicta considerent,* NVM FORTASSIS *ipsi errent. Ego autem cum per eos qui meos labores legunt, non solum doctior, verum etiam emendatior fio, propitium mihi Deum agnosco : & hoc, per Ecclesiæ Doctores maxime exspecto, si & in ipsorum manus venit, dignenturque nosse quod scribo.* Quare cum alibi dicit scire se adversus eam quam ipse doceat Prædestinationem non posse nisi errando disputari, locorum diligens inspectio docebit agere eum de divino decreto, quo & prima Gratia ante omne meritum, & sequentes sapien-

tiantur ſententiæ, quæ dicat adjutorio opus non eſſe divino. Synodus Africana magna in epiſtola ad Zoſimum Romæ Epiſcopum, vult *excommunicationis ſententiam tantiſper manere adverſus Pelagium & Cæleſtium, donec fateantur Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, non ſolum ad cognoſcendam, verumetiam ad faciendam juſtitiam, nos per actus ſingulos adjuvari, ita ut ſine ea nihil veræ ſanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.* Hoc autem quod ſolum, ut videmus, in hac controverſia à Pelagio poſtulatum eſt, apertiſſime cum vetere Eccleſia fatentur hi qui nunc ut Pelagiani traducuntur : neque vero ſolam agnoſcunt Prædeſtinationem Euangelio credentium, & perſeverantium ad ſalutem, de qua præcipue agi in epiſtola ad Romanos exiſtimant, ſed & Prædeſtinationem eam ſecundum quam Deus pro ſua libertate ac ſapientia plerumque nobis inſcrutabili, alta & profunda (ut Auguſtinus loquitur) ordinatione, dona ſua diverſis modis atque menſuris diſpenſat, ita etiam ut ſæpe paribus imparia, imparibus paria, & pejoribus majora largiatur : quam proinde *diverſitatem graduum* (ut ait ſcriptor de vocatione Gentium) *non poſſumus cauſis aptare meritorum.* Paratiſſimi denique ſunt ſubſcribere Fulgentianæ iſti ſententiæ : *Deus ad regnum prædeſtinavit, quos ad ſe præſcivit miſericordiæ prævenientis auxilio credituros, & in ſe miſericordiæ ſubſequentis auxilio manſuros.*

Diſtinguenda etiam à Pelagio cauſa Maſſilienſium, quos nonnulli, an recte non diſputo, Semipelagianos vocant. Maſſilienſes autem vocantur, quod eorum per omnem Galliam magnus, Maſſiliæ autem maximus eſſet numerus. Hi ſtatuebant, fidem ipſam, & eam voluntatem, qua opera ſancta fiunt, à Gratia eſſe : At in hominibus, ſi non

qui aliquos ad malum divina poteſtate prædeſtinatos credunt, Maſſilienſium errorem rejeciſſe contenta, nuſquam eos à communione excludit. Nimirum cum dogmata ex uſu præcipue æſtimanda ſint, ſatis viderunt eorum temporum Epiſcopi aliam eſſe cauſam Pelagianorum: quorum aſſertio precum extinguit ſtudium: ut recte Hieronymo & Epiſcopis Romanis obſervatum eſt, (quid enim opus eſt petere quod nobis præſtare poſſumus?) aliam vero eorum qui ad fidem & bona opera niſi precando negabant poſſe perveniri: quamquam preces has quoque ipſas acceptas Deo ferri debere non ſatis animadverterent. Quod ſi iſti à Pelagianiſmo immunes, quanto magis illi qui cum vetere Eccleſia Maſſilienſium errorem aperte rejiciunt? ipſaſque preces & prima boni ſalutaris deſideria venire ajunt ex gratia quadam communiore? *Quæ opitulatio* (ut ſapienter loquitur ſcriptor libri de vocatione Gentium, qui Proſpero attribui ſolet) *per innumeros modos ſive occultos ſive manifeſtos omnibus adhibetur, & quod à multis refutatur, ipſorum eſt nequitiæ, quod autem à multis ſuſcipitur, & Gratiæ divinæ eſt, & voluntatis humanæ*: totumque illud agnoſcunt, quod qui agnoſcunt, eos *ſanctorum Patrum divinitus inſpiratis adhærere ſententiis* profitetur Fulgentius: *in hominis voluntate nihil bonæ cogitationis oboriri, niſi quod beneficio Gratiæ prævenientis infunditur, nihil in melius augeri, niſi quod ſubſequentis juvamine roboratur: nihil benè conſummari, niſi quod eadem operante atque opitulante perficitur.*

Sufficere vel hæc ſola quæ diximus poterant ad refellendum Pelagianiſmi crimen. Nam ſi Pelagiani non ſunt, qui initia quædam fidei ſalutaris, ſine gratia, ex naturæ viribus deducunt, multo minus

minus illi, qui ipsa illa initia ex Gratiæ uberrimo fonte derivant. At quoniam certa quædam sunt pronuntiata quæ vulgo trahuntur in ejus criminis argumentum, generali isti refutationi addemus & singularem suis locis accommodatam. Poterat ad singula optimo jure dici, onus probandi ipsos spectare, qui alios accusarent : quare cum Pelagianismi nomen probrosum sit, & crimen significet, accusantium esse officium claris argumentis ostendere, culpæ affines esse, quorum famam lacerant. Sed quando multi de probando non solliciti, auctoritate sua confectum esse negotium putant, age tollamus in humeros onus alienum, ut quos veri cura tangit, ab insontium insectatione desistant. Vnumquodque caput quod ut Pelagianum traducitur, tale non esse, tribus, ni fallor, modis optime ostendi potest. Primum, si legantur canones conscripti adversus dogmata Pelagiana, quos omnes in Africanæ Synodi acta congestos jam diximus, & ex historia apparet. Cum enim Pelagianum id demum vocandum sit, quod in Pelagio damnatum est, sequitur ut quod inter damnata non apparet, liberum sit à Pelagianismi crimine : Deinde, si ostendatur id quod ut Pelagianum traducitur, à Sanctis scriptoribus ante Augustini tempora creditum fuisse ac traditum, magno præsertim illustrium consensu. Nam cum omnes Pelagii hostes dogma ejus novitatis accusent, non potest Pelagianum esse quod vetus est. Ipse Augustinus quædam à se copiosius ait & enucleatius exponi, quam ante expositа essent (locus est cap. xx, de Bono perseverantiæ) at veterum sententiæ contraria à se doceri districte negat. Nec minus Prosper, ut qui Cœlestini illud

tanquam pro se dictum arripit, *desinat incessere novitas vetustatem.* Postrema eaque validissima refutandæ criminationis hæc ratio est, si ostendantur ipsi illi hostes Pelagii, quales sunt Hieronymus, Augustinus, Prosper, scriptor Hypomnesticôn, scriptor de Prædestinatione & Gratia, scriptor de vocatione Gentium, ipsi Pelagii damnatores, sive Romani Episcopi, sive qui in Synodis de Pelagii causa judicarunt, ea sensisse, ea docuisse, quibus nota Pelagianismi nunc inscribitur. Nam in Pelagianismi societatem eos compingere, quorum opera Pelagium aut detectum aut damnatum habemus, summæ est cæcitatis.

Primum ergo, *Qui docent, in electione ad fidem hanc conditionem prærequiri, ut homo lumine naturæ recte utatur, sit probus, parvus, humilis, & ad vitam æternam dispositus, quasi ab ipsis electio aliquatenus pendeat : Pelagium sapere dicuntur.*

Notandum hîc est, prærequiri hanc conditionem qui dicunt, non hoc dicere, semper, & omnino ipso actu requiri, sed ordinarie : nam Deus etiam antea minus dispositum subito aptum potest reddere : sed semper jus id requirendi, & si absit, fidei lumen negandi habet Deus : atque ordinarie etiam hoc requirit, ut multa sacrarum literarum loca evincunt, quæ huc transcribere extra institutum sit. Et hoc est quod ipsa illa vox *aliquatenus*, significat. Lumen quoque naturæ non nudum intelligi debet, sed communioris aut etiam minus communis Gratiæ præsidiis excitatum. Aliter si sumatur hæc propositio, damnatione, ut arbitror, opus non habet, cum defensorem non habeat. Ita autem sumpta enuntiatio Pelagiana non est, nusquam enim inter damnatas reperitur.

Tum

Tum veteres illi quorum consensu Augustinus gloriatur, tam sæpe ajunt ante fidei lumen aliquid à nobis requiri, ut nisi dextra accedat interpretatio, videantur non cum Pelagio, sed cum Massilienſibus Gratiæ prævenientis necessitatem negare, à qua tamen suspicione aliorum locorum diligens collatio ipsos absolvit. Chrysostomi & Cyrilli in hanc rem verba adduxerunt alii. Similia apud Hieronymum invenias, non in aliis tantum operibus, sed in illis ipsis in quibus contra Pelagium gradum figit. Ecce enim libro ejus disputationis primo, Atticus Catholici personam sustinens, ita loquitur: *Conflat ergo inter nos in bonis operibus* POST *propriam voluntatem, Dei nos niti auxilio. Ex quibus intelligimus nostrum quidem esse velle & currere, sed ut voluntas nostra compleatur & cursus, ad Dei misericordiam pertinere, atque ita fieri ut & in voluntate nostra, & in cursu liberum servetur arbitrium, & in consummatione voluntatis & cursus, Dei cuncta potentiæ relinquantur.* Et libro III idem Atticus: *Vi nostrum sit rogare, illius tribuere quod rogatur, nostrum incipere, illius perficere, nostrum afferre quod possumus, illius implere quod non possumus.* Et mox: *In Domini potestate est, ut id quod cupimus, laboramus ac nitimur, illius ope & auxilio implere valeamus.* Augustinus libro retractationum II, cap. XXXI, quod olim scripserat: *Salus religionis hujus, per quam solam vera salus veraciterque promittitur, nulli unquam defuit qui dignus fuit: & cui defuit, dignus non fuit*: Non damnat ut Pelagianum, sed commode exponit, nempe ut dignitas illa sit ex Dei miserantis proposito, non tanquam ex meritis. Eodem illud Augustini pertinet lib. III de Libero arbitrio, cap. XIX, *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras.* Lib. II de Peccatorum meritis & remis-

sione, cap. XVII, *Divina gratia hominum adjuvat voluntates, qua ut non adjuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo.* In Ioan. tract. XXVI, *Non traheris? ora ut traharis.* Epistola LXXXIX ad Hilarium, *Valet liberum arbitrium ad opera bona, si divinitus adjuvetur: quod fit humiliter petendo & faciendo.* Ipsi patres Arausicani, ubi Massilienſium rejiciunt errorem, non exhorruerunt ita loqui: *Gratiam Dei, Christi largitate conferri his, qui baptizari desiderant.* Scriptor libri de vocatione Gentium, usum donorum naturalium & animi humilitatem ait requiri, ut ad spiritualem voluntatem veniatur. Locus est libro I, cap. IV, ubi Philosophos gentium ait, *à spirituali voluntate ideo exsulasse, quia studia non ad ejus laudem atque honorem retulerant, à quo acceperant ut in ipsa animali discretione sublimius saperent, & excellentius cæteris enitescerent.* Idem lib. II, cap. XXV, cum dixisset, esse *Quædam dona ita generalia ut per ipsorum testimonia ad quærendum verum Deum possent homines adjuvari*, adjicit, *quibus donis auctorem suum per omnia sæcula protestantibus specialis largitas superfusa est.* Multaque alia sunt in iis libris in eandem sententiam.

Secundo, *Qui docent Christum per suam satisfactionem nullis certo meruisse ipsum salutem & fidem qua hæc Christi satisfactio ad salutem efficaciter applicetur, sed tantum patri acquisivisse potestatem vel plenariam voluntatem de novo cum hominibus agendi, & novas quascunque vellet conditiones præscribendi, quarum præstatio à libero hominum arbitrio penderet, atque ideo fieri potuisse, ut vel nemo vel omnes eam implerent: hi de morte Christi nimis abjecte sentire dicuntur, primarium fructum, seu beneficium per eam partum, nullatenus agnoscere, & Pelagianum errorem ab inferis revocare.*

Agnoscunt qui hodie ut Pelagiani immerito traducuntur, multos fructus salutaris sacrificii,

inter quos & hunc, ut vere credentes & perseverantes certò ſerventur : neque tollunt præſcientiam divinam eorum qui credituri ac perſeveraturi erunt : neque beneficiorum ad fidem ac ſalutem ducentium diſpenſationem. Quare pars hujus propoſitionis prima ex ipſorum ſenſu ita interpretanda eſt, ut non de quovis fructu ſed de eo qui ordine primus eſt, hîc agatur. Is fructus eſt ut homines ad ſalutem pervenire poſſint. Hanc igitur intentionem tum Patris tum Chriſti quod attinet, vere & cum ſacris litteris dicitur, Chriſtum pro omnibus, excepto nemine, eſſe mortuum, neque huic aut illi proprie ac peculiariter ſalutem ab eo impetratam. Hoc dogma tantum abeſt à Pelagianiſmo, ut ne Pelagii quidem fuerit. imo contra Pelagio veteres invidiam faciunt, quaſi neget pro omnibus mortuum eſſe Chriſtum, hoc ipſo quod infantes, utpote nullo reatu obſtrictos, redemptore neget opus habuiſſe. Auguſtinus contra duas epiſtolas Pelag. lib. II, c. II, *Pelagiani dicunt Deum non eſſe omnium ætatum in hominibus mundatorem, ſalvatorem, liberatorem.* Maſſilienſes quidem hoc argumento adverſus Auguſtinum diſputabant, quod dicerent, pro univerſo humano genere mortuum eſſe Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & neminem prorſus à redemptione ſanguinis ejus exceptum, ut Proſperi epiſtola nos docet : Sed notum ex principiis non propriis, ſed utrique parti communibus, argumenta peti ſolere neque in verbis ſequentibus illam aſſertionem in Maſſilienſibus improbat Proſper, ſed eo offendi ſe dicit, *Quod libertate arbitrii* (nuda ſcilicet citra gratiam) *vitam æternam apprehendi dicerent, & auxilium gratiæ merito credulitatis accipi.* Pro omnibus autem mortuum

tuum esse Christum, excluso nemine, quo Massilienses tanquam confesso utuntur, constanter creditum traditumque est ab omnibus illis qui ante Pelagii tempora pietatis atque eruditionis famam habuerunt. Quod quia testimoniis Irenæi, Clementis, Origenis, Macarii, Eusebii, Athanasii, Cyrilli Hierosolymitani, Optati Milevitani, Gregorii Nazianzeni, Ambrosii, Epiphanii, Andreæ Cæsarienſis, Chrysostomi, atque aliorum probarunt alii, labori id ipsum probandi supersedebo. Neque hoc negavit Augustinus, cujus Psalmum xcv enarrantis hæc verba sunt: *Sanguis Christi pretium est. Tanti quid valet? Quid, nisi totius orbis?* Neque Prosper ad Gallorum cap. IX, *Cum itaque rectissime dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram naturæ humanæ susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem* (hic sensus est de quo hic agimus) *potest tamen dici pro his tantum crucifixus quibus mors ipsius profuit.* Mox addit dici posse: *Redemptor mundi dedit pro mundo sanguinem suum, & mundus redimi noluit, quia lucem tenebræ non receperunt.* Mox sententia ad idem capitulum: *Qui dicit quod non pro totius mundi redemptione Salvator sit crucifixus, non ad Sacramenti virtutem, sed ad infidelium respicit partem, cum sanguis Domini nostri Jesu Christi pretium totius mundi sit, à quo pretio extranei sunt, qui aut delectati captivitate redimi noluerunt, aut post redemptionem ad eandem sunt servitutem reversi.* Idem responsione ad primam objectionem Vincentii: *Cum itaque propter unam omnium naturam, & unam omnium causam à Domino nostro in veritate susceptam recte omnes dicantur redempti,* (nota iterum eum sensum de quo hic agimus, effectus scilicet primi) *& tamen non omnes à captivitate sint eruti, redemptionis proprietas haud dubie penes illas est de quibus princeps mundi missus est foras, &*

jam

jam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi: cujus mors ita impensa est humano generi, ut ad redemptionem ejus etiam qui regenerandi non erant, pertinerent: sed ita ut quod per unicum exemplum gestum est pro universis, per singulare Sacramentum celebraretur in singulis. Poculum quippe immortalitatis quod confectum est de infirmitate nostra & virtute divina, habet quidem in se ut omnibus prosit, sed si non bibitur, non medetur. Scriptor de vocatione Gentium, lib. II, cap. XVI, *Nulla igitur dubitandi ratio est, Jesum Christum Dominum nostrum pro impiis ac peccatoribus mortuum: à quorum numero si aliquis liber inventus est, non est pro omnibus mortuus Christus:* & mox: *redemptio universo se intulit mundo.* Ex ea quam attulimus primæ partis expositione apparet id quod sequitur, Christi scilicet morte nihil actum aliud quã ut Patri potestas vel plenaria voluntas de novo cum hominibus agendi, & novas quascunque vellet conditiones præscribendi acquireretur, alienum esse ab eorum qui hic damnantur sententia: qui dona illa Spiritus per quæ convertimur ac perseveramus, ipsamque remissionem peccatorum & vitam æternam Christi satisfactione ac merito impetrata, & ejusdem satisfactionis ac meriti virtute nobis applicari apertissime confitentur: ut nunc taceam illud ipsum quod hîc dicitur, Christi morte factum, ut Pater de novo cum hominibus ageret, qualecunque est, Pelagianum certe non esse: cum Pelagio & Cælestio objiciant veteres quod docuerint legem sic mittere ad regnum quomodo Euangelium: unde infert Augustinus postremis scriptis adversus Iulianum cap. CLXXXVII, & CXCVIII, Christum gratis esse mortuum. Præstationem requisitæ conditionis pendere à libero arbitrio, hoc est in ejus potestate esse, accepta jam Gratia, verum esse, &

Catholicum, non Pelagianum, ex ſequentibus apparebit.

Tertio, *Qui impetrationis & applicationis diſtinctionem uſurpant, ut incautis & imperitis hanc opinionem inſtillent; Deum quantum ad ſe attinet, omnibus hominibus ex æquo ea beneficia voluiſſe conferre quæ per mortem Chriſti acquiruntur: Quod autem quidam præ aliis participes fiunt remiſſionis peccatorum & vitæ æternæ, diſcrimen illud pendere ex libero eorum arbitrio ſe ad Gratiam indifferenter oblatam applicante: non autem ex ſingulari miſericordiæ dono efficaciter in illis operante, ut præ aliis gratiam ſibi applicent; iſti dum ſimulant ſe diſtinctionem hanc ſano ſenſu proponere populo, pernicioſum Pelagii venenum propinare conari dicuntur.*

Impetrationis ergo utpote generalis, & applicationis utpote particularis diſtinctio non improbatur. At non ſano ſenſu & quidem Pelagiano eadem inſtillari dicitur: quare videamus num qua ex parte ejus ſenſus id colligi poſſit. Primum comma eſt: *Deum, quantum ad ſe attinet, omnibus hominibus ex æquo ea beneficia voluiſſe conferre quæ per mortem Chriſti acquiruntur.* Sciunt omnes eruditi voluiſſe illud non ad conſequentem Dei voluntatem, quæ hominum peculiares actus conſiderat, ſed ad antecedentem, quæ communiter homines intuetur, referri: quod voluntatis diſcrimen Damaſcenus ex Chryſoſtomo, Chryſoſtomus, quod probatu facile eſt, ex antiquioribus hauſit. Antecedentem hanc voluntatem invitantem vocat Proſper. Hac voluntate velle Deum omnes ſervari, neminem perire, conſtanter contradicente nemine creditum traditumque eſt ab omnibus ſanctis ſcriptoribus qui ante Pelagium vixere. Docuerunt id ex Theophilo, Clemente, Celſo, Athanaſio, Macario, Baſilio, Nazianzeno, Ambroſio, Hilario, Chry-

Chryſoſtomo, antehac, viri docti. Nec alia eorum ſententia qui Pelagio reſtiterunt. Hieronymus in cap. 11 ad Epheſios: *Vult Deus quæcunque ſunt plena rationis atque conſilii. Vult ſalvari omnes, & in agnitionem veritatis venire, ſed quia nullus abſque propria voluntate ſervatur (liberi enim arbitrii ſumus) vult nos bonum velle, ut cum voluerimus, velit & ipſe ſuum in nobis implere conſilium.* Auguſtinus cum Pelagio commiſſus, ſcripturæ quidem teſtimonia nonnulla ad hanc rem pertinentia ad voluntatem conſequentem trahit, ac proinde, quod neceſſe erat, illud, *omnes vult ſervari*, reſtrictioribus modis interpretatur: at rem nuſquam negat: imo in libro de Spiritu & litera, quem poſt exortum cum Pelagio certamen ſcripſit ad quæſtionem illam: *Si credimus ut impetremus hanc gratiam, & utique voluntate credimus, de hac quæritur unde ſit nobis. Si natura, quare non omnibus, cum ſit idem Deus omnium creator? Si dono Dei, etiam hoc quare non omnibus, cum omnes homines velit ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire?* reſpondet: *Vult Deus omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: non ſic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes juſtiſſime judicentur. Quod cum ſit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, nec ideo tamen eam vincunt, verum ſe ipſos fraudant magno & ſummo bono, maliſque pœnalibus implicant, experturi in ſuppliciis poteſtatem ejus cujus in donis miſericordiam contempſerunt.* Eodem pertinet illud ſupra allegatũ: *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, ſed quod negligas quærere quod ignoras; neque illud quod vulnerata membra non colligis, ſed quod* VOLENTEM *ſanare contemnis.* Quam ſententiam adeo non retractavit Auguſtinus, ut adverſus Pelagium ſcribens eam repetierit, libro de Natura & Gratia cap. LXIX. Apertiſſime autem Proſper illud, quod Deus o-

mnes homines ſervari voluiſſe dicitur, univerſim accipit reſponſione ad objectionem Vincentii ſecundam: *Remota diſcretione, quam divina ſcientia intra ſecretum juſtitiæ ſuæ continet* (hæc autem poſterior eſt voluntate antecedente) *ſuceriſſime credendum atque profitendum eſt, Deum velle ut omnes homines ſalvi fiant: ſiquidem Apoſtolus, cujus iſta ſententia eſt, ſollicitiſſime præcipit, quod in omnibus Eccleſiis piiſſime cuſtoditur, ut Deo pro omnibus hominibus ſupplicetur: ex quibus quod multi pereunt, pereuntis eſt meritum: quod multi ſalvantur, ſalvantis eſt donum.* Scriptor de vocatione gentium, lib. I, cap. I, *Quæritur utrum Deus velit omnes homines ſalvos fieri. Et quia hoc negari non poteſt, cur voluntas Omnipotentis non impleatur, inquiritur.* Idem Apoſtoli verba, quibus Deus dicitur omnes homines ſalvos fieri velle, *integre plenèque vult ſuſcipi, ne à regula, qua univerſa Eccleſia imbuitur, in diverſum intellectum noſtro evagemur arbitrio.* Locus eſt lib. II, cap. XIII. Ejuſdem autem libri cap. II dixerat, *quod de ſalvatione omnium hominum in Scripturæ corpore reperitur, nulla contraria argumentatione temerandum.* Idem mox cap. XIX ait, *illud quod de bonitate Dei piiſſime creditur, quia omnes homines velit ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, non oportere niſi perpetuum æternamque ſentiri, ſecundum eas menſuras quibus Deus dona generalia ſpecialibus novit cumulare muneribus.* Et lib. II, cap. XXV, *Sive igitur noviſſima contemplemur ſæcula, ſeu prima, ſeu media, rationabiliter & pie creditur, omnes homines ſalvos fieri Deum velle ſemperque voluiſſe.* Quod autem in ſententiæ hujus explicatione illa locutio uſurpatur, velle hoc Deum quantum ad ſe attinet, Pelagianum non eſt, ſed antiquis ſcriptoribus uſitatum. Origenes Homilia XXXIV in Matthæum: QVANTVM AD SE *homines non ad perditionem creavit* (Deus) *ſed ad vitam & gaudium.* Idem lib. IV contra

Celſum,

Celsum, *Iesum* vocat *medicum universorum*, QVANTVM IN IPSO EST. Quod sicui levis est Origenis auctoritas, (qui tamen hac in parte doctrinæ nunquam erroris fuit notatus) sunt & alii probissimæ notæ. Ambrosius libro de Paradiso, cap. VIII, *Ergo non in mandante culpa est, sed in prævaricante peccatum: & QVOD IN DEO FVIT, ostendit omnibus quod omnes voluit liberare.* Chrysostomus in Ioan. cap. I, *Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quonam pacto tot homines sine lumine permanent? Neque enim omnes Christum agnoscunt. Quomodo ergo illuminat omnem hominem? Illuminat profecto* QVANTVM IN IPSO EST. *Si qui autem sponte sua mentis oculis conniventibus ad hujus lucis radios aciem dirigere noluerint, non ex lumitis natura in tenebris perstiterunt, sed malitia sua, qui sponte tanto se dono indignos reddiderant.* Idem in 1 Tim. cap. II, *Cur*, inquit, *non crediderunt?* de Gentibus loquens: *quia noluerunt*, ait. *Ipse autem Iesus* QVOD SVARVM *erat* PARTIVM *fecit.* Quod autem additur in sententiæ explicatione, *ex æquo* conferre voluisse, non eo pertinet, quasi beneficiorum mensura æqualis significetur (quod notissimæ experientiæ repugnat, ac ne ipsi quidem Pelagio in mentem venit) sed quod illa antecedens voluntas homines, utpote communiter adhuc consideratos, nulla exceptione distinguat. Atque adeo id loquendi genus apud veteres non tantum in explicatione hujus voluntatis, verumetiam ubi de vocatione agitur, quatenus scilicet ab illa quoque nemo excluditur, non raro invenire est. Cyprianus epistola LXXVI, *Si dies omnibus æqualiter nascitur, & si Sol super omnes pari & æquali luce desunditur, quanto magis Christus, Sol & dies verus in Ecclesia sua, lumen vitæ æternæ* PARI ÆQVALITATE *largitur?* quod mox expo-

exponit, *sine discrimine. Cum singuli ad donarium vocentur, quid est ut quod à Deo* ÆQVALITER *distribuitur humana interpretatione minuatur?* Arnobius adversus nationes lib. II, *Sed si generis Christus humani conservator advenerit, cur omnino non omnes æquali munificentia liberat? Non* ÆQVALITER *liberat, qui æqualiter omnes vocat? aut ab indulgentia principali quenquam repellit aut respuit, qui sublimibus, infimis, servis, fœminis, pueris, uniformiter potestatem venicndi ad se facit? Patet*, inquit, *omnibus fons vitæ, neque ab jure potandi quisquam prohibetur aut pellitur.* Augustinus in Psal. XLV, *Quid est, Deus in medio ejus? Hoc significat, quod* ÆQVVS *est omnibus Deus & personas non accipit. Quo modo ergo illud quod in medio est, paria habet spatia ad omnes fines, ita Deus medius esse dicitur,* ÆQVALITER *omnibus consulens.* Prosper sententia v ad capitula Gallorum: *Qui dicit, quod qui vocati sunt, non* ÆQVALITER *vocati sunt, sed alii ut crederent, alii ut non crederent, quasi cuiquam vocatio causa fuerit non credendi, non recte dicit.* Simili modo sumendum est quod sequitur in sententiæ explicatione de Gratia *indifferenter* oblata, quod *uniformiter* dixit Arnobius, non ut æqualis mensura designetur, sed ut intelligatur nemo excipi, nemo ad id quo pervenire non possit, invitari: quorum illud dicere non Pelagianum est, sed insanum: hoc non Pelagianum, sed Catholicum. Per efficacem autem operationem si intelligitur gratia illa quæ homini cooperatur, quæque exposita est iis qui operanti Gratiæ nova obstacula non ponunt, nescio ubi reperiri possint qui eam negant. Quod si efficax ea vocatur quæ consensu prior libertatem ad dissentiendum non relinquit, ac proinde obedientiæ naturam tollit, eam repudiavit pia vetustas. Quanquam enim quidam veterum putantur credidisse (quod

(quod tamen extra controverſiam non eſt) Gratiam quæ effectum fortitur, venire ex propoſito plenum effectum omnino deſtinante, ipſum tamen operandi modum talem eſſe, qui libertatem in utramque partem homini relinquat, certum atque Catholicum dogma eſt. Auguſtinus de libero arbitrio, lib. III, *Cum præſcius ſit Deus voluntatis noſtræ, cujus eſt præſcius ipſa erit. voluntas ergo erit, quia voluntatis eſt præſcius. nec voluntas eſſe poterit, ſi in poteſtate non erit. Ergo & poteſtatis eſt præſcius. Non igitur per ejus præſcientiam mihi poteſtas adimitur, quæ propterea mihi certior erit, quia ille cujus præſcientia non fallitur, affuturam mihi eſſe præſcivit.* Quod enim de præſcientia dicitur, de prædeſtinatione etiam Auguſtiniana intelligendum eſt, ut quæ præſcientiam ſibi ſubſternat eam qua Deus quid quoque poſito ſit eventurum, plene cognoſcit. Nam in ſolutione quæſtionis ad Simplicianum ſecunda ita ait: *Cujus miſeretur, ſic eum vocat* QVOMODO SCIT *ei congruere ut vocantem non reſpuat.* Et de bono Perſeverantiæ, cap. XVII, *Hæc Dei dona, ſi nulla eſt prædeſtinatio, quam defendimus, non præſciuntur à Deo. præſciuntur autem: hæc eſt igitur prædeſtinatio quam defendimus.* Et cap. XVIII, *Quid ergo nos prohibet quando apud aliquos Dei tractatores legimus Dei præſcientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædeſtinationem intelligere? Magis enim fortaſſe voluerunt hoc verbo uti, quod &* FACILIVS INTELLIGITVR ET NON REPVGNAT, *imo & congruit veritati quæ de Prædeſtinatione Gratiæ prædicatur.* Scriptor de vocatione Gentium Auguſtinum ſequens, lib. II, cap. XXIII, ad hanc objectionem *friſtra orationibus, quibus Deus exorandus ſperatur, inſiſti, ſi ex incommutabili propoſito ejus Chriſtianæ gratiæ ſubſtitit electio,* reſpondet: *ſed qui ſe ingenioſe hoc arbitrantur opponere,*

non

est, non in Deo. Sermone XXXVI, *Incomparabiliter majus est, quod timere debes, & IN POTESTATE habes, ne eveniat tibi.* Mox id quid sit subjicit : *Si elegeris hic bene vivere, in æternas pœnas non mitteris.* Libro de spiritu & litera, qui Pelagianis opponitur, c. XXXIV, *Nemo habet in potestate quid veniat in mentem, sed consentire vel dissentire, propriæ voluntatis est. His ergo modis cum Deus agit cum anima rationali, ut ei credat (neque enim credere potest quolibet libero arbitrio, si nulla sit suasio vel vocatio cui credat) profecto & ipsum velle credere Deus operatur in homine : & in omnibus misericordia prævenit nos : consentire autem vocationi, sive dissentire, ut dixi,* PROPRIÆ VOLVNTATIS EST. Vbi notandum est, velle credere dari à Deo, ex sensu Augustini, cum homo gratuita vocatione prævenitur, quia illa vocatio vires proximas ad credendum continet, quas tamen & consensus & dissensus sequi potest. Hanc ipsam donationem voluntatis alibi opponit soli possibilitati, remotæ scilicet, quam communiter omnes habent in natura liberæ voluntatis. Ibidem cap. XXXI, *Vide nunc utrum quisque credat si noluerit, aut non credat si voluerit. Quod si absurdum est (quid est enim credere nisi consentire verum esse quod dicitur ? consensio autem utique volentis est) profecto fides* IN POTESTATE EST. Sic & in Epist. ad Rom. prop. XLII, *In libero autem arbitrio habet ut credat* LIBERE. Scriptor libri de Prædestinatione & Gratia, qui inter Augustini opera legitur, cap. XV, cum Pharaonem & Nabuchodonosorem rebus plurimis similes ostendisset, & à Deo similiter tractatos ; *Quid*, ait, *fines eorum fecit esse diversos, nisi quod unus manum Domini sentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter libero contra Dei misericordissimam voluntatem pugnavit arbitrio* ? Supra de Pharaone dixerat : *Nunquid non potuit, sicut*

flagellis

flagellis cedens expulit populum, ita miraculis credens Deum tantæ virtutis agnoscere? Quibus ex locis apertissime liquet, libero arbitrio, quod semper cum Gratia sociat Augustinus ejusque discipuli, non tantum significari vim sponte agentem, qualis est in bestiis & in primis motibus, qui inevitabiles sunt, sed eam vim, quæ positis omnibus ad actum necessariis, actum suum exercere aut non exercere, aut etiam hoc aut contrarium agere per se valet, nec aliunde impeditur. quod & hæc Augustini loca clarum faciunt. Lib. III de libero arbit. cap. v, *Motus, quo huc aut illuc voluntas convertitur, nisi esset voluntarius atque* IN NOSTRA POTESTATE, *neque laudandus esset homo cum ad superiora, neque culpandus cum ad inferiora detorquet quasi quendam cardinem voluntatis.* Et cap. III, *Voluntas nostra nec voluntas* (scilicet obedientiæ aut inobedientiæ) *esset, nisi esset* IN NOSTRA POTESTATE: *porro quia est* IN POTESTATE, LIBERA *est in nobis. Non enim est nobis liberum quod in potestate non habemus.* In ipso retractationum libro I, *Cum enim hoc sit in potestate, quod cum volumus, facimus, nihil tam* IN POTESTATE *quam ipsa voluntas est: sed præparatur voluntas à Domino.* Epistola XLI ad Valentinum: *Obedientiam nostram requirit* (Deus) *quæ nulla potest esse sine libero arbitrio.* Neque hic magistrum suum deserit Prosper, qui adversus Cassianum disputans, *non ab ipso* (homine) *sed nec sine ipso esse ait conversionem, mancnsque* LIBERVM *arbitrium in melius refici.* Idem ad objectionem Gallorum VI, *Liberum arbitrium nihil esse, vel non esse perperam ducitur: sed ante illuminationem fidei in tenebris illud, & in umbra mortis agere non recte negatur.* Sententia super caput V Gallorum: *Quamvis enim fides non sit nisi ex Dei dono & hominis voluntate, infidelitas tamen non est nisi ex sola hominis voluntate*: & super cap. XIV, *Non*

prædestinatus perit infidelitate propria, non coacta. Scriptor libri de vocatione Gentium lib. II, cap. XXVI, *Gratiam ita credimus atque experimur potentem, ut nullo modo arbitremur esse violentam.* & cap. XXVIII, *Sicut qui crediderant, juvantur ut in fide maneant, sic & qui nondum crediderunt, juvantur ut credant. Et quemadmodum illi in sua habent potestate ut exeant, ita & isti* IN SVA HABENT POTESTATE NE VENIANT. *Fitque manifestum quod diversis atque innumeris modis omnes homines vult Deus salvos fieri : sed qui veniunt, Dei auxilio diriguntur : qui non veniunt, sua pertinacia reluctantur.* Et hoc maxime sensu auctoritatis receptissimæ scriptores urgent toties, esse in homine liberum arbitrium, idque ipsum habent pro Catholico, perpetuo atque certissimo dogmate. Iustinus Martyr Apologia ad Senatum, communem agens Christianorum causam, fidemque communem proponens, reprobari ait à Christianis Stoicorum placitum, quo omnia fieri statuantur fatali necessitate, argumento hoc utens, quod nihil laude dignum esset, nisi adesset vis in utrumque versatilis. Idem Apologia altera ad Imperatorem Antoninum : *Si*, inquit, *fato constitutum est, ut hic bonus, ille malus sit, neque probandus ille, neque hic culpandus est : ac nisi in libero arbitrio potestatem habeat humanum genus honesta eligendi, vitandi turpia, extra culpam erit eorum quæ fiunt.* Mox : *sed hoc esse dicimus fati ineluctabilis, ut qui honesta elegerunt, dignam accipiant mercedem, & qui contraria, dignis afficiantur supplicijs.* Deinde : *Neque malus qui esset juste pœnis afficeretur, si quidem talis esset non ex semetipso, nec aliud quam quod factus esset, fieri posset.* Innumera sunt in eundem sensum apud Scriptores primorum sæculorum : sed ad ipsa Pelagii tempora potius veniamus, atque eos audiamus, quorum auctoritate, aut argumentis conci-

concidit Pelagii dogma. Innocentius Romæ Episcopus Epistola ad patres Afros Milevitanæ Synodi : *Cum in omnibus divinis paginis*, VOLVNTATI LIBERÆ, *non nisi adjutorium Dei legamus esse nectendum.* Aurelius, Alypius, Augustinus, Euodius & Possidius Epistola ad Innocentium : *Quamvis esse non* DVBITETVR LIBERVM ARBITRIVM VOLVNTATIS, *tamen ejus potestas non sufficit, nisi adjuvetur infirmitas.* MOX : *Nec lex juberet, nisi esset voluntas : nec gratia juvaret, si satis esset voluntas.* Item : *Sicut ergo agnoscimus voluntatem, cum hæc præcipiuntur : sic & ipse agnoscat gratiam, eum petuntur.* Hieronymus ad Ctesiphontem : *Manichæorum est hominum damnare naturam, & liberum arbitrium auferre, & adjutorium Dei tollere : rursumque apertissimæ insaniæ, hominem dicere quod Deus est. Et sic ingrediendum via regia, ut nec ad sinistram, nec ad dextram inclinemus, appetitumque propriæ voluntatis, Dei semper credamus auxilio guberuari.* Ibidem : *Frustra blasphemas, & ignorantium auribus ingeris, nos liberum arbitrium condemnare.* DAMNETVR ILLE QVI DAMNAT. Idem libro 1 adversus Pelagium : *Sic liberum homini servamus arbitrium, ut Dei per singula adjutorium non negemus.* Scriptor de vocatione gentium lib. 1, cap. 1, *Quorundam* NON SANA *discretio est, existimantium quod prædicatione Gratiæ liberum negetur arbitrium.* Scriptor Hypomnesticon lib. III, *Nec Gratia sine libero arbitrio facit hominem habere beatam vitam, nec liberum arbitrium sine Gratia.* Eodem libro : *Liberum arbitrium quisquis negaverit,* CATHOLICVS NON EST. & MOX, *Liberum arbitrium hominibus esse,* CERTA FIDE *credimus & prædicamus indubitanter.* His accedat ipse Augustinus Epistola XLVII, *In fide sane* CATHOLICA *perseverent, quæ* NEQVE LIBERVM ARBITRIVM *negat, neque ei tantum tribuit, ut sine Gratia Dei aliquid valeat,*

leat, ſive ut ex malo convertatur in bonum, ſive ut in bono perſeveranter proficiat, ſive ut ad bonum ſempiternum perveniat. Tantum ergo abeſt, ut dogma hoc de libertate, quæ in converſione remanet, Pelagianum ſit, ut contra habitum ſit dogma Catholicum & certæ fidei: contraria vero ſententia, ut à Pelagio Catholicis falſo objecta, ita à Catholicis conſtanter ſit rejecta. Recte igitur agnoſcit Calvinus multis ſæculis traditum eſſe, *Hoc modo à Deo moveri voluntatem, ut noſtræ ſit electionis, motioni Dei obtemperare aut refragari.* Quod ſi verum eſt, ut certe eſt, non poteſt hoc ipſum ab ullius frontis homine Pelagianum cenſeri, cum Pelagii dogma ante Pelagium inauditum fuerit, & ſtatim poſt Pelagii tempora evanuerit, tot Conciliorum auctoritate jugulatum. Neque vero hoc tantum ſentiunt veteres illi, qui ante Pelagium fuerunt, aut illi etiam qui Pelagio reſtiterunt, iis qui Euangelium audiunt, conferri aut offerri credendi facultatem, ita ut eam habeant aut habere poſſint: verum illos etiam quos lux iſta non contigit, habuiſſe quædam à Deo dona, quibus & recte uti & recte utendo ad majora, atque ita porro ad ſalutaria dona pervenire poterint. Loca Clementis, Origenis, Athanaſii, Cyrilli, aliorum, in hanc rem adduxerunt alii: ſed Auguſtinum ipſum audiamus de libero arbitrio cap. XIX, quem locum, ut diximus, non revocavit, ſed repetiit libro de Natura & Gratia contra Pelagianos: *Cum ubique ſit præſens, qui multis modis per creaturam ſibi domino ſervientem averſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem exhortetur, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras.* Idem libro I de Geneſi, contra Manichæos, cap. III,

Illud

Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum qui Deo credunt & ab amore visibilium rerum & temporalium se ad ejus præcepta servanda conferunt, quod OMNES HOMINES POSSVNT SI VELINT: *quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum.* Orosius Apologetico adversus Pelagium: *Mea semper hæc est,* & INDVBITATA SENTENTIA, *Deum adjutorium suum non solum in corpore suo, quod est Ecclesia, cui specialia ob credentium fidem Gratiæ dona largitur, verumetiam universis in hoc mundo gentibus insuper longanimem sui æternamque clementiam administrare, non ut tu asseris cum discipulo tuo Cælestio; cui jam apud Africanam Synodum occulta illa impiorum dogmatum natura contusa est, in solo naturali bono & in libero arbitrio generaliter universis unam gratiam contributam, sed speciatim quotidie per dies, per momenta, per atoma, & cunctis & singulis ministrare.* Mox: *Adest adjutorium Dei per singula & singulos.* Deinde: *Habes ut arbitror etiam in gentibus sufficientem cooperantis gratiæ probationem.* Item: *Ex quo evidentissime declaratum est,* NEMINI *hominum, Dei deesse adjutorium, præsertim cum & seductor insistat, & instet infirmitas.* Prosper ad Demetriadem: *In omnibus moritis Dei atque mandatis una eademque ratio est & divinæ gratiæ & humanæ obedientiæ. Nec ob aliud unquam datur præceptum, nisi ut quæratur præcipientis auxilium. Voces enim docentium & literæ paginarum, quæ ad eruditionem audientium vel legentium Deo serviunt, non carent ejus virtute cui serviunt.* Sed nemo sæpius magisque dilucide hoc ipsum explicat quam optimus & Pelagio imprimis inimicus de vocatione Gentium scriptor. Is lib. 1, cap. 5, *Secundum ipsam* (Scripturam) *credimus & piissime confitemur, quod nunquam universitati hominum divinæ providentiæ cura defuerit: Quæ licet exceptum sibi populum specialibus ad pietatem duxerit instituis, nulli tamen nationi hominum*

minam bonitatis ſuæ dona ſubtraxiſſe, ut propheticus vocet & præcepta legalia convincerentur in elementorum obſequiis ac teſtimonijs accepiſſe. cap. XXI, credere ſe, ait, nullis hominibus opem Gratiæ in totum fuiſſe ſubtractam. lib. II, cap. IV, Quamvis enim ſpeciali cura atque indulgentia Dei populum Iſraëliticum conſtet electum, omnesque alias nationes ſuas vias ingredi, hoc eſt, ſecundum propriam permiſſæ ſint vivere voluntatem, non ita ſe tamen æterna creatoris bonitas ab illis hominibus avertit, ut eos ad cognoſcendum ſe atque metuendum nullis ſignificationibus admoneret. Mox: Quoniam etſi longe à peccatoribus eſt ſalus, præſentia tamen ſalutis ipſius ac virtute nihil vacuum eſt. Deinde: Nec de illa cura Dei quæ Patriarcharum filiis proprie præſidebat, conjiciendum eſt gubernacula divinæ miſericordiæ cæteris hominibus fuiſſe ſubtracta: qui quidem in comparatione electorum videntur abjecti, ſed nunquam ſunt à manifeſtis occultiſque beneficijs abdicati. Cap. V, Sed cum in illo populo, cui utraque eruditio præfuit, nemo niſi gratia juſtificatus ſit per ſpiritum fidei, quis ambigat, eos, qui de quibuſcunque nationibus quibuſlibet temporibus Deo placere potuerunt, ſpiritu gratiæ Dei fuiſſe directos: quæ etſi parcior antea atque occultior fuit, nullis tamen ſæculis ſe negavit, virtute una, quantitate diverſa, conſilio immutabili, opere multiformi. Cap. XV. Adhibita enim ſemper eſt univerſis hominibus quædam ſuperna menſura doctrinæ, quæ etſi parcioris occultioriſque Gratiæ fuit, ſufficit tamen, ſicut Dominus judicavit, quibuſdam ad remedium, omnibus ad teſtimonium. Cap. XVII, Quibus (gentibus) illa menſura generalis auxilii, quæ deſuper omnibus ſemper hominibus præbita eſt, non negatur. Cap. XXIII, Præter illam generalem Gratiam parcius atque occultius omnium hominum corda pulſantem, excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocatio ſpecialis exeritur. Cap. XXV. Fuerunt enim ac ſunt hujuſmodi dona ita generalia, ut per ipſorum teſtimonia ad quærendum verum Deum poſſent homines adjuvari: quibus donis auctorem ſuum

per omnia

per omnia ſecula proteſtantibus ſpecialis Gratiæ largitas ſuperfluſa eſt. Mox apparere ait, *non negatum univerſi ati quod collatum eſt portioni.* Cap. XXVI, *Quæ opitulatio per innumeros modos, ſive occultos, ſive manifeſtos omnibus adhibetur, & quod à multis refutatur, ipſorum eſt nequitiæ: quod autem à multis ſuſcipitur, & Gratiæ divinæ eſt & voluntatis humanæ.* Cap. XXXI, *Elaboratum eſt quantum Dominus adjuvit, ut non ſolum in noviſſimis diebus, ſed etiam in cunctis retro ſæculis probaretur, gratiam Dei omnibus hominibus adfuiſſe, providentia pari & bonitate generali, ſed multimodo opere diverſaque menſura: quoniam ſive occulte ſive manifeſte, ipſe eſt (ut Apoſtolus ait) Salvator omnium hominum, maxime fidelium. Quæ ſententia ſublimiſſima brevitatis & validiſſimi roboris, ſi tranquillo conſideretur intuitu,* TOTAM *hanc de qua agimus* CONTROVERSIAM DIRIMIT. *Dicendo enim, Qui eſt Salvator omnium hominum, confirmavit bonitatem Dei ſuper univerſos homines eſſe generalem: adjiciendo autem, maxime fidelium, oſtendit eſſe partem humani generis, quæ merito fidei divinitus inſpiratæ ad ſummam atque æternam ſalutem ſpecialibus beneficiis provehatur.*

Quarto, *Quod docetur Gratiam qua convertimur ad Deum nihil aliud eſſe quam lenem ſuaſionem, ſeu (ut alii explicant) nobiliſſimum agendi modum in converſione hominis & naturæ humanæ convenientiſſimum eſſe, qui fiat ſuaſionibus: nihilque obſtare quo minus vel ſola moralis Gratia homines animales reddat ſpirituales: imo Deum non aliter quam morali ratione conſenſum voluntatis producere: atque in eo conſiſtere operationis divinæ efficaciam, qua Satanæ operationem ſuperet, quod Deus æterna bona, Satan autem temporaria promittat: omnino Pelagianum eſſe dicitur.*

Primum id quod hîc refertur & rejicitur, omnino nequit eſſe Pelagianum. Pelagius enim ad converſionem hominis nihil aliud requirebat quam liberum arbitrium in creatione donatum,

& verbi divini annuntiationem. Episcopi Afri Carthagine in Concilio congregati Epistola ad Innocentium Romæ Episcopum: *Isti autem* (Pelagius & Cœlestius) *asserunt in eo Dei gratiam deputandam, quod talem hominis instituit creavitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei possit implere, sive naturaliter in corde conscriptam, sive in literis datam. Eandem quoque legem ad Gratiam pertinere, quod illam Deus in adjutorium hominibus dedit.* Hieronymus ad Ctesiphontem: *Dei gratiam ponunt, ut non per singula opera ejus* (Dei) *nitamur & regamur auxilio, sed ad liberum referunt arbitrium & ad præcepta legis.* Augustin. lib. 1 de Gratia Christi contra Pelag. c. III, *Gratiam Dei & adjutorium, quo adjuvamur ad non peccandum, aut in natura & libero ponit arbitrio, aut in lege atque doctrina.* Sunt qui putant postea à Pelagio concessum, etiam mentem intus à Deo illuminari: qua de re dubito: quia quæ de revelatione dixit Pelagius, videntur mihi ad institutionem illã quæ oculis aut auribus percipitur, posse referri. Sed utcumque ea res se habet, certe operationem talem Dei, qua voluntas moveatur (talis autem est haud dubie interna suasio) non agnovit, aut certe necessariam negavit. Episcopi Africæ qui Synodum Milevitanam constituebant, epistola ad Innocentium, dicunt à Pelagio ac Cœlestio doceri, *ne in peccatum decidamus, in nostra positum esse potestate* (sine gratia scilicet) *& ad hoc implendum,* SOLAM *sufficere hominis voluntatem.* Hieronymus epistola ad Ctesiphontem, Pelagii discipulum hoc ait dicere: *Destruitur voluntas quæ* ALTERIVS OPE INDIGET. Adversus Pelagianos lib. II, *Quis magis supplantat populum Dei, qui liberi arbitrii potestate subnixus* DESPICIT AVXILIVM *conditoris, & in sua voluntate securus est, an qui ad singulas sententias præceptorum Domini judicium*

perti-

pertimescit? Ibidem Critobulus Pelagianus: *Quomodo servas liberum arbitrium, qui dicis hominem nihil posse nisi Deus semper adjuverit?* Verba ipsa Cælestii Pelagio consentientis sic habent apud Augustinum: *Non esse liberum arbitrium, si Dei indigeat auxilio, quoniam in propria voluntate* (non adjuta scilicet) *habet unusquisque aut facere aliquid aut non facere.* Augustinus epistola cv ad Sixtum de Pelagianis loquens: *Putant auferri sibi liberum arbitrium, si nec ipsam bonam voluntatem sine adjutorio Dei hominem habere consenserint.* Idem libro de Gratia contra Pelagium & Cælestium, cap. v, *Scire quippe debemus, quod nec voluntatem nostram nec actionem divino adjuvari credit auxilio.* De spiritu & litera 11, *Sed ajunt* (Pelagiani) *ideo ista sine ope divina non fieri, quia & hominem Deus creavit cum libero voluntatis arbitrio, & dando præcepta, ipse docet quemadmodum homini sit vivendum, & in eo utique adjuvat, quod docendo aufert ignorantiam, ut sciat homo in operibus suis quid evitare & quid appetere debeat; quo per liberum arbitrium naturaliter insitum viam demonstratam ingrediens continenter & juste & pie vivendo ad beatam eandemque æternam vitam pervenire mereatur. Nos autem dicimus, humanam voluntatem sic divinitus adjuvari ad faciendam justitiam, ut præter quod creatus est homo cum libero arbitrio voluntatis, præterque doctrinam quæ ei præcipitur, quemadmodum vivere debeat, accipiat Spiritum sanctum, quo fiat in animo ejus delectatio, dilectioque summi illius atque incommutabilis boni.* Augustinus & Alypius epistola ad Iulianum: *Ad habendam vero bonam voluntatem nolunt nos divinitus adjuvari.* Et hoc ipsum est quod Africæ Synodi in Pelagio damnant canone v, quem retulimus supra. Rem ipsam quod attinet, gratiam, qua convertimur ad Deum, nihil aliud esse quam lenem suasionem, nemo, quod sciam, dixit, nemo, ut arbitror, dicturus est. Neque enim quisquam eo-

rum, quibus nunc movetur controversia, negat interna Dei operatione intellectum illuminari, deinde etiam sanctos excitari affectus, quin & potentiam novam (quam habitum nonnulli vocant) ipsi voluntati divinitus infundi: sed his positis, ante ipsum actum conversionis, quem Dei cooperans Gratia comitatur, quæritur qualis sit actio Dei in voluntatem, ad unamne partem præcise rem subjectam determinans, an ita inclinans, ut libertatem relinquat. Posteriorem agendi modum, non priorem, veteres statuebant. posterior autem ille modus non incommode suasionis nomine appellatur. Augustinus de spiritu & litera, qui liber inter cæteros Pelagio opponitur, cap. XXXIV, *Attendat & videat* (Pelagius) *non ideo tantum istam voluntatem divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est, verumetiam quod visorum* SVASIONIBVS *agit Deus ut velimus & ut credamus.* Vides hîc aperte suasionem internam à Pelagio exclusam. Mox: *Neque enim credere potest quolibet libero arbitrio, si nulla sit suasio vel vocatio cui credat.* Scriptor de vocatione Gentium, lib. II. cap. XXVI. *Gratia quidem Dei in omnibus justificationibus principaliter præeminet,* SVADENDO *exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis.* Eodem pertinet, quod Gratiam violentam esse negat idem iste scriptor, quodque passim omnes antiqui scriptores prædicant nullam à Deo nobis vim aut necessitatem inferri. Loca Tertulliani, Arnobii, Hilarii, atque aliorum in hanc rem videre est apud alios. Quod autem divinæ motionis efficacia in eo (non tamen solo, quod nemo nunc quod sciam defendit) collocatur, quod non temporaria, sed æterna promittat, immerito in crimen vocatur,

vocatur, cum is sensus in plurimis veterum scriptis appareat. Inter alia occurrit locus ille Augustini de spiritu & litera, cap. XXI, ubi ait: *Nam quia veteris Testamenti promissa terrena sunt & TEMPORALIA, quæ bona sunt hujus corruptibilis carnis, quamvis eis SEMPITERNA atque cælestia, ad novum scilicet Testamentum pertinentia, figurarentur, nunc ipsius boni cordis promittitur, mentis bonum, spiritus bonum, hoc est, intelligibile bonum, cum dicitur; Dabo leges meas in mente eorum, & in cordibus eorum scribam eas.*

Quinto, *Quod docetur Gratiam & liberum arbitrium esse causas partiales simul concurrentes ad conversionis initium: nec Gratiam ordine causalitatis efficientiam voluntatis antecedere, id est, Deum non prius hominis voluntatem efficaciter juvare ad conversionem, quam voluntas ipsa hominis se movet ac determinat: Hoc dogma Ecclesia prista in Pelagianis jam olim damnasse dicitur.*

Hoc vero non ita esse, manifestum facit ipsa Canonum, quibus damnatus est Pelagius, inspectio. Nec huc pertinet Arausicanus ille Canon: *Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum exspectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per sancti Spiritus infusionem & operationem in nobis fieri, consentiens, resistit ipsi Spiritui sancto, per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas à Domino, & Apostolo salubriter prædicanti: Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Nam Canon hic, ut & præcedentia & sequentia indicant, hoc vult, non eousque Gratiam quiescere, nihilque agere, donec homo ipse ex sese purgationem suam desiderare incipiat: quod non Pelagio (qui Gratia interna opus esse negabat) sed Massilienſium errori opponitur, qui affectum credulitatis ex naturæ viribus oriri, atque ita à Deo exspectari censebant. Neque Pelagii igitur

igitur est hoc quod hîc Synodus rejicit, sed nec Massilienſium, qui circa illud initium non Gratiam cum libero arbitrio conjungebant, sed liberum arbitrium aliquid posse & agere putabant sine Gratia. Hoc est quod in Cassiano exagitat Prosper, *etiam per naturæ bonum quod beneficio creatoris indultum est, nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen nisi à Deo dirigantur, ad consummationem virtutum prodire non possint.* Ad rem ipsam quod attinet, cum ante hominis operationem bonam Gratia, ut sæpe diximus, operetur, nec quicquam à libero arbitrio bonum procedat, cujus non vires Gratia submiſtrarit, eademque Gratia ad actum quoque ipsum concurrat, merito honos omnis boni operis ad Gratiam refertur. Itaque Cyprianus, qui dixit lib. III ad Quirinum, Testimonio LII, *Credendi vel non credendi libertatem in* arbitrio *positam*, idem illam protulit laudatam toties Auguſtino sententiam: *In nullo gloriandum, quando nihil est nostrum.* Et Hieronymus lib. I adversus Pelagium, cum liberum arbitrium ad virtutes & vitia sæpe astruxisset, subjicit: *Hæc hominis summa justitia est, quicquid potuerit habere virtutis, non suum esse putare, sed Domini qui largitus est.* Causæ partialis significatio ambiguum sensum potest habere. nam eo nomine appellantur, aut causæ quæ non totum effectum, sed partem ejus producunt, quo sensu Auguſtinus libro de Prædestinatione Sanctorum I, cap. II, in Massilienſibus improbat, *quod partem fidei sibi vindicarent, partem illi* (Deo) *relinquerent, & quod clatius est, primam tollerent ipsi, sequentem darent illi.* Hoc vero sensu, neque Gratia neque liberum arbitrium causæ sunt partiales: totus enim actus bonus, & à Gratia est, & à libero arbitrio: aut intelli-

guntur

guntur eo nomine causæ quæ non solæ producunt effectum: & hoc sensu Gratia causa est partialis, itemque liberum arbitrium: neque enim homo se ad Deum convertit ex Gratia, nisi accedat liberi arbitrii consensus, neque libero arbitrio, nisi & præcesserit & accesserit Gratia. Sed notandum, causarum partialium alias esse, ut ita dicam conjuges, alias ita ordinatas ut altera sit alteri subjugis. Hæ causæ de quibus agimus, ad posterius genus pertinent. nam, ut dixi, liberum arbitrium bene agit non suis, sed Gratiæ viribus: ac proinde quanquam ad ipsam actus boni productionem concurrat Gratia cum libero arbitrio, tamen in ipso concursu potior est Gratia. Hæc, ut dicere cœpi, non Pelagii sententia est, qui nec ad fidem, nec ad bonum ullum opus Gratiam requirebat: nec Massilienſium, qui initia existere posse putabant sine Gratia, sed veterum omnium, tum qui ante Pelagium fuerunt, tum qui cum Pelagio sunt congressi. Quod quanquam satis ex illis deduci potest, quæ de libertate hominis in sui conversione semper credita traditaque jam ante diximus, alia tamen loca addemus hoc ipsum dicentium, ubi Pelagio contradicunt. Augustinus retractationum lib. I, cap. XXIII, *Quod paulo post dixi, nostrum est enim credere & velle; illius autem dare credentibus & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum sanctum, per quem charitas diffunditur in cordibus nostris, verum est quidem: sed eadem regula & utrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem, & utrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis*: quæ verba repetit lib. de Prædestinatione Sanctorum, cap. III. Epistola CVII ad Vitalem: *Neque fideles sunt nisi libero arbitrio, & tamen illius gratia fideles fiunt.* Lib. II adversus duas

duas epistolas Pelagianorum : *Homo præparat cor, non tamen sine adjutorio Dei* : deinde : *Quamvis nisi adjuvante illo os non possimus aperire, tamen nos aperimus illius adjumento, & opere nostro.* Idem de Gratia & libero arbitrio, cap. II, *Nemo ergo Deum causetur in corde suo, sed sibi imputet quisque cùm peccat. Neque cum aliquid secundum Deum operatur, alienet hoc à propria voluntate.* Idem de gestis Synodi Palæstinæ : *Quemadmodum si hortarer aut præciperem vel docerem, pertinere hoc ad liberum arbitrium demonstrarem, nec tamen Dei gratiæ derogarem : ita quia optavi, Dei quidem commendavi gratiam, non tamen arbitrium voluntatis extinxi.* Episcopi Africæ epistola ad Innocentium : *Sicut ergo agnoscimus voluntatem cum hæc præcipiuntur, sic & ipse agnoscat Gratiam cum petuntur.* Scriptor libri de Prædestinatione & Gratia, cap. IX, *Ne vero rursus homo in ultimam fæcem defidiæ revolutus, arduum virtutis iter, & quamvis adjuvante Dei gratia non nisi labore gradiendum, inerti sibi crederet posse deferri, & nullius laboris industriam studio sui profectus adhiberet, ita inter se atque homines Deus tempora officiaque distribuens ordinavit, ut vocatione ipsius bonorum principia sumeremus, vocati autem atque illuminati vias mandatorum ejus boni ingenii intelligentia nosceremus, & eas libero vel eligeremus vel relinqueremus arbitrio.* Scriptor de vocatione Gentium, lib. I, c. I, *Si tollitur voluntas, ubi ipsa est verarum causa virtutum ? Si tollitur Gratia, ubi est ipsa bonorum causa meritorum ?* Et libro II, cap. XXII, *Gratia quidem Dei in omnibus justificationibus principaliter præcinuit, sed etiam voluntas hominis subjungitur ei atque conjungitur, ut divino in se cooperetur operi.* Mox : *Sive igitur initia, sive profectus fidelium, sive usque in finem perseverantiam cogitemus, nullum genus, nulla species cujusquam virtutis occurrit, quæ vel sine dono divinæ Gratiæ, vel sine consensu nostræ voluntatis habeatur.* Vt reliqua persequamur : Conversionis initium si intelligas

ligas dona prima ad conversionem necessaria, ea à sola proficisci gratia, nemo, quod sciam, hodie negat: sin vero primum illum consensum, quo homo se jam actu ad Deum convertit, hic certe è veterum sententia à Gratia est, sed ita ut simul sit & à libero arbitrio, sine quo obedientiæ actus non esset, & ut Augustinus, non uno loco, recte argumentatur, juberi non posset. Efficaciter quoque ante consensum juvari hominem à Deo confessum est, si ea voce intelligatur auxilium tale quod efficere conversionem valeat, atque eo sine adhibeatur: sin autem eadem voce significatur actio talis, qua posita effectus ultimus necessario ponatur, talem actionem dari, ordinarie saltem, antequam voluntas ipsa quoque ad effectum se moveat, prisca Ecclesia aperte negat.

Sexto, *Quod docetur Deum quidem hominem fidelem sufficientibus ad perseverandum viribus instruere, ac paratum esse eas in ipso conservare si officium faciat: positis tamen illis omnibus quæ ad perseverandum in fide necessaria sunt, quæque Deus ad conservandam fidem adhibere vult, pendere semper à voluntatis arbitrio ut perseveret vel non perseveret: Hac sententia manifestum Pelagianismum continere dicitur.*

Imo Pelagius non magis ad perseverantiam, quam ad primam conversionem Gratiam putabat necessariam. Ipsius erant verba Epistola ad Demetriadem: *Divinam mereamur gratiam, ut* FACILIVS *nequam Spiritui, Spiritus sancti auxilio resistamus.* Quorum verborum virus ita detegit Augustinus lib. de Gratia Christi, cap. XXII, *Significat profecto, quid sapiat: ut quid enim hoc verbum interposuit* FACILIVS? *an vero non erat integer sensus, ut nequam Spiritui, Sancti spiritus auxilio resistamus? Sed quantum detrimentum hoc additamento fecerit, quis non intelligat? volens utique credi, tantas esse*

esse naturæ vires, quas extollendo præcipitat, ut etiam sine auxilio Spiritus sancti, etsi minus facile, tamen aliquo modo nequam spiritui resistatur. Idem Augustinus hæresi LXXXVIII, *Dicendo*, inquit, *ut* FACILIVS *possint, voluit credi, etiam si difficilius, tamen posse homines* SINE GRATIA *divina facere jussa.* Dogma illud Pelagii à magistro suo hauserat Cœlestius, cujus hæc erant verba Definitionum cap. III, *Si per gratiam omnia facimus, quando vincimur à peccato, non nos vincimur, sed Dei gratia, quæ voluit nos omnino adjuvare, & non potuit.* Pendere à voluntatis arbitrio, ex sensu eorum quibuscum hodie controversia est, intellige esse in potestate hominis, ut perseveret vel non perseveret, atque ideo esse, quia Deus id, ut in potestate esset, voluit. Et perseverare quidem posse eum qui omnia ad perseverandum necessaria acceperit (in quibus est non illa tantum Gratia quæ pios perpetuo comitatur, sed & quæ pro temporum necessitate, & tentamentorum mensura orantibus parata est, tum in præsidiis internis, tum in externa protectione consistens, quod à Massilienſibus non recte satis observatum quidam arbitrantur) negabit nemo, nisi qui sibi velit esse contrarius. Eundem posse non perseverare vel hinc apparet, quia ut supra, non ex Pelagii, sed ex veterum omnium etiam Pelagii hostium sententia ostendimus, pars obedientiæ esse non potest, id quod libere non fit. Sed in cumulum testimonia quædam huic controversiæ propria addemus, quorum nonnulla & hoc docebunt, eos qui non perseverant, perseverare potuisse. Hieronymus adversus Pelagianos lib. I, *Perspicuum, semper hominem in meditullio positum, ut & de virtutum culmine ad vitia delabatur, & de vitiis ascendat ad sublimia, & nunquam*

minquam esse securum sed semper metuere in securitate naufragium. Et lib. III : *Scito baptismum præterita donare peccata, non futuram servare justitiam, quæ labore & industria & diligentia, & semper super omnia Dei clementia custoditur: ut nostrum sit rogare, illius tribuere quod rogatur* : & cætera quæ supra citavimus. Augustin. de Bono Persever. c. VI : *Hoc Dei donum suppliciter emereri potest.* Mox per perseverantiam ait fieri, *ut non amittatur id quod amitti potest.* Libro de Correptione & Gratia cap. VII: *In eo quod audieras & tenueras, in eo perseverares, si velles.* Prosper ad Gallorum objectionem III : *Quod ergo hujusmodi in hæc prolapsi mala sine correctione pœnitentiæ defecerunt, non ex eo necessitatem percundi habuerunt, quia prædestinati non sunt : sed ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt.* Sententia super idem caput : *Non ideo Deus tempus ætatis cuiquam prolongavit, ut diu vivendo corrueret, & à fide recta in sua longævitate deficeret, cum inter beneficia Dei numeranda sit ipsa longævitas, qua homo melior debuit esse, non pejor.* Et super cap. VII: *Gratia ejus non prius eos deseruit quam ab eis desereretur : & quia hoc ipsos voluntaria facturos defectione prævidit, ideo in prædestinationis electione eos non habuit.* Et super XII : *Qui dicit quod quibusdam vocatis & pie instequeviventibus obedientia subtrahatur, ut obedire desistant, male opinatur de bonitate Dei, atque justitia, ut videatur ad impietatem pios cogere, & innocentiam bonis adimere, cùm ipse sit pietatis atque innocentiæ & largitor & custos. Qui ergo Deo adhæret, Spiritu Dei agitur : qui autem à Deo recedit, propria voluntate obedire desistit.* Ad objectionem Vincentii septimam quæ sic habet : *Quod hæc sit voluntas Dei, ut magna pars Christianorum salva esse nec velit, nec possit,* respondet : *Si de his hoc dicitur qui pietatem Christianæ conversationis & fidei deserentes in profanos errores, aut in damnabiles mores irrevocabiliter transierunt, non dubium est*

quòd talem voluntatem habentes, ſalvi eſſe nolunt, & quandiu ſalvi eſſe nolunt, ſalvi eſſe non poſſunt. Sed nullo modo credendum eſt hujuſmodi homines in hanc deſperationẽ ex Dei voluntate cecidiſſe, cum potius allevet Dominus omnes qui corruunt, & erigat omnes eliſos. Nemo enim niſi illius Gratia erigitur, nemo niſi illius Gratia ſtabilitur. Dei ergo voluntas eſt ut in bona voluntate maneatur, qui & priuſquam deſeratur, neminẽ deſerit, & multos deſertores ſæpe convertit. Quo in loco notandum eſt, irrevocabiliter tranſire eos dici, non qui revocari non poſſunt (id enim & cum aliis Proſperi locis, & cum hoc ipſo loco evidenter pugnat) ſed eos qui re ipſa non revocantur: in quem ſenſum, & illud Auguſtini intelligendum, cum quoſdam ait agi indeclinabiliter & inſuperabiliter, id eſt, ita ut neque declinent, neque ſuperentur. Ad objectionem ejuſdem Vincentii decimam: *Non ergo caſus ruentium, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædeſtinatio Dei aut excitavit, aut ſuaſit, aut impulit: ſed plane prædeſtinavit judicium ſuum, quo unicuique tributurus eſt prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. Quod judicium futurum omino non eſſet, ſi homines Dei voluntate peccarent.* Ad objectionem XIV: *Deus receſſurum non deſerit antequam deſerat.* Ad XV: *Qui à fide & ſanctitate exciderunt, ſicut voluntate prolapſi ſunt, ita voluntate non ſurgunt.* Mox: *Nemini autem Deus correctionis adimit viam, nec quenquam boni poſſibilitate deſpoliat.* Ad XVI: *Hi cum à pietate deficiunt, non ex Dei opere ſed ex ſua voluntate deficiunt: nec impelluntur ut cadant, nec ejiciuntur ut deſerant: caſuri tamen & receſſuri ab eo qui falli non poteſt, præſciuntur.* Scriptor de vocatione Gentium, libro II, cap. VIII: *Quamvis enim omnia bona dona ſint Dei, ideo tamen quædam etiam non petita tribuuntur, ut per iſta quæ accepta ſunt, ea quæ nondum ſunt donata, quærantur. Semen quippe quod jacitur in terram, non ob hoc ſeritur ut ipſum ſolum maneat, ſed ut fructum*

fructum afferendo, multiplex atque numerosum sit. Qui quidem profectus ab illo est qui dat incrementum : sed & terra vivens & de Gratiæ jam imbre fœcunda habet quod ab ipsa exspectetur ad id quod accepit augendum. Cap. XI : *Suo prorsus decipiuntur arbitrio, sua voluntate labuntur, & si in hac desidia perseverent, ipsi se his quæ accepêre, despoliant.* Capite XII : *Certissime noverimus nullum fidelium à Deo non discedentem relinqui, neque cujusquam ruinam ex divina esse constitutione dispositam : sed multis qui jam judicio rationis utuntur, ideo* LIBERVM *esse discedere, ut non decessisse sit præmium, & ut quod non potest nisi cooperante Spiritu Dei fieri, eorum meritis deputetur,* QVORVM ID POTVIT VOLVNTATE NON FIERI : *quæ voluntas in malis actionibus sola esse potest : in bonis autem sola esse non potest.* Cap. XXVI, quem locum modo citare cœpimus: *Voluntas hominis subjungitur ei* (gratiæ) *atque conjungitur, ut divino in se cooperetur operi & incipiat exercere ad meritum quod de superno semine concepit ad studium, de sua habens mutabilitate si deficit, de Gratiæ opitulatione si proficit.* Capite XXVIII : *Qui* (Deus) *ad obediendum sibi ipsum velle sic donat, ut* ETIAM A PERSEVERATVRIS MVTABILITATEM *quæ potest nolle non auferat.* Mox : *Donec caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, & donec spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, incommutabilis animi fortitudo non potest reperiri.* Deinde : *Et licet innumeris Sanctis suis donet virtutem perseverandi usque in finem divina protectio, à nullis tamen aufert quod ipsis repugnat ex ipsis, ut in omnibus studiis eorum atque conatibus semper inter se velle ac nolle decertet.* Infra : *Igitur sicut qui crediderunt juvantur ut in fide maneant, sic & qui nondum crediderunt juvantur ut credant. Et quemadmodum illi in sua habent* POTESTATE *ut exeant, ita & isti in sua habent potestate ne veniant.* Nec aliud vult Canon Arausicanæ Synodi, quæ non Pelagium tantum

damnavit: sed & Massilienſium rejecit errorem. *Hoc etiam* SECVNDVM FIDEM CATHOLICAM *credimus, quod accepta per Baptiſmum Gratia, omnes baptizati, Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent,* POSSINT *& debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere.*

IN cumulum ſubjiciemus hîc veteris Eccleſiæ dogmata, oppoſitis ex altero latere novis placitis, quæ partim à plurimis hoc tempore defenduntur, partim à paucioribus quidem, ſed cæteris diſſimulantibus ac muſſitantibus, etiam illis qui alia aliorum non dogmata tantum, ſed & minus commode dicta ſeveriſſime expendunt, nullamque omittunt eos damnandi atque exagitandi materiam.

NOVA DOGMATA.	VETERIS ECCLESIÆ DOGMATA.
Chriſtum mortuum pro ſolis electis.	Synodus Arelatenſis habita circa an. ccccxc: *Anathema illi qui dixerit quod Chriſtus non pro omnibus mortuus ſit, nec omnes homines ſalvos eſſe velit.*
Deum maximæ hominum parti ex mera ſua voluntate nolle dare Gratiam, quæ ad fidem & converſionem eſt neceſſaria.	Synodus Arelatenſis: *Anathema illi qui per Dei præſcientiam in mortem hominem deprimi dixerit.* Auguſtinus: *Noluit ergo Eſau, & non cucurrit. Sed & ſi voluiſſet & cucurriſſet, Dei adjutorio, perveniſſet, niſi vocatione contempta reprobus fieret.* Locus eſt libro ad Simplicianum: quem librum in poſtremis ſcriptis ut diximus commendat.

Epiſcopi

Eos omnes qui dānandi erunt, divino decreto relinqui in lapſu Adæ.

Epiſcopi Afri in Sardinia exſulis Epiſtola Synodica: *Eſau Sacramento quidem Circumciſionis octavo die ſecundum tenorem divinæ conſtitutionis accepto, reatu peccati originalis caruit.* Proſper ad Gallorum cap. II: *Sed relapſum poſt Baptiſmum ad infidelitatem & impios mores, qui negat originali peccato fuiſſe purgatum, tam falſa opinatur, quam qui eundem aſſerit non æterna morte eſſe damnandum. Qui enim recedit à Chriſto, & alienus à Gratia, finit hanc vitam, quid niſi in perditionem cadit? Sed non in id quod remiſſum eſt recidit,* NEC IN ORIGINALI PECCATO *damnabitur, qui tamen propter poſtrema crimina ea morte afficitur, quæ ei propter illa quæ remiſſa ſunt debebatur. Quod quia Dei* PRÆSCIENTIAM *nec latuit, nec fefellit, ſine dubio talem nunquam elegit, nunquam prædeſtinavit & periturum nunquam ab æterna perditione diſcrevit.* Cāp. III: *Non ex eo neceſſitatem pereundi habuerunt, quia prædeſtinati non ſunt, ſed ideo prædeſtinati non ſunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præſciti ſunt.* Caput VII:

Illos ruituros propria ipsorum voluntate præscivit, ET OB HOC *à filiis perditionis nulla prædestinatione discrevit.* Cap. XII: *Quia recessurum ab ipsa obedientia esse prævidit,* IDEO *eum non prædestinavit.* Sententia super cap. II: *Qui dicit quod ab his qui non sunt prædestinati, non auferat percepta baptismi gratia originale peccatum,* NON EST CATHOLICVS.

Dei operationem ad conversionem ejusmodi esse ut in hominis potestate non sit converti, vel non converti.

Synodus Arelatensis: *Anathema illi qui dixerit eum qui periit, non accepisse, ut salvus esse posset.* Scriptor de vocatione Gentium, lib. II, capite XXVI: *Gratiam ita credimus atque experimur potentem, ut nullo modo arbitremur esse violentam.* Et cap. XXVIII: *Qui nondum crediderunt, juvantur ut credant.* Mox: *Et isti in sua habent potestate ne veniant.*

Omnes semel justificatos ad salutem esse prædestinatos.

Augustinus de bono Perseverantiæ, cap. VIII: *Ex duobus* PIIS *cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabiliora sunt judicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse* EX PRÆDESTINATIS, *illum* NON ESSE. *Nam si fuissent ex nobis, ait unus prædestinatorum,*

torum, qui de pectore domini biberat hoc secretum, manssissent utique nobiscum. Nonne utriq; à Deo creati, utrique ex Adam nati, utriq; de terra facti erant, & ab eo qui dixit, omnem flatum ego feci, unius ejusdemque naturæ animas acceperant? Nonne postremo utrique VOCATI fuerant, & vocantem secuti, VTRIQVE EX IMPIIS IVSTIFICATI, & per lavacrum regenerationis utrique renovati? Idem de Correptione & Gratia, capite VIII: FILIIS suis Deus quibusdam quos REGENERAVIT IN CHRISTO, QVIBVS FIDEM, SPEM, DILECTIONEM DEDIT, non dat perseverantiam. Et capite XIII: Credendum est, quosdam de FILIIS PERDITIONIS non accepto dono perseverandi usque in finem, in FIDE QVÆ PER DILECTIONEM OPERATVR, incipere vivere & aliquandiu fideliter ac juste vivere, & postea cadere. Idem scriptis postremis adversus Iulianum, libro I, cap. CXXVIII ait, esse filios QVOS DEVS REGENERAVIT, QVOS ADOPTA-

OPTAVIT, *& tamen malos atque* DAMNANDOS *fore prævidit.* Prosper ad objectionem Gallorum III: *A sanctitate ad immunditiam, à justitia ad iniquitatem, à fide ad impietatem plerosque transire non dubium est; & ad tales prædestinationem filiorum Dei cohæredum Christi non pertinere certissimum est.* Mox: *Non rejecti sunt à Deo ut relinquerent Deum, sed reliquerunt & relicti sunt, & ex bono in malum propria voluntate mutati sunt. Atque ob hoc licet fuerint* RENATI, *fuerint* IVSTIFICATI, *ab illo tamen qui illos tales* PRÆSCIVIT, NON SVNT PRÆDESTINATI. Et ad Septimam: EX REGENERATIS *in Christo Jesu quosdam relicta fide & piis moribus apostatare à Deo, & impiam vitam in sua aversione finire, multis, quod dolendum est, probatur* EXEMPLIS.

Semel justificatos, in gravia peccata, ut adulterium, homicidium, abnegationem Christi abripi, sed tamen ab eis Spiritum sanctum non prorsus

Cyprianus lib. III Testimoniorum ad Quirinum: *Baptizatum quoque gratiam perdere quam consecutus sit, nisi innocentiam servet.* Idem Epistola ad Rogatianum: *Recedente disciplina dominica recessit*

auferri, nec eo usque eos prolabi ut Gratia adoptionis & justificationis statu excidant.

Fideles sine revelatione esse certos futuræ suæ perseverantiæ, sive suæ prædestinationis: & hanc certitudinem esse veræ pietatis radicem.

cessit & gratia. Hieronymus adversus Iovinianum libro II: TAMDIV *sciatis vos in generatione Domini permanere, quandiu non peccaveritis.* Mox: *Si peccaverimus, & per peccati januam ingressus fuerit diabolus, protinus Christus recedit.*

Augustinus de bono Perseverantiæ, cap. VIII: *Deus autem melius judicavit misereri quosdam non perseveraturos, certo numero Sanctorum suorum, ut quibus non expedit in hujus vitæ tentatione securitas, non possint esse securi.* Cap. XXIV: *De vita æterna quam filiis promissionis promisit non mendax Deus ante tempora æterna, nemo potest esse securus, nisi cum consummata fuerit ista vita, quæ tentatio est super terram.* Lib. XI de Civitate Dei cap. XII: *Qui (juste ac pie viventes) licet de suæ perseverantiæ præmio certi sint, de ipsa tamen perseverantia sua reperiuntur* INCERTI. QVIS ENIM HOMINVM *se in electione profectuque justitiæ perseveraturum usque in finem sciat,* NISI *aliqua revelatione ab illo certus sit, qui de hac re justo latenteque judicio non omnes instruit, sed neminem fallit.* Epistola CVII

ad Vitalem: VTILE *quippe est omnibus vel* PENE OMNIBVS, *propter humilitatem saluberrimam, ut quales futuri sint, scire non possint. Ad hoc dicitur: Qui videtur stare, videat ne cadat.* De Correptione & Gratia, cap. XIII: *Quis ex multitudine fidelium, quandiu in hac mortalitate vivitur, in numero* PRÆDESTINATORVM SE ESSE PRÆSVMAT? *Quia hoc occultari* OPVS EST *hoc loco ubi cavenda est elatio.* Prosper ad objectionem Vincentii XII: *Prædestinatio Dei* APVD NOS *dum in præsentis vitæ periculis versamur, incerta est.*

Maximam hominum partem creatam à Deo ad damnationem.

Prosper ad objectionem Vincentii III: *Omnium quidem hominum Deus creator est, sed nemo ab eo ideo creatus est ut pereat.*

Adamum ad primum peccatum decreto Dei efficace prædestinatum, & impulsum. Sic & cæteros ad peccata prædestinari, constringi, neceffitatemque peccandi eis imponi.

Eusebius Cæsarienſis præparat. Euang. lib. VI, cap. V: IMPIVS *profecto judicabitur, imò vero* PESSIMVS *omnium, qui à creatore universi alios ad adulteria, alios ad rapinas, alios ad alia vitia impelli arbitretur. unde sequitur aut hæc peccata non esse, aut peccandi causam ad creatorem referri.* Augusti-

gustinus in Psalm. XC: DIRECTE *eunt in Deum, qui dicunt quando peccant : Si Deus vellet, non peccarem : Deus hoc voluit.* Lib. III, de libero arbitrio: *Deus neminem ad peccandum cogens, prævidet tamen eos, qui propria voluntate peccabunt.* Prosper ad objectionem Gallorum I: *Ad peccandum neminem Deus cogit.* Ad septimam : *Horum lapsum Deo asscribere* IMMODICÆ PRAVITATIS EST, *quasi ideo ruinæ ipsorum impulsor atque auctor sit, quia illos ruituros propria voluntate prævidit :* & OB HOC *à filiis perditionis nulla prædestinatione discrevit.* Et ad XIV: *Infidelitas non credentium Euangelio nequaquam ex Dei prædestinatione generatur. Bonorum enim Deus auctor est, non malorum.* Sententia ad objectionem Gallorum I : *Quisquis ex prædestinatione Dei, velut fatali necessitate homines in peccata compulsos cogi dicit ad mortem,* NON EST CATHOLICVS. Et ad sextam : *Qui dicit quod liberum arbitrium in homine nihil sit, sed sive ad bonum, sive ad malum, prædestinatio Dei in hominibus operetur, non est Catholicus.* Et

super

ſuper XIV: *Qui dicit quod qui Euangelicæ prædicationi non credunt, ex Dei prædeſtinatione non credant: & quod Deus ita definierit, ut quicunque non credunt, ex ipſius conſtitutione non credant,* NON EST CATHOLICVS. Et ſupra XV: *Præſcivit tantum Deus, non etiam prædeſtinavit, quæ nec ipſe fecit nec ut faceremus exegit.* Ad objectionem Vincentii X: DETESTANDA ET ABOMINANDA OPINIO, *quæ Deum cujuſquam malæ voluntatis, aut malæ actionis credit auctorem.* Mox: *Non ergo caſus ruentium neque malignitatem impiorum, neque cupiditates peccantium prædeſtinatio Dei aut excitavit, aut ſuaſit, aut impulit: ſed plane prædeſtinavit judicium ſuum quo unicuique retributurus eſt prout geſſit ſive bonum, ſive malum.* Ad XIII: NEFAS eſt Deo aſſcribere cauſas talium ruinarum: *Qui etſi ex æterna præſcientia præcognitum habet, quid uniuſcujuſque moribus retributurus ſit, nemini tamen per hoc quod falli non poteſt aut neceſſitatem, aut voluntatem intulit delinquendi.* Scriptor de vocatione Gentium: *Neque ex eo quod falli ſcientia divina non*

potuit,

potuit, NECESSITATE peccandi urgebatur *facinus voluntatis.* Arauſicana Synodus celebrata circiter annum IↃ XXV: *Aliquos ad malum divina poteſtate prædeſtinatos eſſe non ſolum non credimus, ſed etiam ſiqui ſunt qui* TANTVM MALVM *credere velint, cum* OMNI DETESTATIONE *anathema dicimus.*

Infantes quoſdam etiam in infantia morientes & fidelium liberos & baptizatos gehennæ ſuppliciis addici ob originis peccatum.

Epiſcopi Afri Epiſtola XC, inter eas quæ ſunt in operibus Auguſtini: *Quicunque negat parvulos per Baptiſmum Chriſti à perditione liberari, & ſalutem percipere æternam, anathema ſit.* Fulgentius de fide ad Petrum: FIRMISSIME *tene, & nullatenus dubites, parvulis, qui nec propria voluntate credere, nec pœnitentiam pro peccato, quod originaliter trahunt, agere poſſunt, Sacramentum fidei, quod eſt ſanctum baptiſma, quamdiu rationis eorum ætas capax non eſſe poteſt, ſufficere ad ſalutem.*

FINIS.

BAPTI-

BAPTIZATORVM PVERORVM INSTITVTIO

alternis interrogationibus & responsionibus.

Ex Belgicis rhytmis, quos in carcere Hagiensi Hvgo Grotivs *fecerat, ab auctore Latinè reddita.*

SCis, mi nate, sacro quondam te flumine lotum?
Istud recordor sæpe narratum pater.
Scis ne etiam ritus tali quis voce notetur?
Perfudit artus purus undarum liquor.
Quis fuit ille autem sacrum qui tale peregit?
Præco supernæ legis, interpres Dei.
Quis locus antiquo vidit te more piatum?
Gens pia sacratis quem celebrat cœtibus.
Quod sonuit carmen? quæ nomina dicta lavacro?
Summi Parentis Filiique & Spiritus.
Tresne Deos igitur tingendi ritus adorat?
Quin noster unus nescit æqualem Deus.
At quibus indiciis agnoscitur ista potestas?
Sermo loquentem, mundus auctorem docet.
Quid Deus est tenta brevibus mihi dicere verbis?
Mens recta, simplex, perpes, immutabilis.
Cur Deus hic unus terna tibi voce notatur?
Papyrus illum sacra sic nosci jubet.
Quæ ratio suadet tres ut credantur in uno?
Distat carenti fine quod fines habet.
Artificis nusquamne sui spectatur imago?
Sol, lux calorque, trina sunt, unum tamen.
Nil hominum natura jubet nos tale tueri?
Vigere, sapere, velle in uno sunt tria. (sons?
Suntne pares Genitor, Natusque & Spiritus in-
Commune regnum est, unus æternus vigor.

Quid

Quid proprium ſummo fas eſt aſſcribere Patri?
Quod capit ab ipſo quicquid eſt exordium.
Quid Deus ante fui fecit primordia mundi?
Vt nil ſit extra ſufficit numen ſibi.
Ede mihi, cœptis fuerit quæ rebus origo?
Cœlum ſolumque fecit ex nihilo Deus.
Materiam duplicem quæ diſtinxere figuræ? (mus.
Herba, arbor, aqua, lux, ſidera, animantes, hu-
Quo genus humanum lucem conſpexit ab ortu?
Terreſtre corpus, mens data eſt divinitus.
At quos ille opifex hominem produxit in uſus?
Deum colens beatus ut ſemper foret.
An facile hoc homini divina capeſſere juſſa?
Certe; creato quippe ad exemplum Dei.
Vnde igitur labes ægrotis mentibus hæret?
Primi Satoris crimine: at noſtro quoque.
Reſne Deus lapſu volvi permittit inani?
Extat manetque nil niſi ejus numine.
Cur mala committi patitur, ſi cuncta gubernat?
Bonus atque ſapiens utitur recte malis.
Eſtne Deo quidvis faciendi plena facultas? (cant.
Quicquid decorum eſt. inde cunctipotem vo-
Vera Dei ſoboles dic quando duxerit ortum?
Homo ille in ævo natus ante ævum Deus.
Quid fuit ille Dei prius omni Filius ævo?
Imago, ratio, ſermo, conſilium Patris.
Eſtne aliquid Nati quo ſit teſtata poteſtas?
Factus per ipſum mundus: abſque ipſo nihil.
Vnde animam humanam mortaleſque induit ar-
Fœcunda virgo Spiritus peperit ſatu. (tus?
Quod tulit, ede mihi, divina puerpera nomen?
Stirps Abrahami Maria, Davidis genus.
Ergo Deo diverſus homo binique fuere?
Erat unus idem, quique homo quique & Deus.

Permi-

Permixtumne fuit cum non pereunte caducum?
Convênit impermixta natura utraque.
Afferri ne potest res hoc quæ fœdus adumbret?
Existit homo sic unus animo & corpore.
Natus at ille Dei cur nomine dictus Iesu?
Vox ista Solymis Sospitatorem notat.
Nomine cur illum Christi pia turba celebrat?
Mos regem inungi: fecit hunc regem Pater.
Quâ vero peperit nobis ratione salutem?
Vita atque morte, deinde vita reddita.
Illius ex vita quos est tibi carpere fructus?
Docet illa verbis, monstrat exemplo viam.
Perspicua, quicquid docuit, complectere summa.
Nosse atque pura mente venerari Deum.
Quas cupit ista sibi pietatis regula partes?
Has; pœnitere, credere, & bene vivere.
Hic quid significet pars isto ex ordine prima.
Commissa flere, flenda non committere.
Quænam vera fides certam paritura salutem?
Deo loquenti credere & confidere.
At cui hos opus est imprimis credere dicto?
Gratis quod homines crimine absolvit Deus.
Quid benefacta igitur quæ lex præscribit amoris?
Sunt ista fidei fructus, ad vitam via.
Sanctior aura Dei quos nobis dictat amandos?
Deum ante cuncta, proximeq; hominē alterum.
An privata cupit Deus an communia vota?
Vult utraq; Genitor singulorum atq; omnium.
Quid cupit à nobis divina potentia posci?
Quod gloriæ ipsi, quodque nobis usui est.
Quid bene cessurum divino optetur honori?
Laus atque regni decus & obsequentia.
Vtile quid nobis precibus deposcere fas est?
Alimenta, veniam, deinde depulsum mali.

Quo ſe more jubet numen cœleſte vocari?
Pure, modeſte, ſpe bona, nullo ambitu.
Faſne Deum juxta eſt alios in vota vocare?
Fert ille graviter æmulum apponi ſibi.
An Deus ulla ſibi patitur ſimulacra locari?
Spernit figuras aſpici vultus negans.
An lethi reus eſt ſi quis mendacia jurat?
Sane; ſed & qui jurat ubi non eſt opus.
Concelebrare pios cœtus quæ cauſa ſubegit?
Aqua, cœna, cantus, munera, auditus, preces.
Quid fidus populo debet recitare magiſter?
Legis vetuſtæ paginam & fœdus novum.
Quo nos uſque tenent devinctos verba docentis?
Oracla nobis quatenus produnt Dei. (mam?
Quam ſibi ſacra docens debet præſcribere nor-
Tacita Deo tacere, quæ loquitur loqui.
Quod ſummũ decus eſt ornamentumq; magiſtro?
Sincera vita crimine & probro vacans.
Debita doctori quæ ſunt à plebe viciſſim?
Subſidia vitæ, charitas, reverentia.
Pro quibus officiis expectant præmia nati?
Ament parentes & colant & audiant.
Quid de ſe genitis jus eſt præſtare parentes?
Victum miniſtrent, ætheris monſtrent viam.
Cur patriæ patres tanto Deus auxit honore?
Vt ſint bonis tutela, terrendo malos.
A grege ſubjecto ducibus quæ juſſa rependi?
Obſequium, honos, tributa, vectigal, metus.
Munera dic etiam quæ ſint injuncta marito?
Rem curet, adamet conjugem & placidé ferat.
Quis decet ornatus florenti ætate puellas?
Non ficta virtus, caſtus in vultu pudor.
Qua poterit ratione Deo matrona placere?
Viro minorem ſe gerat, prolem educet.

Quid

Quid viduo deſerta toro curare jubetur?
Orare, luxum fugere, adeſſe egentibus.
Imperium quale in famulos laudatur herile?
Quod æquitate temperet vires ſuas.
At famulus domino quid ſit, quod debeat, edo.
Induſtria & non blandiens oculis fides.
Quid docuit Chriſtus vetita ſub cæde notari?
Livoris atrum virus atque odii faces.
Quid vero ſi forte prior nos læſerit alter?
Det ille veniam facile cui venia eſt opus.
Ergo nec ulciſci contemtum & damna licebit?
Quin alia potius perferenda injuria eſt.
Nonne bonis lex ſacra jubet nos eſſe benignos?
Sed & his malo facinore qui nobis nocent.
Quis dedit exemplum prodeſſe nocentibus ipſis?
Bonos maloſque Sole qui illuſtrat ſuo.
Dic, ſub adulterii titulo quæ culpa notetur.
Quæquæ jugale fœdus excedit venus.
An ſatis eſt Chriſto, factum ſi tale cavetur?
Et ori, & oculis, imperatur caſtitas.
Conſugii melior ſors eſt an cælibis ævi?
Innupta Chriſtum vita liberius colit.
Offenduntne Deum ſocialis fœdera lecti?
Quin ipſe thalami jura ſacravit Deus.
An contracta ſemel poſſunt connubia ſolvi?
Deſerere ſtupro corpus intactum nefas.
Quanto igitur potior thalami ſine fœdere vita!
Imperia ſexus vincere haud cuivis datum.
An nihil unde habeas refert, ſed oportet habere?
Qui parat opes non jure, furti ſe alligat.
Ergo ſatis præſtat manus impolluta rapinis?
Rea & cupiditas quæ ſui neſcit modum.
Non & divitibus cœleſtis porta pateſcit?
Arctum intrat ægre ſi quis eſt diſtentior.

Quid Deus indicit quibus eſt opulentior arca?
Removere faſtum, munerari largiter.
Pauperibus collata Deus quæ munera laudat?
Læte data, homini, non honori aut gratiæ.
Sed metus eſt largos ne ſera ſequatur egeſtas?
Sufficere debent veſtis, alimentum, domus.
Quem mihi ſponſorem das hęc non defore nobis?
Qui paſſeres alit atque veſtit lilia.
An non proſpicere eſt æquum quæ vita requirit?
Noſtra in diem ſit cura, de reliquo Dei.
Mentiri an vetitum Chriſti præcepta ſecutis?
Etiam cavenda jurgia & loquacitas.
Permittitne jocos exactæ regula vitæ?
Obſcœna dicta maximus Cenſor notat.
Quæ noſtris igitur linguis conceſſa voluptas?
Præclara monita, vox Dei, carmen pium.
Arguiturne etiam nonnunquam culpa tacentis?
Si prodat hominis jura vel honorem Dei.
Quod manet intra animi fines an lege ſolutũ eſt?
Conſilia cordis prava condemnat Deus.
Quæ tres decipiunt mortalia pectora peſtes?
Faſtus & aviditas & voluptas corporis.
At per quos delapſa gradus peritura ruit mens?
Parit cupido facinus, id mortem parit.
Quod caput eſt rerum quas lex præſcripſit Iëſu?
Crucem ſubire, ſemet à ſe abdicere. (tum?
Qualis homo eſt Chriſtus, quẽ prædicat eſſe bea-
Mœrens, miſericors, purus, eſuriens, inops.
Quid placidi, mites, ob Iëſum ſæva ferentes?
Hos par vetuſtis vatibus merces manet.
Ede, quis adſtabit regnanti dexter Iëſu?
Qui viſit, operit, excipit, nutrit, rigat.
Quæ turba officiis recte mulcebitur iſtis?
Capta, ægra, nuda, externa, cui ſitis aut fames.

Quos

Quos habuit teſtes Chriſti doctrina magiſtri?
Patremque Chriſtumque utriuſq; & Spiritum.
Qui potuit Genitor Natum laudare docentem?
Clare profeſſus, hic mihi demum placet.
Qua ſe veridicum Chriſtus ratione probavit?
Verbo docentis vita fuit exactior.
Vnde fidem Chriſto fecit cæleſtior aura?
Miraculorum ingente teſtimonio.
Qualia, dic, Chriſti nobis oſtenta fuerunt?
Ægris ſalutem, mortuis vitam dedit.
Exemplumne igitur vitæ debemus Ieſu?
Eadem faventem præſtitit nobis Deum.
Ad mortem qua deinde via pervenit Iēſus?
Popularium odio per Latinum præſidem.
Is necis immeritæ judex quo nomine dictus?
Hunc Pontium monumenta Pilatum vocant.
Quæ probra ſunt illi ſceleratо impacta furore?
Irriſus, alapæ, ſputa, fuſtigatio.
Quis tot pœnarum tandem fuit exitus, adde.
Pedes manuſque foditur affixus cruci.
Egreſſamne animam Chriſti de corpore conſtat?
Dies diem quæſivit, intremuit ſolum.
Iam locus exanimos narra quis ceperit artus?
Corpus ſepulchri conditum jacuit ſpecu.
Corporis an ſolos perſenſerat ille dolores?
Mœror quoque animum preſſerat luctu gravi.
Cur Pater inſontem voluit tam triſtia ferre?
Per iſta nobis venia parta eſt ſontibus.
Nulla ne pax pretio niſi ſanguinis empta patebat?
Iuſtitia ſic ſe ſumma patefecit Dei.
Cunctorum culpis an victima ſufficit una?
Certe: hæc ab omni parte quæ culpa vacat.
Qualis erat Chriſtus ſuprema imitandus in hora?
Patiens, modeſtus, hominū amās, Patri obſequēs.

Morte ſemel functus manſitne obnoxius Orco?
Imo recepit tertio vitam die.
Quæ nos edocuit Chriſto quæ reddita vita eſt?
Certam probavit maximi prolem Patris.
Nonne hominē vincit Cherubinæ gloria turmæ?
Illum ſuperna caſtra venerantur ducem.
An noſtri meminit cœleſti ſede receptus?
Eſt noſter illic pontifex, & rex ſimul.
Ætheria nobis quid præſtat in æde Sacerdos?
Fuſi cruoris obſecrat pretio Patrem.
Quæ bona regali nobis dimittit ab arce?
Manu tuetur ſubditos, hoſtes fugat.
Ergo inconſpicuus ſublimi in ſede manebit?
Dum reddat illum priſtinis nubes locis.
Cur igitur Chriſtus telluris regna reviſet?
Vt mortuis jus dicat & viventibus.
Spiritus ille quis eſt quem tertia ſancta notat vox?
Vis unica atque unanima Patris & Filii.
Virgineone prior fuit iſta potentia partu?
Vatum entheata quippe movit pectora.
Præcipuum Chriſtus biſſex quid ſpondet amicis?
Majora dona juſque donandi alteros.
Qui radii ex iſto fluxerunt igne micantes?
Medicina, linguæ, oracula, furiarum fuga.
Quid ſanctum nunc flamen agit ceſſantibus iſtis?
Adhuc docet nos & juvat ſolatio.
Nonne ſatis verum nobis ſacra pagina monſtrat?
Torpet papyrus deſtituta ſpiritu.
Non opis eſt noſtræ documentis credere Chriſti?
Sine ejus aura nemo eum dominum vocat.
An non ingenii ſibi ſufficit ipſa facultas?
Superna non admittit huic vitæ ſtudens.
Spiritus ergo ſuo perfundit lumine mentem?
Sane; & refingit inſuper præcordia.

Ecquid

Ecquid opem pietas jam non incredula poſcit?
Et velle & agere donat adjutor Deus.
Humani proſuntne Dei poſt cœpta labores?
Ita eſt: requirens reperit, orans accipit.
Quid fiet ſi dura animum certamina vexent?
Vigili & precanti dat Deus victoriam.
Spiritus ille animis quæ dat ſolatia noſtris?
Deum eſſe nobis velle perpetuo patrem.
Aſt ubi reperies hanc ſancti numinis auram?
Cœtu in piorum cujus ipſa eſt vinculum.
Ille Dei populus quâ ſe regione coercet?
Cuncta implet orbis ſpatia qua Chriſtus ſonat.
Nonne Deus Solymos proprio ſibi fœdere jun-
Olim: ſed iſta ſepta Chriſtus dirũit. (xit?
An non lex igitur, Moſi quæ tradita, durat?
Priora ſcita fœdus antiquat novum.
Sabbata nunc, ubi nunc ſignum genitale remanſit?
His abdita umbris ipſa res nobis data eſt.
Sanctorum quæ ſint hominum communia noſti?
Bona hujus ævi, ſed magis cœleſtia.
Hujus militiæ numeros quæ teſſera ſignat?
Chriſti innocentis corpus & fuſus cruor.
His ne datur tanto poſt mortem tempore veſci?
Vini atque panis ſcilicet ſub imagine.
Quid par corpus habent & ſanguis & eſca merũq;?
Quod iſta corpus, illa mentem nutriunt.
Et cur una Ceres, cur vinum ſumitur unum?
Et ſic pateſcat eſſe nos concorpores.
Eſtne Dei in populo teneros ſpectare rudeſque?
Hos ferre oportet & docere comiter.
Qui ſi res noſtras ſi famam denique lædant?
Vnum advoca, duoſque plures poſtea.
Quid ſi pertendant, vel aperto crimine peccent?
Tunc ſegregentur à piorum cœtibus.

Semper an abſtenti divina à plebe manebunt?
Donec dolere crimen oſtendant ſibi.
Iudicii in partem num vis eſt hujus utranque?
Simul ipſe damnat, ſimul & abſolvit Deus.
Permiſſum quo more novos inſcribere cives?
Tinctu ſacrati laticis ingreſſus patet.
Cur igitur merſamus adhuc de matre recentes?
Vt conſecrentur rite quamprimum Deo.
Nonne fidem præmittit aquis divina papyrus?
Fides parentum & vota proſunt liberis.
Quæ bona ſignantur venerandi fluminis unda?
Venia, ortus alter, vita de tumulo redux.
Dic, aqua cur veniam ſancit diffuſa per artus?
Maculas ut aufert unda, ſic culpam Deus.
Quæritur an meritis hæc indulgentia noſtris?
Dat hanc ſua bonitate permotus Pater.
Nemo igitur nobis peperit tam grandia dona?
Inſons Iëſus imputato ſanguine.
Qui ſunt priſca Deus quorum peccata remittit?
Qui ſe reos fatentur & quos pœnitet.
Quem peccaſſe pudet, veniæ ſibi conſcius ergo eſt?
Si pollicenti credit & fidit Deo.
Eſtne iterum lapſis veniæ ſpes ulla ſuperſtes?
Eſt, ſi patrati ſceleris ex animo piget.
Sed quid habet limphis cõmune recentior ortus?
Vt merſus undis Chriſtianus interit.
Vivere ad hunc ipſi tamen & ſpirare videmus.
Non ille culpæ vivit, aut etiam ſibi.
Quæ vita induitur meliori luce renato?
Ad ejus inſtar quem Deo propter placet.
Nil illi poſthac ſupereſt curæve metuſve?
Manet uſque ſenſus prœlium & mentis bonæ.
Brutam animi partem quæ nobis arma coërcent?
Fides, Dei vox, pax, preces, jejunium.

Correctis

Correctis jam nulla manent vestigia culpæ?
Hæc ipsa magna est culpa blandiri sibi.
Ergo quid est in quo vincit nova vita vetustam?
Quod vitia debellata sine regno jacent.
Lapsantesne Deum possunt retinere faventem?
Labis reliquias donat ob Christum Pater.
Limpha revicturum, qua signat imagine, corpus?
Surgemus, urinator ut pelago solet.
Quæ loca, dic, animas sunt exceptura piorum?
Christo manebunt ultimum junctæ diem.
Ille dies quis erit, quos illucescet in usus?
Cineres citabit civis ætherii tuba.
Et cur infernis ex sedibus ossa resurgent?
Vt æqua factis præmia aut pœnas ferant.
Qua statuit Christus pœna damnare rebelles?
Flamma perenni & morte quæ nescit mori.
At quæ dona piis bonitas divina paravit?
Non defitura gaudia animi & corporis.
Exsurgentne iterum dilapsa cadavera tabo?
Ita excitantur farra corrupto saru.
Quale prius fuerat corpus num tale redibit?
Non: sed perenne, fulgidum, ætherium, veges.
Vlla ne erit thalami potusve cibive cupido?
Fruemur, horum nescii, ævo cœlitum.
Lustrabitne oculos aut Sol aut cornua Lunæ?
Vnum jubar divina majestas erit.
Qualis erit nobis ibi quæ promissa voluptas?
Qualem nec auris, nec oculus, nec mens capit.
Illuc ut venias ex norma vive lavacri.
Adjutor adsit ille qui jussit Deus.

PRocul profani, qui quod os & quod manus
Oculique monſtrant, nec quid ultra creditis,
Queis una mens exſenſa, ventri obnoxia
Humoque prona gens, & ut ſummam loquar,
Homines, niſi qua beſtiis differt homo:
Quid has ſtupetis ad dapes? ejus quod eſt
Nihil videtis: quod videtis id eſt nihil.
At vos, quibus lux aurea & rerum color,
Quem ſole fuſum vultus hic noſter videt,
Tantum paternæ lucis eſt radiatio,
Et oculus animi eſt hoc quod eſt animus Dei,
Audite Myſtæ. Mundus hic unus triplex,
Incorpor, immortalis, & mortalis eſt,
Quæ ſic vocantur, ſpiritus, cælum, ſolum.
Mundi ſator divinus à ſummis Amor
Per media ad ima vênit: & variis modis
Hoc univerſum particeps fecit ſui.
Sic eſſe cœpit quicquid eſt: ſimul exſtitit
Perfector, ima copulans mediis Amor,
Et media ſummis, ut potirentur bono.
Sic coiit ingens circulus: ſic omnia
Tum per Deum fuere, tum propter Deum:
Quæq; alia fuerant, quia quod unum eſt non erant,
Vt facta ab uno rurſus unum facta ſunt.
Sed reliqua quod ſunt hoc ſemel debent Deo:
Soli bis homines, quos creator perditos
Vt recrearet eſt Deus factus caro,
Caroque noſter panis. Inverſo ordine
Quare neceſſe eſt & recurrenti vice
Vt iſte panis caro, caro fiat Deus.
Panis caducus, fragilis: at contra caro
Cæleſtis, immortalis: incorpor Deus,

Mens

Mens ipſa mentis unde ſpirant ſpiritus.
Mediumque principiumque cum fine eſt idem,
Caro Deus, & caro panis, & panis Deus.
Vtriuſque ſedis qualis in confinio
Locatus aſtri ſemilucentis globus,
Nunc quo coruſci ſolis orbem reſpicit
Vultu niteſcens deſerit nigra abditas
In nocte terras: nunc ab inferna micans
Regione nobis candidum obvertit jubar,
Inimica cernens lucis auctorem ſuæ:
Sic noſter animus corpori datus à Deo,
Hinc medius ipſe lucis & caliginis,
Felix profecto, ſi quod eſt clarum ſui
Tenens ſuperne luce lucem reſpicit,
Altuſque formam cuncta formantem videt,
Damnans tenebris hoc tenebroſum chaos.
Miſer ſed idem, jubare depreſſo Deum
Si derelinquit, inque materiam cadit,
Quæ quantum abivit à bono tantum mala eſt.
Si jure periit ſanguinis noſtri parens
Simulatque in epulas à Deo deſcenderat,
Qui contra ab epulis ad Deum ſcandit, bonum
Eſu recepit, ſicut eſu perdidit.
Nullæ pateſcant ſenſuum nobis fores:
Intus vocandum eſt quicquid animo eſt virium:
Hebent amantum lumina atque artus ſtupent,
Quos entheatos ſanctus externat furor.
Res tota mentis vertitur: ſurſum, viri,
Surſum eſt eundum. Vivere hoc noſtrum eſt mori:
Nam caro per animum vivit, animus per Deum:
Ille animus animi, quo ſine animus mortuus.
Terrena ſic pars ſeque & ætheriam necat:
Niſi vitâ in iſtâ, vita naſcatur nova,
Quæ vita mors prioris, & mors mortis eſt.

Vita

Vita ipſa vitæ mortua hanc vitam dedit.
Quid illud ergo eſt quo creamur denuo?
Aqua prima rerum mater. At quæ ſuppetunt
Alimenta natis duret ut vitæ tenor,
Et aucta virtus robur in ſolidum exeat?
Panis, merumque. Sanguinem terræ, merum
Dixere veteres: farra ſunt terræ caro.
Vt ergo fomes ille naturæ calor
Vitæ priori conſulens, vultum novat
Faciemque rebus, unit & diſformia,
Vinum ut ſit homini ſanguis, & panis caro:
Sic ignis alter iſte, naturæ nihil
Leges moratus, noſque perficiens amor,
Vt intus hominem paſcat, & vitæ alteri
Miniſtret auctus, tranſitu miro facit
De pane carnem, deque vino ſanguinem,
Carnem ſalutis, & ſalutis ſanguinem:
Vt ille potus & cibus, qui corpora
Hominum ſolet nutrire, mentes nutriat.
Ita quod merum paniſque carni & ſanguini eſt,
Hoc jam caro ſanguiſque fiunt mentibus.
Antiquus hic eſt ſermo: mentis filium
Porum fuiſſe, cui madenti nectare
Permiſta Penia pignus ediderit ſacrum,
Hunc eſſe amorem. Scilicet natus Dei
Æternus ipſe, mente ab æterna ſatus,
Pulchrûmque princeps, forma vitalis boni
In quo refulget, & perennis gratia,
Exemplar univerſi, & exemplum Patris,
Species quod omnes continens unum facit,
Quo cuncta vis divina ſeque intelligit,
Hic ille dives, inſitæ quem conſcia
Privationis noſtra paupertas adit,
Vt ejus opibus ipſa, quæ nil poſſidet,

Famem

Famem ſitimque ſatiet. hæc veriſſima
Amoris eſt origo: ſed nemo Deum
Amare poſſit quem Deus non ante amet:
Nam ſicut oculus luce non tantum ſua,
Sed ſolis ipſum luce ſolem conſpicit,
Idemque qui videtur & viſum facit:
Adverſus & nos ſic Dei prior eſt amor,
Et cauſa noſtri amoris adverſus Deum.
Hic ut beetur quærit, ille autem ut beet.
Nos certe egeſtas noſtra propellit, Deum
Non ſua, tamen ſua, quippe ſimulachri ſui:
Dei eſt profecto, noſtra non eſt copia,
Et noſtra tamen eſt, cum ſit in nobis Deus.
Quod amat in id quod amatur ipſum vertitur:
Deus homo factus, ut hominem faceret Deum.
Ac ſicut uxor virque conſortes thori
Inter ſe amoris federantur vinculo,
Vnumque fiunt corpus, haud aliter Deo
Cœtus fidelis corpus eſt ipſum Dei.
Fuere grana plurima, uvæ plurimæ,
Qui panis eſt nunc unus, atque unum merum.
Quanquam caro olim fracta, panis frangitur,
Sanguiſque fuſus, funditur vinum, caro
Tamen una, ſanguis unus, panis unus eſt,
Vnumque vinum: nec minus quorum uſibus
Franguntur & funduntur, unum ſunt & hi.
Rex unus, unus populus eſt: rex in ſuo
Populo: populus in rege, populus, rex idem.
Sed populus eſt ut corpus, & rex ut caput.
In capite mens eſt ordinatrix corporis.
Ita ut ſit eadem tota toto in corpore,
Eademque tota ſingulis in partibus.
Vitæ prioris ille miſerandus parens
Contaminatam poſteris carnem dedit:

Hac

Hac pariter omnes à Deo diſceſſimus,
Et ab altero alter, quodque fuimus non ſumus,
Sed aliud ex uno, ſed ex aliquo nihil.
Novæ ſed auctor optimus vitæ, ſua
Pura, innocenti carne donavit ſuos.
Hac reſtituti nos & uniti Deo,
Et alteri alter, quod fuimus iterum ſumus,
Et aliud unum eſt, & nihil factum omnia:
Conjunctus animus carne cum noſtra, facit
Vitam priorem, carne cum prolis Dei
Vitam ſecundam. Non amans tam ſe penes
Quam penes amatum eſt: unde non tam nos caro
Noſtra maculoſos, quam Dei puros facit.
Mors amor, & idem vita: mors idem domi
Foriſque vita: propter hæc noſtra mori
Nos carne decet, ut carne vivamus Dei.
Lex vetus amare nec nova aliud præcipit,
Primo Deum, deinde & effigiem Dei.
Deus ipſe ſeſe, Deus & ipſe homines amat:
Homines amemus igitur, ut amemus Deum:
Propter ſe amandus Deus; homo propter Deum.
Per multa amoris motus, at in uno quies:
Vtcumque late circuli patet ambitus,
Tamen omnis inde linea in centro coit.
Fructus hic amoris eſt voluptas maxima,
Terram colentes quæ ſupra cœlum locat,
Æternitatemque antevertit tempore.
At & hic amoris uſus, ex ſe gignere
Quod ſimile amato eſt: hoc in animo dicimus
Meditationem: noſtra mens igitur Deum
Figurat ipſumque imprimit pulchrum ſibi
Ligante vero. namque cognitio eſt duplex:
Illa eſt amoris mater, hæc eſt filia:
Sed matre multo filia eſt perfectior:

Vt illa

Vt illa pulchro ſimile, ita hæc pulchro eſt idem.
Si prima virtus mentis eſt ſapientia:
Eademque nobis ultima eſt felicitas,
Et ſapere cuncta eſt ſcire; felices erunt
Quicunque poterunt cuncta in uno diſcere:
Præſtare ſola quod poteſt ſapientia
Divina, per quam cuncta & in qua cuncta ſunt.
Beatitatem donat hanc nobis amor:
Quo noſter intellectus, is qui non capit
Formas quidem omnes, capere ſed tantum poteſt,
Patique natus agere nil per ſe valet,
Fit purus intellectus, inque actum venit,
Vt cuncta agenti junctus intellectui.
Sic finis abſque fine mentem perficit,
Idemque ſine primordio primordium eſt.
Te nunc precamur optimumque & maximum,
Qui ſolus unus atque ſimplex es, quod es:
O cauſa cauſarum, & ſoluta neceſſitas,
Quies ſuprema, motus unde omnis venit,
Nihil ipſe patiens, cuncta agens, primum, ultimũ,
Mediumque, vitæ vita, lux lucis, bonum
Verum boni, natura naturâ prior,
Semper & ubique totus, immutabilis,
Vltra ſupraque mundum, at in quo mundus eſt:
Æterna tua mens hoc quod eſt intelligens
Sapientiam progenuit æqualem ſibi,
Se menſa quanta eſt compari ſub imagine.
At hinc videntem colligans viſumque amor
Proceſſit, in ſe vim repercutiens ſuam,
Vnumq; tria ſunt: nam quod es, ſcis, vis, idem eſt:
Oramus ergo qualis exiſtis tibi,
Talem ipſe te per opera nobis exhibe:
Amorque primum ſancte purgans Spiritus,
Odii repelle virus, & quo nos Deus

Amore

Amore amarit inde ſenſum mentibus.
Fac iſtum amorem nos amemus mutuo,
Vt igne natus ignis ignem nutriat.
At tu ſuprema maximi pietas Patris,
Verbumque primum ratioque & ſapientia,
Quem monſtrat ille tectus in nobis amor,
Quique ex amore facta nos propter caro es,
Sine patre homo, ſine matre qui fueras Deus,
Homo mortuus es ut vinceres mortem Deus:
Mors nata falſi: vita tu & veri parens:
A te fluens nos imbuat ſapientia,
Vox vera, vox juſtifica, vox exſuſcitans,
Via ad ſalutem, qua tuam ſapientiam
Sapiamus omnes: ergo tenebras disjice,
Vt lux ab ipſa luce lucem proferat.
At tu Parens ingenite, fons ſubſtantiæ,
Tua ipſe origo, mens coæternis prior,
Ad quem tua illa nos rapit ſapientia
A te profecta, quique amoris ſpiritu
Permotus omne hoc eſſe juſſiſti, tuo
Sapiente verbo, quod prius fuerat nihil,
Hominemque rurſus aliter effectum nihil,
Revocaſti ad eſſe motu eodem ſpiritus,
Per idemque verbum, tolle quodcumque eſt mali,
Bonuſque ſummo fac bono ſimus boni,
Noſtrum eſſe, ab eſſe, ut eſſe concipiat tuo.
Deus unus, unus in tribus, fac nos ita
Amare, & intelligere, & eſſe, unum ut ſimul
Fiamus alter alteri, atque unum tibi.

SYL-

SYLLABVS

Librorum & Epistolarum

DOCTORVM ALIQVOT

AC

PIORVM VIRORVM,

Ex quibus videri potest, quam non sit difficilis controversiarum in religione conciliatio, si controvertendi studium vitetur.

SEntentiæ Phil. Melanthonis, Marr. Buceri, Casp. Hedionis, aliorumque Germaniæ Theologorum de pace Ecclesiæ, rogatu Regis Francisci I conscriptæ, & à Guilielmo Bellajo illustri viro, ejusdemque Regis apud Cæsarem legato adlatæ, anno 1534, nuper verò ex autographis ipsis descriptæ, & primum editæ, anno 1607. in 8.

Acta prioris Colloquii in Comitiis Imperii Ratisbonæ habiti: hoc est, articuli de religione conciliati & non conciliati omnes, ut ab Imperatore Ordinib. Imperii ad judicandum & deliberandum propositi sunt, Argentorati, 1541. in 4.

Disputata Ratisbonæ in altero Colloquio 1546, maxime de Justificatione. Item, Tractata & decreta de concilianda religione in Comitiis Ratisbonensi, 1541, Spirensi, anno 44, Wormatiensi, anno 45, & Augustano, anno 48, in 4. 1548.

Confessio fidei exhibita Cæsari Carolo V, in

Comitiis Augustæ, 1530, & ad eam Apologia Phil. Melanthonis, in 8, 1559.

Articuli qui debuerant in Concilio apud Mantuam vel ubicumque futurum esset, exhiberi nomine nostræ partis: & quid nos recipere vel concedere possimus vel non possimus. Scriptum Lutheri nunquam editum. Ex biblioth. Pith.

Præfatio Melch. Hittorpii ad librum de Divinis officiis: qua ostendit, unde profectæ sint tam variæ de una religione sententiæ, ritus ac liturgiæ, in fol. Colon. bis aut ter edita, apud Quentel.

De dissidio religionis nostrorum temporum, & collatione veteris & novæ liturgiæ: Auctore Ioach. Camerario. 8.

Missa Latina vetus, quæ ante 700 annos in usu fuit in Ecclesia Gallicana & Germanica. Argentorati apud Christ. Mylium. 8. 1557.

Consilium delectorum Cardinalium de emendanda Ecclesia, Pauli III jussu conscriptum anno 1538. Accessit æquitatis discussio super dicto Consilio; ad tollendam inter Germanos in religione discordiam. 1539. 8.

Erasmus de amicabili Ecclesiæ concordia, Lutetiæ, 1533. 8.

Methodus concordiæ Ecclesiasticæ, Wicelii. Lipsiæ, 1537. 8.

De pace Christianarum Ecclesiarum constituenda, consilium moderati viri. Genevæ, 1566.

De dissidiis Ecclesiæ componendis, Mathiæ Bredenbachii. Antverpiæ, 1558.

Hadr. Turnebi V. C. ad Cypriani editionem præfatio Carolo IX. Regi inscripta. Parisiis, 1564. f.

Delibatio Africanæ historiæ, sive Optatus Afer

& Victor Vticenſis, cum præfatione & annotationibus ex Franc. Balduini commentariis rerum Eccleſiaſticarum. Pariſ. apud Mich. Sonnium, 1569. 8.

Ejuſdem Balduini Epitome Collationis Carth. habitæ: una cum libello de reformatione Eccleſiæ. 8.

Epiſtola Stan. Orechovii ad Card. Hoſium, ubi queritur de non admiſſis vel expectatis in Concilio Tridentino Græcis Epiſcopis & Eccleſiis. in 8.

Scripta M. Buceri ad reformationem Eccleſiæ Anglicanæ ſpectantia, cum à Rege Eduardo VI, eum in finem, in Angliam accerſitus eſſet: ſeparatim primum, in 4, tum verò inter opera ipſius edita, in fol.

Præfatio Epiſcoporum Angliæ ad Liturgiam Anglicanam: in qua de ritibus, ceremoniis & diſciplina veteri ſervata, ſolis iis rejectis, quę tolerari non poterant, rationem reddunt. 8. Londini ſæpe edita.

Canones Eccleſiaſtici auctoritate Regis & Epiſcoporum Angliæ promulgati, ex Synodo Londin. anno 1604. apud Ioannem Norton, in 4. 1604.

De diverſis Miniſtrorum Eccleſiæ gradib. ſicut à Domino fuerunt inſtituti, & traditi ab Apoſtolis, ac perpetuo omnium Eccleſiarum uſu confirmati, liber unus: auctore Hadr. Saravia Belga. Londini apud Geor. Bishop. & Rod. Neubury. an. 1590. in 4.

Livret attribué à Farel premier Miniſtre de Geneve, auquel eſt demandée ſeulement la reformation de la Liturgie, pour parvenir à une reconciliation. in 16. 1537.

fois receuë, auquel auſſi eſt ſommairement touché des moyens de reünion entre les Catholiques & les Reformez : en Anglois, par le ſieur Eduin Sandes. Londres, 1605.4.

Au ſecond Diſcours excellent de feu M. du Fay Huraut Chancelier de Navarre, eſt traitté aſſez amplement de ce ſujet : à ſcavoir depuis la page 104. juſques à la page 132. de la 1 edition, 1591.8.

Amiable advis ſur la diverſité des opinions en la religion, par Rod. le Maiſtre. Paris, chez Sonnius. 1601.16.

Advis en forme de Paradoxe ſur les differens de la religion, par le Sieur d'Inf. H. Secretaire du Roy, in 8. 1585. avec la cenſure de feu M. Roſe Eveſque de Senlis.

Diſcours au Roy, pour un Concile national, avec la Süite, ſervant de replique à quelques contrediſans, par Monſieur R. 8. Paris, 1607.

Moyens pour parvenir à la reconciliation tant deſirée entre les Chreſtiens, tirez de l'Eſcriture ſaincte & des Peres par le Sieur d'Arp. Grau. non imprimé.

Fr. Hotmanni I. C. modeſta ac moderata de ſacramento Euchariſtiæ ſententia, Lugd. 1566.8.

Diallacticon viri boni & literati de veritate, natura atque ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia, 1557. Argentinæ 8. in cujus libelli præfatione hæc verba ſunt :

Pacem aliorum quærere pulcrum eſt, & habet certam promiſſionem Dei, Beati pacifici. Sed vereor hoc dum cupide ſector, ne quod iis qui pugnas dirimunt, idem mihi quoque accidat. Illi dum aliorum ſaluti conſulunt, ipſi reportant vulnera:

nera, & ego dum operam do ut diffidentes redeant in gratiam, ab iisdem nullam fortasse inibo gratiam. Id si fit, illius exemplo me levabo, qui dixit: Si hominibus placuissem, Christi servus non essem. Vale, ac stude Christo placere.

Dialogus de statu turbulento hujus seculi, ex specula Halcyonia. 1591.

Fr. Iunii Bitur. Eirenicon, sive de pace Ecclesiæ Catholicæ. 8. 1593.

HIERON. ZANCHIVS.

Magni nominis Theologus in præfat. ad Confess. suam, editam Neostadii Palat. apud Matth. Harnisch, in 4. 1585, habet ista verba:

QVamquam nescio quo singulari Dei beneficio hoc adhuc boni in Ecclesia Romana servari nemo non videt, nisi qui videre non vult: quod nimirum, sicut semper, sic nunc etiam constans & firma in vera de Deo deque persona Domini nostri Iesu Christi doctrina persistit, & baptisat in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Christumque agnoscit & prædicat pro unico mundi Redemptore, futuroque vivorum & mortuorum judice: qui veros fideles secum in æternam vitam recepturus, incredulos autem & impios in æternum ignem cum Diabolo & Angelis ejus ejecturus sit. Quæ caussa est cur Ecclesiam hanc pro Ecclesia Christi etiamnum agnoscam: sed quali? qualis & ab Osea aliisque Prophetis Ecclesia Israëlis

raëlis sub Ieroboamo & deinceps fuisse describitur, &c.

Idem Zanch. in Confess. art. 8. de Eccles. milit. pag. 149.

NEque ita iniqui sumus, ut inter quas non prorsus de omnibus rebus convenit, eas propterea Christianas Ecclesias esse negemus. Sicut enim non omnis consensus constituit Ecclesias, sic neque omnia dissidia tollunt, modò fundamentum, quod est Christus, verus Deus & verus homo, verus & perfectus Servator, firmum teneatur; eoque in summam doctrinæ Apostolicæ, quæ in Symbolo traditur, consentiatur.

Idem art. 19 sequenti, pag. 157.

NOn enim ab Ecclesia Rom. simpliciter & in omnibus defecimus, sed in illis dumtaxat rebus in quibus ipsa defecit ab Apostolica, atque adeo à seipsa veteri & pura Ecclesia: neque alio discessimus animo, quam ut si correcta ad priorem Ecclesiæ formam redeat, nos quoque ad illam revertamur, & communionem cum illa in suis porrò cœtibus habeamus. Quod ut tandem fiat, toto animo Dominum Iesum precamur. Quid enim pio cuique optatius, quam ut ubi per baptismum renati sumus, ibi etiam in finem usque vivamus? modò in Domino. Ego Hieron. Zanchius septuagenarius, cum tota mea familia testatum hoc volo toti Ecclesiæ Christi in omnem æternitatem.

Buce-

Bucerus in præfat. ad acta. Colloq. Ratisb.

CAvendum ſummopere piis eſt, ne ullos, qui Chriſti ſunt, Chriſtumque verè invocant, abjiciant Chriſti ſocietate excluſos. Quare & propter eos qui judicio Chriſti adhuc infirmiores ſunt, nec quid in unoquoque vel dogmate vel ritu aut Chriſtianæ religioni proprium aut inſtitutioni utilius ſit, diſpicere poſſunt, neceſſe eſt, ut in multis alteri alteris, ut ſuæ ſententiæ ipſi rationem habeant, concedant, & ſtare eos vel cadere ſuo Domino permittant, modò de iis conſentiant, in quibus Religio ipſa conſiſtit.

HVGONIS GROTII

VOTVM

PRO PACE ECCLESIASTICA,

CONTRA

EXAMEN

ANDREÆ RIVETI,

& aliqs irreconciliabiles.

Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum.

M DC XLII.

HVGONIS GROTII

VOTVM PRO PACE ECCLESIASTICA, CONTRA EXAMEN ANDREÆ RIVETI,

& alios irreconciliabiles.

B adoleſcentia inſtitutus in ſacris literis, uſus autem magiſtris non idem circa divina ſentientibus, facile vidi id voluiſſe Chriſtum, ut omnes qui ab ipſo nominari, & per ipſum beatitudinis compotes fieri vellent, unum eſſent inter ſe, ſicut ipſe cum Patre unum eſt. Ioh. XVII, 11, 21, 22, 23. neque vero unum animo tantum, ſed & ea communione quæ conſpici poteſt, & maxime conſpicitur in regiminis vinculo, & in ſacramentorum participatione. Eſt enim Eccleſia aut eſſe

debet corpus quoddam 1 Rom.XII,5,12, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 27. Ephes. 1, 23. II, 16. IV, 4. V, 30. Colos. 1, 18. II, 17, 19. Quod corpus Christus, caput ei à Deo datus, per varias junctúras præfecturarum compaginari voluit. Ephes. IV, 11, 12, 16. Et in hoc singulos baptizari, ut unum corpus fierent. 1 Corinth. XII, 13. Et de uno consecrato pane vesci, ut sic magis magisque coalescerent, & unum se corpus esse testarentur. 1 Corinth. X, 17. Placebat mihi mirum in modum pulchritudo illa veteris Ecclesiæ, extra controversiam Catholicæ, quo tempore Christiani omnes, exceptis particulis avulsis, & ob hoc cognosci facilibus, commercio formatarum colligabantur à Rheno ad Africam & Ægyptum, ab Oceano Britannico ad Euphratem usque, aut etiam ulterius. Vidi ob id ipsum graviter interdici schismata & divulsiones illius conspicui corporis. Rom. XVII, 7. 1 Cor. I, 10. II, 3. III, 5. XI, 18. XII, 25. Gal. V, 20. atque eo præcipue pertinere epistolas Pauli & Clementis Romani ad Corinthios, Optati vero Milevitani & Augustini complura scripta adversus Donatistas. Tum vero cogitare cœpi avos & proavos, & majores tum meos tum multorum aliorum, viros fuisse

pios,

pios, ſuperſtitionis & vitiorum inimicos, & qui familiam ſuam ad cultum Dei & amorem proximi ſui bene inſtituerint, quorum ex hac vita ſalutarem fuiſſe exitum ſemper exiſtimavi, neque ut aliter exiſtimarem auctor mihi fuit Franciſcus Iunius, vir ita æquus & moderatus, ut ob id calidiores Proteſtantium alii, ei & male vellent, & maledicerent. Iam vero intelligebam ex ſeniorum relatu, & ex perſcriptis hiſtoriis, exſtitiſſe poſtea homines, qui illam, in qua majores noſtri fuerant, Eccleſiam deſerendam omnino dicerent: neque tantum ipſi deſererent, nonnulli etiam priuſquam excommunicati eſſent, ſed & novos cœtus facerent, quos vocabant & ipſi Eccleſias; nova ibi facerent preſbyteria, docerent, ſacramenta adminiſtrarent, idque multis in locis contra edicta & Regum & Epiſcoporum, dicerentque, ut hæc defenderent, plane quaſi de cœlo mandatum haberent quale Apoſtoli habuerant, obediendum Deo magis eſſe quam hominibus. Neq; huc ſtetiſſe eorum auſus: ſed regibus traductis tamquam idololatris, & Papæ mancipiis, plebem incitatam ad conciones armatas, ad ſeditiones contra Magiſtratus, ad frangendas imagines Sanctorum, & menſas ædeſque

ſacras, ad bella denique civilia, & aperta contra Reges arma. Videbam per hæc multum ubique fuſum Chriſtiani ſanguinis: mores autem, ſi maximam partem reſpicimus, præſertim ubi res ſunt ſecundæ, nihilo factos meliores: imo & per longa bella efferatos, & externorum vitiorum contactu infectos. Horum cùm quò magis procederet ætas mea, eo magis me miſereſceret; cœpi de cauſis tantorum malorum & mecum cogitare, & cum aliis conferre. Ii qui ſeceſſerant, ut factum ſuum tuerentur, aſſerebant valide doctrinam Eccleſiæ ejus quæ cum ſede principe cohæſerat, eſſe corruptam per multas hæreſes & idololatriam. Id mihi cauſas dedit inquirendi in dogmata ejus Eccleſiæ: legendi libros utrinque ſcriptos: legendi etiam quæ ſcripta erant de præſenti ſtatu ac doctrina Eccleſiæ ejus quæ eſt in Græcia; & earum quæ per Aſiam & Ægyptum ei cohæſerunt. Inveni in Oriente eadem eſſe dogmata, quæ eſſent in Occidente Conciliis Vniverſalibus definita: de regimine Eccleſiæ, (exceptis cum Papa controverſiis) de Sacramentorum perpetuis ritibus ſententias conſonantes. Proceſſi ulterius ac legere volui præcipuos ſcriptores veteris ævi, tum Græci tum Latini ſermonis,

nis, in quibus ſunt & Afri & Galli: illos quidem trium optimorum ſæculorum, & omnes, & ſæpe: poſteriores quantum negotia & tempora ferebant, præcipue Chryſoſtomum & Hieronymum, ideo quòd eos videbam in textu ſacræ Scripturæ exponendo feliciores cæteris haberi. Ad hęc ſcripta adhibens Vincentii Lirinenſis regulas, quas videbam ab eruditiſſimis approbari, collegi quæ eſſent illa, quæ veterum teſtimonio, & manentibus in hunc diem veſtigiis, ſemper & ubique & perſeveranter eſſent tradita. Videbam ea manere in illa Eccleſia quæ Romanæ connectitur: Sed ſimul vidi à ſcholaſticis, philoſophiæ, & quidem Ariſtoteliçæ, quam Scripturæ ſacræ, & veterum illorum qui Græco Latinoque ſermone religionem Chriſtianam illuſtraverant, peritioribus, multa introducta dogmata ex argumentandi quadam libertate, non ex Conciliorum Vniverſalium auctoritate: dogmata vero in Conciliis ſtabilita minus ab illis commode explicata: præterea inter Eccleſiæ præpoſitos eum invaluiſſe typhum & avaritiam, & mali exempli mores, ut ii neque de dogmatis illis bonis populo, ut oportebat, inculcandis, neque de corrigendis populi vitiis eſſent ſolliciti, ſed

ejus ignorantiam & ex ignorantia natam ſuperſtitionem, vitiorum altricem, haberent in uſu ſuo quæſtuque. His nebulis obducta illa vetus doctrina partim non apparuerat, partim tot extrinſecus offuſis coloribus, alia quam erat eſſe videbatur. Tum judicavi hanc eſſe cauſam cur à multis ſæculis deſiderata eſſet reformatio, id eſt, repurgatio doctrinæ, tum à tricis ſcholaſticis, tum ab illis quas dixi nebulis eam obumbrantibus: curque, cum publicæ querelæ Regum & eruditorum diu fuiſſent irritæ, tandem aggreſſi eſſent partim Reges, à Paparum quibuſdam male tractati, partim privati repurgationem inſtituere, qualis cuique in mentem venerat. Sed nec id è voto ſucceſſit. Nam & confeſſiones factæ ſunt variis in locis variæ atque inter ſe pugnantes: & non modo quæ factæ erant partes, non potuere unquam inter ſe coaleſcere; ſed & novæ quotidie exortæ ſunt particulæ: tot, ut nemo ſit qui earum inire poſſit numerum. Et, ut fœcunda eſt iſta ſeges, unoquoque ſibi licere credente, quod alius ante uſurpavit, credibile eſt novas quotidie exſtituras. Cum & hoc ſummopere mihi diſpliceret, & viderem à partium principibus rem agi clamoribus magis, quam ſolidis

ſolidis argumentis, verti me ad eos legendos, qui etſi fuere in communione diverſa, animum tamen magis ad ſananda quàm ad fovenda divortia appulere. Ei ſtudio ubi me dedi, vidi eos in id quidem incumbere omnes, ut bene conſtituta doctrina illa vetere, & non interrupta, amoverentur illa quæ dixi impedimenta, tum inutilium ſubtilitatum, tum uſus mendoſi, quæ doctrinam illam aut conſpici vetant, aut non ſuo vultu ſpectandam præbent. Verum id ut ad concordiam reponendam utiliter fieret, ſentire eos ineundas vias, non ſeorſim cuique, ſed in commune univerſis. Eas autem eſſe tres: aut Papæ eximie boni auctoritatem: aut Concilium Vniverſale legitime congregatum in interpapatu: aut colloquia Regum, directa per Epiſcopos, eo animo, ut ibi cogitata poſteà ad ſedem Romanam, ut concordiæ coagulum, deferrentur. Poſtquam vero & ſermonem conſeruiſſem cum viris egregiis, partim Theologis, partim Politicis, tum qui ſedi Romanæ adhærebant, tum qui ab ea diſceſſerant, vidi illorum conſilia eodem, quo ſcriptorum quos deſignavi libros, tendere. Cum vero hæc res tam pulchra, quam difficilis, multis egeat adjutoribus, non primi tantùm ſed & ſecundi

tertiique ordinis, ut & rationes additis rationibus denſentur, & multorum conſenſus aliorum expugnet contumaciam, aliorum vero tarditatem exſtimulet; putavi & ego, poſt multum ætatis tritum in eorum ſcriptorum, qui pacem quam diſſidia magis amant, lectione, quam inde meſſem mihi feceram, congerendam in uſus poſterorum. Et cum à Caſaubono aliiſque viris magnis cognoſſem multum laudari eum libellum, quem rogatu religioſiſſimorum Imperatorum Ferdinandi & Maximiliani conſcripſit vir placidiſſimus Georgius Caſſander, optimum putavi non tam novum moliri opus, quam ad illius opus adminicula quædam conferre. Non diſplicuit is labor in Gallia, tum iis qui ſe Catholicos, tum iis qui ſe Reformatos vocari volunt. Habui & aliunde judicia faventia. Ab iis vero concionatoribus, qui in Batavis rerum potiuntur, nihil exſpectavi propitium, neque in hac re conjectura me fefellit. ſtatim enim complures in me inſurrexerunt, magnis, ut ibi fieri ſolet, clamoribus, quaſi Hannibal ad portas eſſet. In his non quidem lenis fuit, ſed minus aſper cæteris D. Rivetus, qui cum & dignitate aliis anteſtet, ei potiſſimum reſpondere operæpretium duxi,

& ille

& ille iterum mihi. Ejus nunc Examini, inſtituto ad alendas partes, Votum Eccleſiaſticæ pacis oppono, quale jam ante hîc breviter delineavi, & hinc diſtinctius ſum exſecuturus. Ordinem autem premam quem & Caſſander monſtravit, & ipſe inſtitit. Nunc ad prolegomena venio. Quam me ſincere amet D. Rivetus, vel inde colligi poteſt, quod me apud Legatos externos gravium hæreſium accuſavit, non alio argumento, quam quod ad Socinianorum quorundam literas reſpondiſſem: & quod nunc quoque omnia à me dicta ſiniſtrorſum rapit. Ego vero etiam pagano homini ad me ſcribenti, non negaturus fueram tam vulgare humanitatis officium, quod & Libanio ſæpe exhibuit Baſilius. Quam vero commoveatur ad ipſum pacis nomen, oſtendunt hæc ſcripta, & acerba viri nobilis Theophili Mileterii inſectatio, & loligo illa judiciis ejus adſperſa, quæ fecit de ſex viris piis & eruditis, qui non veriti ſunt diſſidentium ſe odiis objicere, ut pacem promoverent. In Batavis qui damnati in Dordrechtana ſynodo, ac deinde terris expulſi ſunt, ſententiam quidem ſuam, quæ eſt Melanchthonis, quæque multos ſemper in illis locis defenſores habuerat, apud patriæ ſuæ rectores dixerant: at ſeceſſionem

ceſſionem non illi priores fecere, ſed adverſarii. Epiſcopi Romani auctoritas non tam formidabilis viſa fuiſſet Hallo, ut propterea ſpem omnem conciliationis abjiceret, ſi ſciſſet quam promta in Galliis Hiſpaniiſque ſint remedia, quibus impediantur Papæ, ne aut Regum aut Epiſcoporum jura invadant: ſi conſideraſſet præterea nullo circa res & perſonas Eccleſiaſticas jure uti Britanniarum Regem, quod non habeat & Rex Siculus. Vt vero ad Dordrechtana illa acta revertar, hoc præcipuum fuit, quod Ioanni Duræo concordiam inter Proteſtantes bono animo molienti, reſpondere & Argentoratenſes & Suedi: ſe ibi non minus damnatos, quam qui cum Arminio ſenſiſſent. Qui ſe plus cæteris reformatos ducunt, antehac ſi qua illis objicerentur è Calvino, Beza & aliis, ſolitos dicere privatas eſſe magiſtrorum ſententias: nunc omnes, qui ejus eſſent partis, publica voce Synodi ſuæ teneri: nullum eſſe effugium: neminem eſſe qui non teneatur horribilia iſta (ut Calvinus ipſe loquitur) decreta defendere. Neque ſe credere alio animo benignæ fraternitatis verba uſurpari à Calvini diſcipulis, quam ut quocunque modo irrepant; ubi ſatis invaluerint, ejecturi alios, ſicut ex

Batavis

Batavis eos de quibus jam diximus? Lutheri autem discipulos ex Palatinis terris bis ejecere. Videant nunc prudentes an frustra optaverim, ut talis ingenii homines, qui Israëlem Dei solum dicunt habitare debere, à Regibus & potestatibus coërceantur, ne in alios ea audeant, quæ forte in ipsos sint recusura. Causas autem cur non probanda sint illa cusa Dordrechti, recusa autem in Cebennis dogmata, non meo unius sensu attuli, sed ex sensu omnium qui ab ipsis dissident, quales sunt Romani, Græci, & Protestantes Augustani. Exurendos vero aut morte puniendos, qui circa Trinitatem errant, absit ut Calvino & Bezæ assentiar. Est enim in illo negotio difficillimo facilis error: errantis autem pœna ita doceri, ut errorem fateatur. Nam si Magistratus ex lege Mosis, quam adducunt Calvinus & Beza, interficere debent eos qui divinas personas non bene distinguunt, quod Serveto unum objecit Melanchthon, cur non & illos qui naturas Christi confundunt, quod Calvini discipuli Lutheri discipulis objectant? deinde, si lex illa adversus idololatras constituta ex similitudine quadam ad hæreticos porrigenda est, certe priori ac potiori jure adversus idololatras exercenda

cenda est. Iam vero qui pro idololatris habent omnes eos qui Sedi Romanæ adhærent, nonne ostendunt quod ab iis interficiendis abstinent, in eo se duci non ulla commiseratione, sed metu talionis, qui si abscedat,

exsiliet frenis natura remotis.

Anathemata Synodi Tridentinæ non sunt contra confessionem Augustanam: sed contra privatorum dicta, qui, quam non satis perceperant Catholicorum doctrinã, eam acerbius traduxerant: imo interceſſit Romæ Carolus Imperator, ne inter libros interdictos illa Confessio poneretur. Quod in Animadversionibus dixeram, idem & nunc repeto, me quæ de scholasticis proferuntur præteriturum, quia nec Catholici ea tenentur defendere, nec ea est illorum auctoritas, quæ paci quam expetimus obstare possit. Pergo

AD ARTICVLVM I.

Dicit hic D. Rivetus se & suos duci publica Spiritus auctoritate in verbo suo Christianis omnibus communi. Tantundem dixit Menno & Socinus & Brunus & tot alii. Vide Lector, in quas perplexitates involvantur animæ undiq; audientium: *Hic est verbum Dei purum atque sincerum secundum*

dum ſenſum Spiritus ſancti. Neſciunt quo ſe vertant, niſi quod plerique ibi manent, quo eos naſcendi ſors, aut educatio, aut ſpes honorum & commodi detulit, & ſuis altum clamantibus acclamant: εὖγε, σοφῶς. Si quis ex hoc labyrintho expedire homines poſſet, nonne rem præſtaret optabilem? In Patriarchæ Gennadii, & cum eo Græcæ Eccleſiæ, verbis de Trinitate, Germani viri eruditi, qui ea ediderunt, nihil repererant à fide Nicæna diſcrepans. Neſcio an in negotio iſto Gallica ingenia ut ſubtiliora, plus videant aliis: ſed caveant, ne ſibi eveniat quod Calvino, qui ſuis ſubtilitatibus graviſſimas in ſe criminationes accivit. Non omnium eſt expedite eloqui, quæ differant realiter, quæ ratione, quæ vero modaliter: an rectius dicatur Pater genuiſſe, an ſemper gignere: an recte Keckermannus dixerit perſonas non entia: an recte perſonas Calvinus dixerit proprietates: cur eidem non placeat Filium Deum ex Deo dici. Hæc atque talia & legens & recogitans, laudo Irenæi illud: *Si quis itaque nobis dixerit quomodo Filius prolatus à Patre eſt, dicimus ei, quia prolationem iſtam, ſive generationem, ſive nuncupationem, ſive adapertionem, aut quomodolibet quis nomine vocaverit, generationem ejus inenarrabilem exiſtentem nemo novit.*

Et

Et illud ſive Ruffini ſive alterius, qui ad Symbolum ſcripſit: *Quomodo Pater genuerit Filium nolo diſcutias, nec te curioſius inſeras in profundi hujus arcanum, ne fortè dum inacceſſæ lucis fulgorem pertinacius perſcrutaris, exiguũ quoque ipſum, qui mortalibus divino munere conceſſus eſt, perdas aſpectum.* Quibus ſimilia habent Baſilius & Nazianzenus. Laudo & Marcianum Imperatorem, qui diſputari vetat ſuper iis, quæ à Synodo ſemel erant judicata. Serveti libri non Genevæ tantum, ſed & aliis in locis per Calvini diligentiam exuſti ſunt. Fateor tamen unum me dum vixi exemplum libri Servetiani vidiſſe Latine: in quo certe ea non reperi, quæ ei objicit Calvinus. Michaël Servetus, procurante id Calvino, vivus exuſtus eſt Genevæ anno CIↃIↃXLIII. Quæ poſt id tempus de Serveto ſcripſit Melanchthon, ea habuit à Calvino. Videtur eum ante id in Helvetiis noviſſe Oecolampadius; ſed explodendum cenſuit, non interficiendum. At Calvinus de ſe: *Libenter fateor ac præ me fero, ex me prodiiſſe accuſatorem.* Addit: *Non modo liberum eſſe Magiſtratibus pœnas ſumere de cæleſtis doctrinæ corruptoribus, ſed, quod illis licere nolunt imperiti, divinitus eſſe mandatum.* Et in Epiſtola ad Farellum de eodem Serveto: *Spero capitale ſaltem feret judicium.*

Qua

Qua vero humanitate ſolitus fuerit Calvinus excipere à ſe diſſentientes, ex ſcriptis liquet. Caſtellionem, quia illam quam Calvinus docebat prædeſtinationem oppugnabat, nebulonem & Satanam vocat; Cornhertium & nebulonem & canem: Scriptorem de officio pii viri in hoc religionis diſſidio, qui erat Caſſander, ipſi autem putabatur eſſe Balduinus, appellat frontis ferreæ hominem, pietatis expertem, profanum, impudentem, impoſtorem, ἄσεμνον, petulantiæ deditum. Ei ſcripto cum ſe oppoſuiſſet Balduinus, vocat eum hominem nihili, obſcœnũ canem, improbum falſarium, multa ſceleſte ac nequiter cogitantem, & conſpirantem cum improbis nebulonibus, cynicum, ſcurram, perfidum, fatuum, belluina rabie, Satanæ addictum. Caſſandrum αὐθάδη, morofum, lamiam, larvam, ſerpentem, peſtem, carnificem. Quid quod Bucerum, (dicam rurſus quod verum eſt, quamvis id nolit D. Rivetus) ita vexavit, ut virum mitem coëgerit hæc ſcribere longe veriſſima: *Judicas prout amas, vel odiſti: amas autem vel odiſti, prout libet.* Imo & ob atrocia dicta Bucerus ei nomen dedit fratricidæ. Hanc maledicendi libidinem Calvinus in epiſtola ad Bucerum κατ' εὐφημισμὸν impa-

 tientiam

tientiam vocat: cumque ea magnam ſibi ait eſſe luctam: & nonnihil ſe proficere, ſed nondum id conſecutum ut belluam domuerit. Si quis poſt id ab eo ſcripta leget, inveniet eum profeciſſe, ſed in pejus. adeo ei illud placebat: *Quod non volo facio.* Sic & Beza fatetur per quindecim annorum ſpatium, quo alios docuit juſtitiæ viam, nec ſobrium ſe factum, nec liberalem, nec veracem, ſed hærere in luto. Hæc non adfero quod mihi cum mortuis libeat luctari, ſed quia video ita plerunque evenire, ut quiſque mores imitetur ejus, quem ſibi ſumſit magiſtrum. Melanchthonis ac Iohannis Arndi diſcipulos ferme videas bonos ac lenes: contra Calvini aſperos, & tales, qualem in maximam partem humani generis Deum eſſe ſibi imaginantur. Tantum refert quo utaris doctore. Suadeo quibus otium eſt, legant reſponſa & Caſſandri & Balduini ad Calvinum: utilia ſunt ad noſcendum hominis ingenium.

AD ARTICVLVM II.

Paulus Apoſtolus, cum Adamum χοϊκὸν opponit Adamo πνευματικῷ, Adamum conſiderat, qualis primum fuit creatus, non ut lapſum. cauſa inde quia עפר, unde ſumtus Adam dicitur, χοῦς vertitur Græcis.

cis. Limacium vertit Tertullianus de Resurrectione carnis. Vnde sequitur naturam nos aliam habere à Christo quam habituri fueramus, si Adamus in primævo statu mansisset, & sibi genuisset similes. Innocentiam tamen quandam fuisse in Adamo priusquam peccavit parum sapiat qui neget. Nec quid de eo facturus fuisset Deus, si obedire perstitisset, disputo. libenter hac in re suum cuique relinquo judicium. Cæterum, sepositio hoc arcano Dei consilio, vitam cœlestem ei non fuisse promissam, sed terrestrem tantum, Scriptura diserte loquitur. neque ille sibi certo promittere potuit, quod Deus non promiserat. Et ipsa lex Mosis tanto serius data, promissa non habet nisi terrestria, ut cuivis legenti apparet, & omnes veteres viderunt. Hæc Galli illi viri eruditi quos designo, non à Ruaro, sed à Camerone hauserunt. Ego vero nihil hac in parte, à receptа Ecclesiæ sententia discedo: & in hoc quoque libenter universitatis Parisiensis judicio me subjicio. Neque vero Damascenus, quem infra ad hanc rem producet D. Rivetus, vitam cœlestem nominat. Pelagius externam verbi prædicationem ad justitiam ingenerandam sufficere credidit: interiorem putabat quibusdam contingere, sed

non esse necessariam. Liberum vero hominis arbitrium, gratiæ illi interius agenti subjungi atque conjungi, non est error Pelagii, sed sensus Catholicus, quem & omnes agnovere trium optimorum sæculorum scriptores, & Episcopi Romani, qui Afris & Gallis super hac re responderunt. Non tamen pendet à libero arbitrio Gratia, quia Gratia quousque & quantum vult operatur, nec desinit operari, nisi quia vult desinere, ob justas causas. Confessio Philosophorum, σύμφυτον εἶναι τοῖς ἀνθρώποις τὸ ἁμαρτάνειν, utilis nobis est, non modo ut veritas quam defendimus habeat experientiæ testimonium etiam ἐξ ἔξω: verùm insuper, ut hoc substrato fundamento, facilius adigantur illi ad quærendam illam Gratiam, quam revelat Euangelium. Quod verò lapsum, & inde transfusam labem agnitam illis fuisse negat D. Rivetus, ea de re aliter existimat Philippus Mornæus Plessiacus, ut ex ipsius libris pro veritate Religionis Christianæ videre est.

AD ARTICVLVM III.

Singulari modo esse corpus Christi in Eucharistia agnoscit D. Rivetus: negat modum esse ἀόριστον. At reipsa & vere recipi,

pi, quod signa testantur, dicit Gallica D. Riveti Confessio. Substantialiter sumi corpus & sanguinem dicunt Calvinus, Beza, Sadeel. Difficultas oritur ex vocibus aliter & aliter intellectis. Nam D. Rivetus per modum substantialem, intelligit quantitativum, quem agnoscere nemo Catholicus eum coget. At modum hunc ita esse substantialem, ut sit spiritualis, Catholici fatentur. Substantia rei cujusque est id quod præcipuum est, quod activum est, cujus ergo sunt cætera. In hoc sacramento, quod ex invisibilibus & visibilibus constat, præcipuum est corpus & sanguis Domini: cætera accidentium habentur vice.

AD ARTICVLVM IV.

In hac de justificatione controversia triumphant multi, quasi incognitam plurimis sæculis lucem nobis de cœlo detulissent. At ego quod ex multa lectione Græcorum & Latinorum, qui in epistolam Paulinam ad Romanos scripsere, & ex locorum Pauli inter se collatione didici, sincere dicam. Christus ita est justitia nostra, quomodo est sanctificatio nostra, id est causa tum justitiæ nostræ, tum sanctificationis. per fidem enim in Christum

juſtificamur, id eſt purificamur & liberamur à vitiis. ita liberatos Deus, ut juſtos tractat, amat, honorat, & in ſignum ſummæ amicitiæ, dat eis Spiritum ſuum ſanctum, per quem producimus aut producere debemus opera vere heroïca, id eſt cœleſtia. ita qui fuerant צדיקים fiunt & חסידים in ſummo gradu. Dicitur autem fides imputari in juſtitiam, aut, quod idem eſt, juſtitia per fidem, quia Deus illam habet pro facto valde egregio, ut olim zelum Phineæ Pſalmus cvi, 31. De juſtitia Chriſti imputata nobis, quaſi nos eam omnem præſtitiſſemus, & de fide, quæ illam juſtitiam ſic imputatam amplecti debeat, nullum eſt verbum in ſacris literis. Fides illa quæ tantopere prædicatur hæc eſt, qua Chriſtum credimus paſſum, mortuum, & excitatum à mortuis, ac propterea vera eſſe, quæ Dei nomine ſive præcipiendo, ſive promittendo nobis attulit. Interim verum eſt, iis qui à vitiis purgati ſunt Deum condonare vetera crimina, idque propter Chriſtum, qui id nobis obtinuit: neque enim Deus tenebatur ea condonare. Niſi autem Deus nobis condonaſſet peccata, non daret nobis donum illud ſummum quod in vita hac hominibus contingere poteſt, Spiritum nimirum ſanctum.

ctum. Id enim paterni amoris, & quidem ſummi, certum eſt teſtimonium. Huc tendere quæ dicit Paulus, hunc ejus eſſe ſenſum, tum ex vi vocum, tum ex ſerie ſermonis apertum nos in Annotatis noſtris facturos confidimus. Interim oro eos qui dubitant, legant Græcos, Chryſoſtomum, Oecumenium, Theophylactum, aut Latinos etiam Ambroſium & Hieronymum: reperient eos id ſenſiſſe quod dico. Quid vero mirum eſt, ſi Deus pro juſtitia ſua approbat eam juſtitiam, quam ipſe in nobis fecit, & quæ propterea juſtitia Dei dicitur, quæque legalem illam, & omnem ex viribus humanis profectam, multis modis ſuperat? non enim poteſt non amare quod ſuum eſt. Nec cum Deus ita per ſe & ad ſe converſos ſpectat, eos ſpectat ut peccatores (quomodo ſcilicet ea vox in Scripturis ſumitur) ſed ut à peccatis purgatos & liberatos. Et inde oritur læta illa pax conſcientiæ, quia talibus Deus, ut jam diximus, propter Chriſtum promiſit priorum criminum indulgentiam. Neque vero directe opponuntur apud Paulum accuſare & juſtificare, ſicut nec directe oppoſita ſunt quæ ſequuntur, damnare eos & pro eis precari: ſed fit hæc oppoſitio per conſequentiam quandam. Iſti qui nos apud

humana tribunalia accusant, homines sunt miseri, cum Deus sit is qui nos justos esse videat, & ut justos amet. damnamur ad pœnas, sed à quibus? nempe à mortalibus. At Christus immortalis is est, qui perpetuo causam nostram Deo Patri commendat. Tribunal Christi est tribunal Dei. Ibi ex quibus rebus simus judicandi dixit Christus Matth. xxv, 34, 35. Paulo & omnibus qui adventum Christi amarunt reddetur corona justitiæ, nempe quia præclarum certamen certarunt, cursum perfecerunt, fidem servarunt. II Timoth. IV, 7. Novatiana causa huc non pertinet. neque enim dicimus post baptismum lapsis omnibus præclusam à Deo veniam, aut reditum ad Ecclesiam. Honos autem & gloria omnis justitiæ, quæ in Christianis reperitur, ad Deum & Christum redit. Fides enim Dei donum, & per Christum, non ex operibus, sed ex vocante. Et hoc est justitiæ semen: fructus autem omnis censetur in semine. Quam facilis autem hic sit conciliatio, si absint tricæ scholasticæ, & alienus à pace animus, ostendit Bucerus in Psalm. II, non editionis Stephanicæ, quæ plane corrupta ac depravata est, ut plerunque editiones Genevenses, sed Argentoratensis: *Non possum non sanius judi-*

judicium operare quibuſdam, qui hoc noſtro ſæculo plurimos admodum turbarunt, hoc paradoxo, ſola nos fide ſalvari: cum viderent tamen hoc ea rapi ac ſi juſtitiam ſola animi exiſtimatione finirent, & bona opera ſecluderent. Quæ jam illa charitas, quæ huic malo nunc verbulo mederi dedignatur, ut dicerem, fide formata juſtificamur: aut per fidem, bonorum operum voluntatem, ac ita juſtitiam conſequimur: aut fides fundamentum & radix eſt juſtæ vitæ, ut Auguſtinus dixit. neque veris enim quiſquam offendendus eſt. Videatur ejuſdem Buceri præfatio in Commentarios ſuper IV Euangeliſtas, quæ & ipſa in Stephanica editione de induſtria omiſſa eſt. Etiam Melanchthon in literis ad Ioachimum Camerarium, ſæpe queritur nihil ſibi objici niſi quod pluſculum laudet bona opera: ſe vero & minus horrida dicere quam alii, & ea quæ tum vera tum utilia ſint. Venio ad locum Lucæ XXIII, 11, 34. Quod Eſaias prædixerat Chriſtum precaturum pro defectoribus, LIII, 12. id Lucas Chriſtum feciſſe narrat his verbis: *Pater dimitte illis, quia non ſciunt quid faciunt.* Dixi hic non agi de plena ac perfecta remiſſione, quæ pœnitentiam ſequitur: ſed de remiſſione ad certum quid, ſive de abſolutione pœnæ certæ quæ jam tum infligi

illis potuiſſet. Hunc ſenſum exigunt illa: *quia non ſciunt quid faciunt*: non enim inde ſequitur, æquum eſſe, ut plenum illud jus veniæ conſequantur, quod non datur niſi pœnitentibus, quales illi tunc non erant, ſed ne ſummo rigore cum ipſis agatur: occludendo ſcilicet pœnitentiæ vias. Et hanc expoſitionem meam additis duobus ex Paulo locis firmavi. Hæc non intellexit Rivetus, aut fruſtra carpſit. Bona opera non viam tantum eſſe ad regnum, verùm etiam cauſam, quanquam non primariam, regnandi, ex multis Scripturæ locis apparet. Dicit enim Chriſtus, *Accipite regnum, eſurientem enim paviſtis*, &c. Et Paulus: *Reddet Deus unicuique ſecundum opera ejus, iis quidem qui ſecundum patientiam boni operis gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam.* Rom. II, 7. *Sic currite ut comprehendatis.* 1 Cor. IX, 24. Iuſtum eſt apud Deum requiem dare iis qui tribulantur. II Theſſ. I, 7. Imo & injuſtus dicitur fore Deus, ni id faceret. Heb. VI, 10. Locum ad Rom. VIII, 30. D. Rivetus ad ſuam illam prædeſtinationem arripit, cùm tamen toto illo capite agatur de deſtinatione ad Crucem, quam deſtinationem illi ſimul poſſunt, vi oppoſita defugiunt, aut etiam

iam anteverterunt. si quis ea de re dubitat legat historiam Genevæ restitutæ. Distinctionem θελήματος προηγουμένου & ἐπομένου habemus apud Damascenum de Orthodoxa fide. II, 29. latiùs autem in Dialogo cum Manichæo, non procul à fine. Prædestinatio vero in sacris literis non id significat quod multi putant, sed ordinationem eorum beneficiorum, quibus ad salutem perducimur, semperque sumitur in bonam partem. Inter obedientiam nostram & gloriam æternam atque cœlestem, non esse eam æqualitatem quæ rei ad rem dicitur, cum veteribus agnosco. Sed est præter hanc alia quædam æqualitas, quæ à talium peritis dicitur, pacti ad impletionem pacti; quæ & ipsa facit, ut vera sit merces; ac propterea verum etiam meritum. Sunt enim ista τὸ μισθὸς καὶ ἀντίμισθος, meritum est mercedis alicujus meritum. merces est meriti alicujus merces. Et quæ inter ista duo est ἀξίωσις, ea dignitatis nomine etiam in sacris literis appellatur. Apocalypsis III, 4, & alibi. Fateor tamen, ubi etiam rei ad rem est æqualitas, ibi meriti naturam esse pleniorem & exactiorem. Vt ad certitudinem pro futuro statu veniam, Augustinus & alii Patres docent nos de præmio

quidem

quidem esse certos, si perseveramus: & hæc est fides quæ falli non potest: de ipsa autem perseverantia nos esse incertos: ita tamen, ut quo quisque majores in pietate profectus fecerit; eo major illi spes exsurgat, quæ metum non omnem excludat. Eam vero conciliationem quam adferre vult D. Rivetus, non patiuntur Augustini verba, & sensus ejus multis in locis manifestissimus. Suæ enim prædestinationis neminem certum esse dicit, nisi sicui forte ea de re divina revelatio contigerit: fidem autem etiam cum charitate conjunctam, & regenerationem, non esse certa prædestinationis indicia, quia multi qui illam fidem & charitatem habuerint, & regeniti sint, non tantum deficiant, sed æternum pereant. Quidam qui gratiam accepere fidei & sanctitatis, dimittuntur hic vivere donec cadant: epistola CVII, ad Vitalem. Regenerati alii perseverantes usque in finem hinc eunt, alii quousque decidant, hic tenentur: De bono perseverantiæ. Deus quibusdam quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non dat perseverantiam: eodem libro. Regeneratus aliquis & justificatus in malam vitam sua voluntate relabitur: De reptione & Gratia. Iusti quidam donec

à ju-

à justitia cadant vita productiore tenentur : De prædestinatione Sanctorum. Ideo nemo potest esse securus, nisi cùm consummata fuerit ista vita, quæ tentatio est super terram : dicto libro de bono perseverantiæ. Sed nimirum, ut Melanchthon scribit Ioachimo Camerario, sunt quædam paradoxa nata in Zenonis porticu, quorum non rectè auctor sit Augustinus.

AD ARTICVLVM V.

Verum est, quod dixi, in sacris literis Novi Testamenti, Spiritum sanctum poni post fidem. Non obstat locus 1 Cor. IV, 13, quia ibi spiritus fidei est is qui per fidem obtinetur, & qui nobis loquenda suppeditat; Matt. 10, 20. Locum Petri quod attinet 1, 22, Manuscriptus ille quo usus sum, & cui similes habuere & hoc & aliis multis in locis tum Syrus, tum Latinus, multis aliis præponderat. Est enim à temporibus Synodi magnæ Nicænæ. Sed nec ea quæ D. Rivetto placet lectio, nobis repugnat. nam διὰ πνεύματος tunc pertinebit ad illud ἡγιασμένοι, & ὑπακοὴ τῆς ἀληθείας erit jugis illa obedientia Euangelio præbita. Sicut enim in vitibus duplex est purgatio, prior quæ deputatio, altera quæ pampinatio dicitur, ut diximus ad Iohan. XV, 2,

xv, 2. ita & in nobis duplex fieri debet purgatio, prior per fidem, posterior, eademque exactior, per Spiritum: prior per baptismum significatur: posterior per pedum lotionem: ut diximus ad Iohannis xiii, 10. In loco 1 Cor. xii, 3. agitur de discernendis prophetiis veris & falsis: daturque signum unde dignosci possint; nam si is qui futura prædicit, quæ eveniunt, dixerit se ea prædicere per Christum, verus est propheta: sin minus, falsus & tentator. idem sensus est 1 Iohannis iv, 2. Est autem prophetiæ donum in novo fœdere fide posterius, & fidei præmium. Libellus iste cui respondit Reverendus D. Petavius, cujus sit auctoris nihil refert: ego eum totum pro meo non agnosco. In octavo capite Augustini de Vera Religione, inveniet, qui id legere cum cura volet, id quod ibi invenire noluit D. Rivetus: discetque multis evenire ut pellantur de congregatione, neque tamen ullas novitates vel schismatis vel hæresis moliantur, & qui sic doceant homines quam vero affectu, & quanta sinceritate Deo serviendum sit. Addit plura esse talium exempla, quam credi potest. Accidit hoc olim Theodoreto, & aliis, ideo quod illorum sententiæ minus commode acci-

acciperentur. Ego vero nihil magis opto, quam ut & meum & aliorum mecum facientium pro pace propositum recte intelligatur: & sic possimus cum maxima proximorum ædificatione & profectu pietatis, eo redire unde parentes nostri exierunt. Iesuitarum societas intra hos annos centum, & quod excurrit, plures protulit viros in omni genere scientiarum eruditos, & eosdem vitæ inculpatæ, quam ulla alia. Scio ego multos esse eorum qui serio teneantur studio & vitia tollendi, & restituendi Ecclesiæ pristinam unitatem. Neque me piget eorum uti consiliis, quibus Rex Christianissimus id quod pretiosissimum habet, credit. Quod vero dixi, si peregrinandum habeat D. Rivetus, facile ei evenire posse quod aliis exprobrat, id vero Micronius Vtenhovius & alii non in paganis, sed in Christianis, & quidem Protestantium regnis, experti sunt. Novum coetum, &, ut nunc loqui mos est, Ecclesiam colligere mihi, etiamsi liceret, non liberet: video quam male id aliis cesserit: multiplicarunt numerum & non lætitiam.

AD ARTICVLVM VI.

De voce meriti jam actum est. quæ de

ea voce dixi, ea non dixi mea authoritate, sed & Grammaticorum & Iurisconsultorum, præcipue vero Patrum omnium Latinorum, qui dicunt dari unicuique sine merito unde tendat ad meritum.

AD ARTICVLVM VII.

Gradus Præpositorum in Ecclesia esse debere, & per illos gradus compaginari Ecclesiam, docuit nos Paulus Ephes. IV, 11. Ordo sive in partibus, sive in toto, continetur principatu quodam, sive præpositi unitate. Et hoc est quod in Petro nos Christus docuit. Hoc à Christo didicit Cyprianus. idem cum Cypriano dicit Hieronymus adversus Iovinianum: *Super Petrum fundatur Ecclesia, licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cunctis claves regnorum cœli accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatum tollatur occasio.* Tale caput est inter presbyteros Episcopus, inter Episcopos Metropolitanus, aut alio quis modo electus, ut cæteris præsit. Tale inter omnes Episcopus Romanus. Hic ordo in Ecclesia semper manere debet, quia semper manet causa, id est, periculum à schismate. Diotrephes id sibi malo more arrogavit, quod

quod ad alios pertinebat, ut poſtea Novatus & Novatianus. Epiſcopatus unius à ſingulis partem teneri, ſingulis paſtoribus portionem gregis eſſe aſſcriptam, omnibus aliquo ſenſu etiam Vniverſalis Eccleſiæ curam credi, verum eſt. Regitur enim Eccleſia communi Epiſcoporum conſilio: ſed & portionum plurium inter ſe coagmentatio, & illa totius corporis, unum requirunt præſidem. ita & paritas manet poteſtatis, & exſors quædam poteſtas, ut Hieronymus loquitur, inter cætera pares. ſunt enim pares jure collegii, non jure principatus. Videat contra Gerſonem, Bucerum & Didoclavium, cui id vacat, Saraviam, Dounhamum, Bliſonum. Angelus in Apocalypſi non eſt niſi unus in quaque Eccleſia, ubi tamen plures erant presbyteri jam à multo tempore, non alia de cauſa ſic dictus, quam quia Hebræi (quorum exemplum ſecutos etiam Ægyptios diſcimus ex loco Diodori Siculi apud Photium) ſummos ſacerdotes, quibus reſpondent in Eccleſia Epiſcopi, angelos vocabant. Chriſtus ipſe diſtinguit Eccleſiam & angelos: candelabra ſunt Eccleſiæ: ſtellæ autem angeli Eccleſiarum. Ap. 1, 20. Hieronymus angelos Eccleſiæ præſidentes dixit. Auguſtinus: *Sub angeli nomine*

mine laudatur præpositus Ecclesiæ. Nec aliter explicant Bulingerus, Beza, Renoldus. Horum angelorum unus fuit Polycarpus, πρεσβύτερος presbyterii Smyrnensis, ab Apostolo Iohanne in id constitutus. Irenæus III, 3: *Polycarpus autem, non solum ab Apostolis edoctus, & conversatus cum multis ex iis qui Dominum nostrum viderant: sed etiam ab Apostolis in Asia in ea quæ est Smyrnæ Ecclesia constitutus Episcopus, quem & nos vidimus in primâ nostra ætate: multum enim perseveraverat, & valde senex, gloriosissime & nobilissime martyrium faciens exivit de hac vita.* Tertullianus de præscriptionibus hæreticorum: *Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt: sicut Smyrnæorum Ecclesia Polycarpum à Ioanne collocatum refert.* Et adversus Marcionem IV: *Habemus & Ioannis alumnas Ecclesias: nam etsi Apocalypsin ejus Marcion respuit, ordo tamen Episcoporum ad originem recensus in Ioannem stabit auctorem.* Chalcedonensis Synodus Act. XI: *A sancto Timotheo, usque nunc* XXVII *Episcopi facti omnes in Epheso ordinati sunt.* Blondelli incomparabilem diligentiam magni facio: & librum ejus omnibus, ut legant, suadeo, cum judicio tamen. Nec enim mirum si vir doctissimus interdum abripitur studio partium, & reperit, ut dixi, σοφὰ φάσματα,

ut

ut eum in Irenæo III, 3, potentiorem principalitatem de imperio interpretatur, cum de Ecclesia agi ostendat ea causa, quam addit, quia ibi semper conservata est, ea quæ est ab Apostolis traditio. Quot dissidia sanata sint auctoritate Romanæ Sedis, quoties oppressa innocentia ibi præsidium reperierit, non alium testem, quam eundem Blondellum volo. Vbi ex controversis electionibus oritur schisma, officium esse Imperatoris & Regum curare ut Concilium Vniversale coëat, vere dixi. Nec quisquam prudens auctoritatem illam Ecclesiæ necessariam ipsis negabit. Et exempla habemus in Synodis Constantiensi & Basileensi. Si Principes in re tanta quod sui muneris est non faciant, Deus ab illis rationem exiget. Nazianzenus in infelicissima incidit tempora, & ipse dure tractatus fuit. id in causa est, cur non tantum Episcoporum ambitum insectetur, sed & tota Concilia, suæ nimirum ætatis. Si illa Διάκρισις πνευμάτων, quæ in prima fuit Ecclesia, mansisset, rectius fuerat unius Provinciæ Episcopis præferri eum qui donis præstaret: at postquam ad humanas eligendi vias ventum est, non caruit ratione, præferri eum qui in Vrbe principe esset Episcopus, quod in talibus urbibus

major esse crederetur copia virorum eminentium, & ipsa electio accuratius quam alibi fieret. Eligantur ergo Metropolitæ ex virtutis merito; & habebit quantum fieri potest id quod optat Nazianzenus. Melanchthon ad Langæum negat id agi à se aut suis; ut politia Ecclesiastica vel potestas Pontificum aboleatur: & in rebus quibusdam relaxationem vult à Pontifice concedi.

AD ARTICVLVM VIII.

Multum hic mihi largitur D. Rivetus: satis semper fuisse in doctrina illa Vniversali, nempe Ecclesiarum cum Romana Sede cohærentium, unde mores & superstitiones corrigi possent: idque vel unius Bernhardi scriptis liquere. Nam id si ita est, repurgentur mores & superstitiones, doctrina vero maneat, sed bene explicata. id est quod & ego & alii optamus: huc vota nostra, huc labores tendunt.

AD ARTICVLVM IX.

Solet vir clarissimus Vossius in libris suis ponere argumenta, quibus suam quisque sententiam adstruunt; non quod ipse ea probet, sed quod ita fert historiæ ratio. De baptismo infantium, ad loca Scripturæ, quæ

quæ ad neceſſitatem ejus probandam adferuntur, quid reſponderi poſſit, diſcet qui volet ex Cardinali Peronio, reſponſo ad epiſtolam Caſauboni capite VIII. Ego in Eccleſiæ auctoritate, cui Deus ſacramenta & aliquod in ea jus dedit, acquieſco. Fuit tempus cum infantibus daretur Euchariſtia: evanuit hic mos, non tamen tanquam abſurdus, ſed tanquam non neceſſarius. Baptiſmum differre in multam ætatem liberum olim fuit. nunc aliud obſervatur, neque tamen etiamnunc certum tempus ſumendi baptiſmum ab Eccleſia definitum eſt. Nihil hic eſt contra Scripturam. in tempore, loco, modo talium, magnam ſemper Eccleſia libertatem habuit. Olim quoque non erat homo datus in manum Sabbati: ſed Sabbatum in manum hominum: & quæ diu vacillaverat obſervatio, tandem in iis conſtitit, quæ Maccabaïcis temporibus fuere conſtituta. Ipſa Sacramentorum vox non Scripturę eſt, ſed Eccleſiæ. Latius olim patuit; poſtea Eccleſia ejus ſignificatum ad certum numerum reſtrinxit. Ritus quoſdam ex antiquo retinuit; omiſit alios, ut in baptiſmo non paucos: alios addidit ad adumbranda rerum ſignis Scripturæ loca. Hæc in Eccleſiæ jure comprehendi veteres credide-

re. Nuper nati qui id non credunt, tamen neque baptizandis veſtes exuunt, neq; eos merſant: quod eſt βαπτίζειν. Dixit Auguſtinus non male contra Creſconium: *Quamvis de Scriptura canonica non proferatur exemplum, tamen earum etiam ſcripturarum à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus quod univerſæ placuit Eccleſiæ, quam ipſarum ſcripturarum commendat auctoritas.* De Iohannis baptiſmo quæ dixi, nempe agi duobus illis Actorum locis non de baptiſmo perperam adminiſtrato ab aliquo Iohannis diſcipulo, ſed de baptiſmo recte adminiſtrato ab Iohanne, nempe ita ut ille baptizare ſolebat, ſentiunt mecum veteres. Oecumenius: πόθεν οὖν οἱ ἐν Ἐφέσῳ ὄντες τὸ βάπτισμα εἶχον Ἰωάννου; ἴσως ἐπεδήμησαν τοῖς Ἱεροσολύμοις πότε, καὶ ἀπῆλθεν πρὸς τὸν Ἰωάννην καὶ ἐβαπτίσθησαν. *Unde illi qui Epheſi habitabant baptiſma Iohannis acceperant? credibile eſt Hieroſolymis peregrinatos veniſſe ad Iohannem, & baptizatos fuiſſe.* Deinde: ἐντεῦθεν δὲ δείκνυται ὅτι ἀτελὲς ἦν τὸ βάπτισμα Ἰωάννου. *Oſtenditur hinc imperfectum fuiſſe Iohannis baptiſmum.* Paria habent ibi Græci alii. Sed longum eſſet tranſcribere. Et Chriſtus an ab Iohanne baptizatus fuit in nomen Patris, & Filii, & Spiritus ſancti?

AD ARTICVLVM X.

In Sacramento Euchariſtiæ tranſſubſtantiationem intelligendam ait Modrevius, non phyſicam, ſed metaphyſicam, ſive potius Theologicam: addere licet καὶ θεουργικήν. Sicut ſubſtantiæ vox non eodem modo ab omnibus ſumitur: aliter enim eam ſumunt Ariſtotelici, aliter Hermetici, aliter Platonici: ita & vox tranſſubſtantiationis, aut ſi Græcam mavis ab elementis deductam μεταστοιχειώσεως. Credo autem multos Proteſtantium non voce offendi, quæ tam poteſt commodam interpretationem recipere, quàm vox θεοτόκος, ſed quibuſdam ſcholaſticorum explicationibus; quas ſeponere ipſis licet, & ſe tenere eo quod omnes dicunt Catholici, mutationem hanc μαθόλων, μεταποίησιν, μεταρρύθμισιν fieri ſpiritualiter, proficere ſpiritualiter: & quod Græci referente Ieremia Patriarcha: ὅτι μετὰ τὸν ἁγιασμὸν ὁ μὲν ἄρτος μεταβάλλεται εἰς αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, ὁ δὲ οἶνος εἰς αὐτὸ τὸ αἷμα διὰ πνεύματος ἁγίου: poſt ſanctificationem panem mutari in ipſum corpus Chriſti, vinum vero in ipſum ſanguinem Chriſti, nimirum per Spiritum ſanctum. Formulam autem Poſſiacenam quam ego concordiæ reſtituendæ cauſa propoſui,

norit D. Rivetus exſtare approbatam atque ſignatam à parte Catholicorum ab Epiſcopo Valentiæ & Eſpenſæo, à parte Proteſtantium, à Beza & Galaſſio. Videtne in hac re D. Rivetus id quod non viderat Beza? D. Rivetus loca Patrum ad ſolam ſignificationem refert. At certum eſt, apud Patres & Proteſtantium plurimos cum ſignis exhiberi rem ipſam, ſed modo qui non perceptibilis ſit externis ſenſibus. ita Bucerus & alii. Et quia hæc res bene explicata eſt à ſcriptore Diallactici; ideo eum, ut ad pacem reſarciendam idoneum, laudo. Vt dicam quod ſentio, puto ſatis intelligere diſputatores multos quid voluerit vetus Eccleſia, & quid nunc velit tam Græca quam Latina: ſed id eos diſſimulare, ut habeant quod declament apud illos, qui externis, quàm internis ſenſibus melius utuntur. Locus Auguſtini quem citavi: *Corpus enim in quo reſurrexit, in uno loco eſſe oportet: veritas autem ejus ubique diffuſa eſt,* apud Gratianum eſt de conſecratione diſtinctione 11, c. 44. *Prima quidem.* Præſcriptum autem eſt: Auguſt. in explicatione Pſ. LIV. Sic ego citavi quomodo Gratianus, quem puto ſecutũ bonos ſui temporis codices. Nam quorſum falſimonia uſus eſſet, cum loca alia ſuppeterent, quæ videre eſt

non

non tantùm apud illuſtriſſimum & diſertiſſimum Cardinalem Peronium, ſed & apud viros pereruditos, Albertinum, Faucherium, Blondellum, & tot alios. Sic & epiſtola ad Irenæum, unde alterum locum citat Gratianus, exſtitit olim in manuſcriptis: nunc eam periiſſe credibile eſt, ut multa alia quæ citat Bertramus. At in Homilia ad Pſalm. XCVIII, quædam eadem, quædam non eadem reperiuntur. Nihil id mirum, cùm ſi cujus alterius, Auguſtini is mos ſit, quæ alibi ſcripſit, iterum alibi uſurpare, mutatis quæ libet. Suis utitur ut ſuis. Eſt idem corpus & non idem. idem re, non idem modo: non tantum inviſibiliter intelligitur, ſed & inviſibiliter operatur. Et ſecundum Patres τὰ νοητὰ ſunt vere ὄντα: illa verò αἰσθητὰ ipſis dicuntur φαινόμενα. Vbi Catholici dicunt & profitentur ſe honoris ſigna exhibere Chriſto, quem præſentem in Sacramento Proteſtantium plurimi agnoſcunt, non ſunt εἰδωλολάτραι, non magis quàm Iudæi erant εἰδωλολάτραι, cum honorem Deo exhiberent apud arcam. Invocari Chriſtus ubique poteſt: honoris ſignis affici ubique. ubi autem juſtius quam ubi modo adeò ſingulari præſentiam ſui exhibet? Dicam ampliùs, flexus corporis varios, ad honoris

significationem olim usurpatos, non habere ex lege divina certum & definitum aliquid quod significent; sed in usu esse libero, nisi quatenus populorum mores huic vel illi significationi eum defigunt. itaque si Apostoli caput flexere, alii genua, in eo quod rem attinet, nihil plane interest. Sed voces istæ λατρείας, adorationis, & similes, quia ambiguæ sunt, egregie serviunt rixas quærentibus. Sæpe dicit D. Rivetus orare se lectorem sua ut relegantur. idem ego de meis oro lectorem. videbit ab eo dici ubique satis multa; sed pauca illa à me dicta non everti. Nam de sacrificii voce quid illis libet illam arctius restringere, quam ferat aut origo vocis, aut usus? Nihil respondet D. Rivetus ad id quod dixi legalem de simila oblationem, id est, מנחה dici θυσίαν. Addam ego ex Gen. IV, 3, ex Græco: ἤνεγκε Καὶν ἀπὸ τῶν καρπῶν τῆς γῆς θυσίαν τῷ κυρίῳ. Ergo etiam de fructibus terræ, quæ fit oblatio, θυσία, id est sacrificium, recte dicitur. Sacrificant ergo fideles cum fructum segetis, & fructum vineæ offerunt, ut in usum illum sanctissimum consecrentur. Deinde Ecclesia sacrificium Christi quo solet ritu verbisque commemorans, in eo quoque sacrificat, & offert quod suum est, sibi à Christo datum, id Deo

ob

ob oculos ponit, per id Deum obsecrat, estque idem quod Christus obtulit sacrificium; idem unum verum & singulare sacrificium Augustino, μνήμης θυσία Eusebio, νοερὰ θυσία aliis. Post id semet offerunt fideles ad exemplum Christi, bona sua, labores suos, etiam vitam si non effectu, certe affectu, quomodo Abrahamus filium obtulit sacrificans. Quid inhis novum, quid detortum, quid noxium? sed animi semel distracti omnia in pravos sensus distrahunt: deinde gaudent, si in scholasticorum aliquo reperiant quod ansam det pipulo. Communionem domesticam valde expetiisse video etiam Calvinum: docet me id vita ejus. Cum vero Iustini ætate necessario aliquod tempus intercedere debuerit inter consecrationem, & Diaconi iter ad ægrotum, multum fecerit D. Rivetus, si definiverit intra quot horas id fuerit licitum, & post quot horas illicitum.

AD ARTICVLVM XI & XII.

Facit D. Rivetus quod ipse & socii ejus solent; voces receptas aliter interpretatur, quam quo sensu receptæ sunt. Satisfacere est vox non Scripturæ, sed Iuris civilis. satisfacimus autem ei cujus desiderium implemus, ut loquuntur Iurisconsulti.

Desiderat

Desiderat autem Deus non pœnitentiam tantum, sed & pœnitentiæ testimonia, maxime talia quæ animis inurunt delicti memoriam & fugam. Vide Sirach III, 29. Neque magis in hoc verbo Christo fit injuria, quam cum Apostoli dicuntur homines convertere, & servare, quæ verba Christo modo eximio ac principali competunt: Apostolis suo modo. Neque ita pro nobis satisfacere voluit Christus, ut nobis nihil agendum restet. In hac re non minus quam in justitia, quam vocant imputativam, mera hominum commenta pro divinis venduntur. Et non mirum est talia multis placere. Causa est evidens.

AD ARTICVLVM XIII.

Rursum ad Scholasticos revolvitur D. Rivetus. Quæ de manuum impositione dixi, ea, qui in antiquitate & per Orientem nunc quoque receptis moribus, versati sunt, vera esse deprehendent. Cyrillum illum Constantinopolitanum novi pridem, & ille me. Doleo illum consiliis externis, politicis sane, non Theologicis, ad ea abductum, quæ si feciſſet Papa, jam illum aperte καθαχυρεύειν τὸ κλήρων omnes Scholarum, omnes Basilicarum parietes resonarent.

AD

AD ARTICVLVM XIV.

Si uſquam bona male interpretari libuit D. Riveto, id certe ei hic libuit. Locutus ſum de norma illa ſane egregia, quæ in Deuteronomio regi præſcribitur. Dico paucos fuiſſe in populo Dei reges ad eam normam, ſi tamen vel unus fuit. Adeo verum eſſe quod ille dixit, omnes bonos Principes uni annulo facillime inſcribi poſſe. Nonne verum dixi? David, vir tantus, alienas nuptias temeravit, & quidem redemtas innocentis ſanguine. Solomon ad idololatriam primos fecit gradus. Aſa excelſa non abſtulit. Ioas Zachariam ſacerdotem occîdit. Ezechias in theſauris ſuperbiit. Ioſias contra recta monita bello Ægyptium laceſſivit. Cæteri in Iuda multo his pejores. In Iſraële omnes mali. Ad exactam illam normam fuere forte Theodoſius Magnus, ſanctus Ludovicus, pauci præterea. Quo pauciores fuere, eo major eſt laus. Ad hanc laudem nemini regum præcludo aditum. interim ſubditis obſequium inculco adverſus omnes, ex Chriſti & Apoſtolorum præcepto. Optimos votis expetant: de mediocribus Deo gratias agant: etiam peſſimos tolerent, propter Chriſti doctrinam & exemplum: ferant

ferant etiam dolosas vulpes, qualis fuit Herodes: etiam sævos leones, qualis Nero. Cum autem subditos dico, sub eo nomine comprehendo etiam magistratus inferiores, qui ratione habita summæ potestatis, nonnisi subditi sunt: à Rege missi, ut Petrus loquitur. Non prædico Euangelium armatum; quod de Beza vere dixit Ronsardus. Non obedientia tantum, sed & honos & reverentia illis debetur; etiam σκολιοῖς τί μή; ἄρχοντές εἰσιν, ait Sophocles. At Paulus Apostolica gravitate: *Dei sunt ministri.* Actiones autem dubiæ etiam privatorum, in meliorem partem interpretandæ sunt ex dilectionis regula, quanto magis regum, qui actuum suorum rationem nec reddere cuiquam tenentur, & sæpe sine periculo publicæ rei non possunt. Quod dixi, nemo non contra facit, etiam apud poëtam, unde desumptum est, manifestam habet ὑπερβολὴν, & apud me eo evidentiorem, quia bonos esse, sed paucos sum prælocutus. Cur autem indefinita illa Frontonis elocutio universim sumi debeat, causas dicam: quia me contumeliose tractat, quod de Antichristo non secum sentiam: quod facere non debuit, si credidit esse alios bonos, qui aliter sentirent: deinde quia preces, quibus usi sunt qui Reformatos se

tos se dicunt, Rupellæ & alibi editæ, conceptæ sunt contra Turcas, Iudæos, Papistas & alios infideles. ita enim habent verba: Debuitne viris bonis dari talis comitatus? Ego verò Frontoni regem suum infensum facere adeò non volui, ut nihil agam impensius, quam ut eum & alios istius gregis reducam bonis legibus in Regis gratiam. Quod si Fronto ideo quod & in Gallia & extra Galliam paci studuit, abest à suis, doleo, & ei res opto secundiores. adjutem etiam eum, si possim.

AD ARTICVLVM XV.

Neque decreta Pontificum Galliam obligare censentur, nisi quæ recepta sunt: neq; rescripta, quæ aut statum publicum, aut canones receptos lædunt. Idem in regnis aliis observatur. Quod si non in ipsis Ecclesiæ Gallicanę libertatibus, sed in iis qui parum circumspecte id argumentum tractarunt, sunt quædam quæ Ecclesiasticis displicent; at ea temperamenta attulit in Gallia Petrus de Marca Navarreni Parlamenti Præses: in Hispania Salgasius de Somoza & alii, quæ & Regibus & Episcopis satisfaciant. De localibus constitutionibus quod dixi, præterit D. Rivetus: & tamen est & in eo aliquid utile ad sedandos animorum motus.

Dixi in Annotatis meis ad finem libri primi de Iure Belli ac Pacis, Canones qui Clericos ab armis arcent, multo melius in Oriente quam in Occidente ſervatos. Verum id eſt, & de illis & de aliis Canonibus: quia diſpenſationes notæ ibi non ſunt, niſi in paucis & exiguis rebus. Multis jam malo ceſſit iſta ἀπροσωποληψία. & ſi in eorum bellorum, quibus tam diu vaſtatur Europa, cauſas inquirimus, inveniemus hoc incendium maxime ab iis qui pacis præcones eſſe debuerant, excitatum. Per Galliam verò bella civilia plurima, ab iis qui ſe miniſtros Euangelii vocant, concita fuiſſe, non aliis teſtibus validius affirmem, quam & Regum & procerum, & populi recente memoria, ac plurimis literis de eo querentibus, tum Ducis Bulionii, tum Mornæi Pleſſiaci: præterea ipſis commentariis, quos de poſtremis bellis ſcripſit Dux Rohanius. Cameronem tamen excipio, qui ſemper ſenſit aliter, & ob id dura paſſus eſt. Si qui fuere ei ſimiles, & eos laudo: alii quietos ſe continuére, quia in illis locis erant, ubi movere nihil poterant. Adverſæ partis peccata hos non excuſant. Et Boucherii liber totus confu-

tus

tus est ex dictis Iunii Bruti, Buchanani, Hottomanni. Vidimus rem prodigiosam, sub Ecclesiarum Reformatarum nomine conscriptas turmas & cohortes, contractas machinas ac arma. Vnde hæc potestas, è cœlo, an ex terra? Ego vero qui non tantum subditos ab armis arceo, sed & Reges velim data sibi potestate quam parcissimè uti, qui feliciores puto eos qui damnati sunt ad remos, quam qui ad bellum immortale, gaudeo pacem esse factam inter fortissimas gentes Suedicam & Polonam: nec aliud utrique suadere possum melius, quam ut eam faciant perpetuam. Idem & aliis opto populis: sed vix dicere audeo: adeo id est periculosum. In cæteris quoque rebus me Reginæ & Rectoribus Suediæ, quæ nunc mihi patria est, satisfacturum, Deo dirigente, confido. Paræo Theologo, quia calumniam impactam dicit D. Rivetus, & eam à filio detersam, cogit me & veneranda mihi memoria Iacobi sapientissimi Britanniarum Regis, qui librum illum carnificis manu jussit exuri; & honos is quem debeo Scholæ Oxonienſi, quæ tanto ante prævidit eas quas nunc Britannia sentit calamitates inde orituras; & metus ne pessima illa doctrina longius gliscat; rem totam ut

ſe habet oſtendere Regibus Regumque conſiliariis, & Eccleſiæ paſtoribus: his ut ſibi ab iſto veneno caveant: illis ut non cavantes acriter cuſtodiant.

Decretum Vniverſitatis Oxonienſis, damnans propoſitiones infraſcriptas.

Ad honorem ſanctæ & individuæ Trinitatis, & ad Catholicæ & Orthodoxæ doctrinæ veritatem in Eccleſia conſervandam: necnon ut Regia Majeſtas, non ab hoſtibus ſolum, ſed & errorum inſidiis, ſarta tecta maneat: frequenti convocationis ſenatu, die Martis, videlicet viceſimo quinto die menſis Iunii, anno Domini ɔIↃ IↃ XXII habito, Vicecancellarius, Doctores, Procuratores, Magiſtri regentes, & non regentes, more & loco conſuetis convocati, unanimi conſenſu & aſſenſu ſuper quibuſdam propoſitionibus, non ſolum divino Canoni, decretis Conciliorum, ſcriptis Patrum, & primitivæ Eccleſiæ fidei, & profeſſioni, ſed monarchico culmini ſubdole ruinam minitantibus, decreverunt in formulam ſubſequentem.

Propoſitio I. Epiſcopi & Paſtores Magiſtratus ſuos impios aut injuſtos, ſi contumaces ſint, poſſunt & debent de conſenſu Eccleſiæ, Satanæ tradere donec reſipiſcant.

Cenſura. Hæc propoſitio eſt erronea, impia, & ſanæ politiæ ſubverſiva.

Propoſitio II. Subditi non privati, ſed in Magiſtratu inferiori conſtituti adverſus ſuperiorem Magiſtratum ſe & Rempublicam & Eccleſiam, ſeu veram religionem etiam armis defendere

defendere jure poſſunt: his poſitis conditionibus.

1. Cum ſuperior Magiſtratus degenerat in tyrannum.

2. Aut ad manifeſtam idololatriam atque blaſphemias ipſos vel ſubditos ſuos vult cogere.

3. Cum ipſis atrox infertur injuria.

4. Si aliter incolumes fortunis, vita, conſcientia eſſe non poſſint.

5. Ne prætextu Religionis aut juſtitiæ ſua quærant.

6. Servata ſemper ἐπιεικείᾳ, & moderamine inculpatæ tutelæ, juxta leges.

Cenſura. Hæc propoſitio eſt falſa, ſeditioſa, & callide reſtringitur ad conditiones annexas, ſub quibus latente ſerpentino dolo, quilibet ſeditioſus facile ſe expedire poteſt.

Propoſitio III. Subditis mere privatis, ſine legitima vocatione, neque ad invadendum tyrannos ante periculum, neque ad defendendum ſe contra eos in periculo, neque ad vindicandum ſe poſt periculum, arma capeſſere licet, ſi ab ordinaria poteſtate defendi poſſint.

Cenſura. Hæc propoſitio ſupponit falſa, & eſt inſidioſa & ſeditioſa.

Propoſitio IV. Subditis mere privatis, ſi tyrannus tanquam latro, aut ſtuprator, in ipſos faciat impetum, & ipſi nec poteſtatem ordinariam implorare, nec alia ratione effugere periculum poſſint, in præſenti periculo ſe & ſuos contra tyrannum, ſicut contra privatum graſſatorem, defendere licet.

Censura. Hæc propositio est falsa, periculosa, impia.

Has & similes Propositiones à quocunque scriptore defendantur, ut falsas, impias, & seditiosas condemnat Vniversitas Oxoniensis: nec non docet ac defendit secundum Canonem sacrarum literarum, subditos nullo modo vi & armis Regi vel Principi suo resistere debere, nec illis arma vel offensiva vel defensiva, in causa Religionis, vel alia in re quacunque, contra Regem vel Principem suum capessere licere.

2. Deinde celebris cœtus convocationis Doctorum, Magistrorum regentium & non regentium, unanimi consensu decrevit, ut singuli Doctores & Magistri universitatis Oxonienſis, una cum Baccalaureis in Iurisprudentia & Medicina, subscriberent censuris & decretis prædictis.

3. Et ulterius celebris ille cœtus convocationis Doctorum, Magistrorum regentium & non regentium decrevit, quod singuli ad grădus in quacunque facultate promovendi, ante admissionem primo subscribant veritati harum censurarum: deinde eodem tempore suscipiant juramentum corporale, se non solum propositiones prædictas ex animo condemnare & detestari, sed etiam condemnaturos & detestaturos in perpetuum.

Forma juramenti sequitur in hæc verba.

Tu jurabis te ex animo & bona fide consentire decreto convocationis habitæ die Martis, videlicet XXV Iunii anno Domini CIↃ IↃ C XXII super quibusdam propositionibus falsis, seditiosis, impiis, & ibidem damnatis, & quod nullam prædi-

prædictarum concluſionum, earumve ſententiam docebis, defendes, vel tenebis publice, vel occulte, neque aliquem hujuſmodi doctorem vel defenſorem ope, conſilio vel favore juvabis, ſed quantum in te eſt impedies. Ita te Deus adjuvet, tactis ſacroſanctis Dei Euangeliis.

Liber Commentariorum Davidis Paræi in epiſtolam S. Pauli ad Romanos, in quo omnes prædictæ, falſæ, impiæ, & ſeditioſæ propoſitiones ab ipſo Paræo proponuntur & defenduntur, die Iovis, videlicet ſexto die menſis Iunii, anno Domini CIↃ IↃ C XXII in ſolenni conventu omnium Doctorum, Præfectorum Collegiorum & Aularum, necnon Præfectorum publicorum, dictæ Vniverſitatis Oxoniæ auctoritate combuſtus fuit.

Si tot iſtæ Parææ exceptiones, id eſt, regulæ Paulinæ everſiones admittantur, dico, nullum imperium diutius in tuto fore, quam donec talia ſentientibus vires defuerint. At quia non ſatis eſt malum noſci, niſi noſcantur & mali fontes, eos quoque, quantum mihi in eorum myſteria penetrare licuit, aperiam. Ita ergo ſentiunt: ubique inter Deum, Regem & Populum fedus quoddam intercedere, ea lege, ut ſi Rex à Deo deficiat, liceat & populo à Rege deficere. A Deo autem omnino cenſent deficere, primum eos qui Papæ in Eccleſia primatū agnoſcunt: eos enim ipſo jure excidiſſe ea poteſtate quam beſtiæ tradiderunt: deinde eos qui ullas conciliaturas moliuntur cum Eccleſia illa, quæ Romanæ Eccleſiæ cohæret, id eſt, cum ſynagoga Satanæ, ut ipſis loqui libet: poſtremum & eos qui aliquid retinent illorum rituum, quales non in Anglia tantum, ſed & in regnis

ad Septentrionem retinentur: esse enim illa tomnia Papistica, ac proinde idololatrica. Alerum hoc est: scriptum in Apocalypsi: *Reddite Babyloni duplum*: Eam Babylonem esse Ecclesiam illam quæ Sedi Romanæ connexa est. Hic vero habere fideles singulos mandatum divinum, evellendi altaria, & Sanctorum imagines, auferendi omnem illum cultum, simul cum suis cultoribus. aliter enim neque exscindi posse Babylonem, neque duplum illud reddi. Maledictos autem esse eos qui faciunt hoc opus Domini negligenter. Tertium est, quod in Daniele dicunt se legere, omnes omnino Reges ac Principes servire debere populo sanctorum Altissimi, id est, populo Reformato. id vero ita esse evidenter scriptum, ut cæcos esse oporteat qui id non videant. Addunt nonnulli, omnia jure pertinere ad Electos, cæteros esse prædones. Electos autem semet esse ponunt extra controversiam: quia Christus pro illis singulatim sit mortuus, ejusque rei ideo certi sint, quia id credant, sive quia beneficium illud fide apprehendant. Hæ nugæ quidem sunt, sed quæ seria ducunt in mala. Quia vero dicit D. Rivetus nolle se quæ in Batavis acta sunt repetere: alii vero ea nuper repetivere, cum atrocibus in eos, qui tum in republica fuere, contumeliis: cogor hic aliquid de ea re loqui, non quod refricare velim vulnus, cui tempus obducere debuit cicatricem, nec quod de mea fortuna quicquam querar: (Vos enim cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum) Sed ut judicet æqua posteritas, penes utros seditionis culpa fuerit, penes Reipublicæ rectores, an penes Ecclesiarum ministros. Non repetam quæ in Apologetico à

co à me ſcripto atque edito, tum Latino, tum Batavico ſermone dicta ſunt. Sed inſeram hic publica aliquot Acta.

Promiſſum Indemnitatis ab Ordine Rotterodamenſi.

Nos Burgimagiſtri, Conſiliarii ac Decuriones urbis Rotterodamenſis, omnibus hæc viſuris ſignificamus. Cum aliquo jam tempore res multæ evenerint, ac tentatæ ſint in Hollandia ac Weſtfriſia, directe pugnantes cum poteſtate ſumma, & auctoritate ſublimium ac potentium Ordinum dictarum terrarum, oppidorum, partiumque ad eas pertinentium, neque minus cum fedære, pactis conventis, & contractibus factis inter nationes federatas; neque tamen ea emendata fuerint, ut oportebat: imo, quod his pejus eſt, rumores ſerantur qui Hollandiæ & Weſtfriſiæ boniſque civitatibus ad eas pertinentibus, vim minentur; ſitque opus ut conatibus iſtis obviam eatur honeſtis rationibus, ad tuenda terrarum, civitatum, partiumque aliarum jura, & ut auctoritate publica obſiſtatur iis, qui dicta jura ac pacta imminutum eunt. Propterea nos Burgimagiſtri, Conſiliarii ac Decuriones hujus civitatis nomine, jus ac poteſtatem damus legatis noſtris, qui ad futurum conventum Ordinum miſſi ſunt, aut mittentur, ut cum Nobilitate & aliarum bonarum urbium legatis deliberent, conſilia capiant, certique aliquid conſtituant de iis rationibus, per quas molitiones iſtæ jam factæ futuræve coërceri poſſint: eaque conſtituta idoneis modis effectadent, ad defendenda terrarum, civitatum, par-

tiumque libertatem ac jura, conservandaque jam dicta federa ac pacta: utque prospiciant & caveant alii aliis, promissa ope & auxilio & indemnitate, prout necessarium æquumve judicabitur: in summa, omnia ea faciant quæ nos præsentes facere possemus. Spondemus vero nos, quicquid legati nostri in isto negotio deliberabunt, decernent, & effectum dabunt, nos id probum, firmum, ratumque habituros: nihil contra facturos, fierive passuros, ullo tempore. Quod si accidat, ut nostrorum legatorum quisquam hanc ob rem, aut ob orationes, postulata, consilia, decreta, quæ nostro nomine in conventu Ordinum capient facientve, vi aut juris specie, in his terris aut extra eas ullo tēpore molestetur, inquietetur, damnove afficiatur in corpore, rebus, statu aut dignitate, id in nos recipimus nos demturos, viisque idoneis reparaturos, & in integrum restituturos: perindeque omnino habituros quasi contra rempublicam bonumque civitatis hujus factum esset. In ejus rei documentum sigillum, quo ad civitatis negotia utimur, sub hoc acto impressum est XIV Maji CIↃ IↃ CXVIII.

Ex Actis Rotterodamensibus.

Convenit Ordo 3 Sept. anni CIↃ IↃC XVIII, absentibus Wilhelmo Hugonis, Drilio, Bontio, & adsessore Hugone Grotio.

PRINCIPI ARAVSIONENSI

Significant Burgimagistri, Consiliarii ac Decuriones urbis Rotterodamensis, cum summo dolore à se intellectum D. Hugonem Grotium Consiliarium & Adsessorem hujus civitatis, cum lagæ esset in conventu Ordinum Hollandiæ

&

& Weſtfriſiæ xxix Auguſti, juſſu Ordinum Federatorum in cuſtodiam datum, & in ea cuſtodia eum etiamnum detineri: cumque is ad eum cõventum ierit, ipſorum juſſu, ac proinde membrum ſit dicti conventus Hollandiæ ac Weſtfriſiæ, ideoque ei (quod reverenter dictum ſit) per veteres ac laudabiles libertates ac conſuetudines dictarum terrarum non potuerit durante conventu manus injici: Præterea cum ipſi ſumme egeant ope atque conſilio dicti Grotii, in multis magniſque hujus civitatis negotiis, in quibus ille operam poſuit antehac: ob id dicti Burgimagiſtri, Conſiliarii, Decuriones antedicti Excellentiam Tuam obnixe orant, ut ipſe, tamquam Gubernator & Præfectus terrarum Hollandiæ & Weſtfriſiæ, apud Ordines Federatos intercedat, auctoritatemque ſuam interponat, ut dictus D. Grotius ab ante memorata cuſtodia liberetur, reponaturque in ſtatum in quo fuerat ante hanc creditam ei legationem: ſpondentes ſe dictum Grotium in civitate Rotterodamenſi domi ſuæ aut alibi cuſtodituros, facturoſque ut ſe defendat de iis quæ Ordines Federati ei objicere volent, ita ut æquum erit. Id ſi fiat, orabunt ipſi Deum omnipotentem, ut bonitatis ſuæ dona largiter effundens, ſervet illuſtriſſimam Perſonam Tuam, in diuturna & bona valetudine, ad ſublimitatem harum terrarum ſervandam, augendamque.

Paribus omnium ſententiis judicata eſt hæc poſtulatio bene concepta, ideoque Principi exhibenda, injunctumque id negotium Burgimagiſtrorum uni, Bailivo Muylwyckio, Verzydio, Hartichveldio, Straetzio.

Convenit Ordo x Septembri CIↃIↃCXVIII, præsentibus omnibus, excepto Wilhelmo Hugonis, Drilio, Hartichveldio & Adsessore.

In hoc Conventu relatio facta est eorum, qui cum postulato missi fuerant ad Principem Mauritium: ut ab ipso peterent liberationem D. Hugonis Grotii Adsessoris hujus civitatis, secundum mandatum in antecedenti Conventu datum. Paribus sententiis placuit, ut hujus Conventus legati ad Conventum Hollandiæ id urgeant, ut tres qui capti sunt judicentur secundum privilegia & contractus harum terrarum.

XXIX Augusti, cùm in Conventu Ordinum Federatorum renuntiatum esset de tribus captis, Hollandi dixere supra modum se mirari hanc agendi rationem sine suo consensu, & contra morem arrepta jurisdictione: se suis mandatoribus renuntiaturos, ut intelligant quid illi hac de re judicaturi sint, & quid in hac re fieri ipsis sit placiturum.

Ex Actis Ordinum Hollandiæ, post mutationem Magistratuum.

Nobiles & Civitates Hollandiæ & Westfrisiæ, Ordinum ritu congregati, benè expenso præsenti statu publicorum negotiorum, ac peculiariter gnari ab aliquot annis in his terris Hollandiæ & Westfrisiæ, non tantùm inter cives, sed & inter DD. Nobiles & Civitatum Magistratus evenisse diffidia ac dissensiones, quæ factiones manifestas & mala alia potuissent producere: ni in tempore itum esset obviam. Quapropter Princeps Arausionensis Gubernator dictarum

ctarum terrarum, in animum induxit omnibus modis laborare ad quietis priſtinæ, & concordiæ reſtitutionem, & ad removenda illarum rerum impedimenta, tam inter Nobiles quàm inter Civitatum Rectores; eademque cauſa fine anni præcedentis profectus ad complures civitates ſeriò admonuit Decuriones; tandemque ad prævertendam eam quæ metuebatur regiminis perturbationem, diſponendoſque Rectorum animos ad meliorem quàm antehac concordiam, neceſſarium judicavit miſſionem dare quibuſdam Burgimagiſtris, Scabinis & Decurionibus, & in eorum locum ſurrogare alios cives, & eorundem locorum inhabitatores, hoc animo, ut hoc facto non laederentur jura, privilegia, & immunitates terræ, civitatumque ſingularum: neque verò per hanc dimiſſionem, dimiſſi damnum paterentur famæ, honoris atque exiſtimationis: nec quicquam Princeps in hoc propoſitum ſibi haberet aliud quàm bonum & concordiam publicam: ob id judicarunt, & communi poſt deliberationem conſenſu ex plena poteſtate declararunt, Principem hac in re non minùs quàm in aliis antecedentibus, oſtendiſſe, contemtis multis periculis & difficultatibus, ſuum amorem ſincerum, curamque & fidem erga dictas terras Hollandiæ & Weſtfriſiæ: quamobrem ipſi gratias agunt Excellentiæ ipſius, neque tantùm approbant ratamque habent mutationem & inſtitutionem dictorum Magiſtratuum diverſis temporibus factam, ſed & promittunt, ſeque obligant, ſe illos Magiſtratus agnituros, ac facturos ut agnoſcantur, defenſuroſque omnibus modis ac viis, & univerſos & ſingulos in ſuo legitimo regimine & auctoritate.

Vo-

Voluntque ut omnes qui in his terris habitant eos pari modo agnoſcant, iiſque obediant: ni id faxint, puniendi velut pacis publicæ perturbatores: tenebunturque omnes officia habentes civilia, juridica aut militaria in id manum vireſque commodare. Rogaturque Princeps in id ipſum uti ſua auctoritate, & dignitatibus eminentibus: & ſi is poſthac ex uſu judicaverit amplius proſpicere tranquillitati & quieti civitatum aliquarum, aut in rebus aliis, ipſi hoc ratum habebunt, atque in eo ſuæ Excellentiæ bono propoſito opitulabuntur. Intelligunt nihilominus ſecundum declarationem à Principe factam, nihil per hoc derogari aut imminui de federibus, privilegiis, libertatibus & jure tum communi terræ totius, tum peculiari civitatum & inhabitantium: neque lædi ullo modo honorem bonamque exiſtimationem cujuſquam ex inhabitantibus: ſed valitura antedicta, & locum habitura ſine ullo præjudicio tum publico tum privato, quia publicum bonum & terræ tranquillitas id exigit. Factum Hagæ XVI Novembris, M DC XVIII.

Teſtimonium.

Nos Scultetus, Burgimagiſtri, Scabini & Conſiliarii Vrbis Delfenſis in Hollandia, Certos omnes facimus rei veræ, nempe paruiſſe coram nobis D. Iuſtum Adrichemium, ejuſdem urbis Burgimagiſtrum, D. Eobaldum Duſſium, & D. Cornelium Bereſtenium Exburgimagiſtros, & D. Iohannem Camerlinum Conſiliarium ejuſdem urbis & Adſeſſorem; qui pariter & ſinguli, ogãte id D. Wilhelmo Grotio Advocato apud uriam Hollandiæ, pro fratre ſuo D. Hugone Grotio

Grotio Legato Reginæ Regnique Suedici in Gallia, declararunt, teſtatique ſunt, fide ejus juriſjurandi, quod in honorum adeptione dederunt, ſe tanquam legatos ab hac civitate, interfuiſſe Conventui Magnorum ac Potentum Ordinum Hollandiæ & Weſtfriſiæ, ei qui celebratus fuit ante Paſcha anni M DC XXII, ibique ſe audiiſſe legatos qui in eo Conventu civitatem Rotterodamenſem referebant, diſertè enuntiantes, dictum D. Hugonem Grotium, quo tempore obibat munus Adſeſſoris, & delegati Conſiliarii Ordinum Hollandiæ, ac nominatim anno M DC XVIII, non aliud propoſuiſſe, poſtulaſſe, feciſſe, quàm quod conveniret cum decretis Dominorum ſuorum Rectorum urbis Rotterodamenſis: ei quoque mandatum, illa ſuo loco proponere, & effecta dare, nec ulla in parte eum extra aut contra mandata feciſſe. Addidiſſe etiam, ſi ille in iſtis rebus peccavit, nos peccavimus. ita ſe teſtes ſervaret Deus. Et quia officium cujuſque eſt veritati teſtimoniū exhibere, præſertim ubi id rogatur, propterea nos Scultetus, Burgimagiſtri, Scabini, & Conſiliarii antedicti ſigillum ad cauſas hujus civitatis, ſubter hoc actum poni juſſimus. Actum XVI Ianuarii anni M DC XXXVII, ſubſcriptum: I. Ophovius: Habetque ſigillum impreſſum in cera viridi.

Hinc apparet nihil me feciſſe, niſi quod mandatū mihi fuit, ab iis qui mandandi jus habuere, qui ſunt Burgimagiſtri & Decuriones Rotterodamenſes primum: deinde Ordines Hollandiæ & Weſtfriſiæ. His enim fidem meam obligaveram, non autem Conventui Ordinum Federatorum, cui non jurant niſi milites caſtrenſes & nautici: idque adhibitis quibuſdam cautionibus.

bus. Et ſi quis noſtro tempore nummum oſtendiſſet, & quæſiiſſet, cujus hæc eſt imago? quilibet & doctus & indoctus reſponſurus fuit: Ordinum Hollandiæ. Ego omnes qui nunc in illis terris vivunt ſentio obedientiam, imò & ſi quid mali ipſis inferatur, patientiam, debere iis qui nunc ſunt oppidorum populorumque Rectoribus: ſunt enim in poſſeſſione imperii. Sed iidem Rectores non negabunt, eos qui noſtro tempore oppidis præfuêre, nominatos & lectos fuiſſe ſecundum leges communes & oppidorum proprias: qui ſi nunc viverent, & regimen quod habuere obtinerent, me non tantùm abſolverent, ſed & honorarent. Iidem omnes uno conſenſu dicerent, quod & nunc legum gnaros & amantes dicturos puto, judices legitimos civis Rotterodamenſis, qualis ego eram, non alios eſſe quàm Scabinos Rotterodamenſes. Quàm verò ipſe agendi modus in nos inſtitutus contra leges fuerit, partim antehac oſtendi, partim apertius fiet, ſi unquam univerſa Acta edantur: quod pervelim. Sævitiam Neronis per hujuſmodi imagines illuſiſſe dixit olim Tacitus: & is tamen juſſit, non ſpectavit. Propoſitum noſtrum quod attinet, eos qui tum erant Rectores in legitima illa poſſeſſione defendere voluimus: Eccleſiarum miniſtri contra effecêre, ut compluribus in oppidis ii per ſeditionem dejicerentur: & quod ibi cœptum erat per ſeditionem, id poſtea ubique factum eſt per vim majorem, id eſt per arma, quorum fides illis ipſis Rectoribus erat obſtricta. Hoc ſicut anno M DC XVIII in aliis oppidis factum eſt, ita & Amſtelodami: nec id ſatis. Sed decimo aut paulò ampliùs poſt anno, paria in ea urbe moliti ſunt Eccleſiæ, ut vocantur,

tur, miniſtri. norunt id ipſi Magiſtratus, quorum conſcientia mihi ſufficit. Tum vero ſuper vi jurisjurandi, quo cives Magiſtratibus obligantur, interpretationem Politicorum & Iuriſconſultorum eſſe arbitror, non Theologorum, quamquam & de eo reſpondendi partes ſibi Lugdunenſes Theologi ſumſerint. Eas autem conſultationes comparatas fuiſſe ad plebem commovendam, nemo prudens eſt qui neſciat. Evaſere hoc periculum viri optimi. purgamentis quibuſdam luſtrata eſt Vrbs, dataque opera, ut poſthac tranquilliora ingenia in presbyterium admitterentur. Eos qui nunc ſunt non accuſo: ne eos quidem omnes, qui illis quæ indicavi temporibus in presbyterio fuerant. In rem, non in perſonam ſcripta eſt mea actio: ut & quod de bonis Eccleſiaſticis benè impendendis monui. Qui à me numquam nominatus de illis ſe defendit, & in me velut de plauſtro exſpuit convitia, eum ego ſeditionis non accuſo, ſed moneo ne ſemet ipſe traducat, ne qui Latinè non didicit, Latinè ſcribat, talis ſcilicet, ut ab amico monitus primam ſyllabam in voce *legendum* eſſe brevem, id ita mutaverit, ut gerundium nobis ſubſtituerit fœmininum: qui vocem *elixerit* neſcio unde nobis elicuit: Eum dico quem volumina ſcripſiſſe viginti nemo ſciret, niſi ipſe id omnibus prædicaret: qui ætatem inſuper ſuam tam benignè indicat, ne quis ignoret quanto tempore quàm parùm didicerit.

At multum fecit quòd Belgica verba Latinis
Miſcuit. ô ſeri ſtudiorum.

AD ARTICVLVM XVII.

Quod hic D. Rivetus pro me Deum precatur, ut me ab erroribus revocet, idem ego pro ipso precor, & quidem, ut arbitror, multo justius. Ego multos hic amicos habeo eruditos, qui sicubi mihi monstraverint, à vero me deflectere, ibunt gratiam, & invenient minime pertinacem.

AD ARTICVLVM XVIII.

Augustino an illa placuerit Prædestinatio, quam sub ejus nomine multi venditant, qui Reformatos se hoc vel maxime nomine nuncupant, video inter eruditos magnis voluminibus disputari. Certe si ea fuit illius sententia, eam neque Afris collegis suis, neque Episcopis Romanis persuasit. Apparet id & ex horum Epistolis, & illorum Actis, in quibus omnibus nulla ejus Prædestinationis mentio. Cælestinus autem Romæ Episcopus, cum Augustinum dixisset inter magistros optimos habitum, de Gratia quædam utiliter elocutus, addit profundiores & difficiliores partes intercurrentium quæstionum, neque audere se contemnere, neque necesse habere adstruere. Cæterum cum scribat

bat Prosper ad eundem Cælestinum, & sui & aliorum in Gallia collegarum nomine, quod retractatis priorum opinionibus, pene omnium par inveniatur, & una sententia, qua propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperint; alterum hinc duorum sequitur, aut non sensisse Augustinum quod illi dicunt, aut novam fuisse Augustini sententiam. Ego trium primorum sæculorum fide & in hac re & in aliis, contentus sum: quæ qualis in hac re fuerit, puto me diligenti lectione satis assecutum. Et ni id esset, poteram stare testibus Calvino & Beza. Balduinum Ismaëlem vocat idem ille Calvinus. At ego Bradwardinum quanto justius, qui totum mundum hæreseos accusat?

AD ARTICVLVM XIX.

Cum Deus homicidiis & adulteriis graves pœnas in sua lege constituerit, graviores etiam, & pro magnitudine scelerum, sit exacturus in altero sæculo: hinc infero, illa scelera non necessario sequi ex peccato originis. Nam si necessaria essent ejus peccati consequentia, jam nullam novam pœnam mererentur: sed ipsum tantum puniri deberet originale peccatum. Nam si quis sua culpa amens factus sit, & si per

vim illam amentiæ hominem verberaverit, in eo neque crimen commisit, neque pœnam meretur. Hoc eo pertinet, ne, quod multi faciunt, omnes nostras culpas in unum Adamum conferamus: sed agnoscamus multa libere peccari. Vocari per Euangelium nemo est meritus, nec meliores fuere qui vixere Christi & Apostolorum ævo, quam illi priorum temporum: sed potuere aliqui, puta ἀνθρωποθύται, ἀνθρωποφάγοι, & alii, ita contemnere naturales illas notitias à Deo datas, ut propterea commeriti fuerint carere communi beneficio. Et sæpe magis id merentur, qui nobis viderentur minus id commeriti, quia qualia dona spreverint solus Deus novit, solus recte æstimat. Habet ille judicii sui mensuram nobis incognitam. Nec aliud hic volo, quam quod ille laudatus mihi scriptor de vocatione gentium 11, 3, *Rei gestæ docemur exemplo, quod inter generalia vel promissa, vel opera, vel præcepta, quædam Deus à communibus excepta causis occultiore novit ordinare ratione.* Alibi hæc occulta divinæ justitiæ judicia vocat: & causis latentibus solos ait monstrari effectus. Sicut autem in populis valde corruptis fuere olim Melchisedecus, Iobus, Naaman, ita & nunc aliqui esse possunt Cornelio non dissimiles, sive ex reliquiis

quiis antiquæ traditionis non plane exſtinctis, ſive ex alio ſuperno ſemine. Hi pertinent, ut idem ille ſcriptor dicit, ad illam Gratiæ partem, quæ ſemper univerſis eſt impenſa nationibus. Fuerunt, inquit, ac ſunt hujuſmodi dona ita generalia, ut per ipſorum teſtimonia ad quærendum verum Deum poſſent homines adjuvari. Addit alibi, noſſe Deum dona generalia ſpecialibus cumulare muneribus.

AD ARTICVLVM XXI.

Non negavi ego tum in honore Sanctorum, tum in uſu Imaginum modum à multis excedi: neque ab omnibus ſatis intelligi quid ſibi in utroque propoſitum habuerit Synodus Tridentina: quare cogitandum ſubjeceram, an non ad evitanda hujuſmodi pericula, eſſet utile, preces, ut in Miſſa fit, ad Deum dirigi, eumque orari ut etiam Sanctorum preces pro nobis gratas habeat, quod & Melanchthonem ſuaſiſſe video: deinde, an non pro ſimulacris rectius foret poni tabulas, hiſtoriam aliquam piam continentes, quales illæ erant, quarum in Caſſiani paſſione apud Prudentium eſt mentio. Quia vero his non contentus D. Rivetus, graviſſimi criminis accuſat Chryſoſtomum, Auguſtinum, & alios,

qui preces ſuas ad Sanctos etiam direxere: ac præterea dure judicat de iis, qui in locis ſacris imagines exſtantes habent: lectorem rogo primum, ut in hac diſquiſitione voces abjiciat ambiguas, quales ſunt, invocationis, adorationis, cultus, honoris religioſi, quæ aliter atque aliter acceptæ turbant animos, & rixas ſerunt. Deinde, ut & in rebus ipſis diſtinguat ea quæ per ſe ſunt media, ab illicitis. Paulus in Epiſtolis ſæpe orat fideles abſentes ut pro ſe orent: neque tamen certus erat perventuras ad illos epiſtolas ſuas: ſed videbat etiamſi id non eveniret, nihil ſibi in eo periturum. Idem & nunc pii faciunt, non tam ex præcepto, quam ex inſtinctu quodam naturali. Cur non idem fieri poſſit ad eos, qui ex hac vita exceſſere, nihil cauſæ poteſt adferri, niſi pro certo ponamus, ad eos noſtrarum precum, illarum dico publice pronuntiatarum, notitiam nullam pervenire. Video eſſe qui ita ſentiant. Verum & hoc video aliter ſenſiſſe veteres, & cauſas habuiſſe cur aliter ſentirent. Multo tempore poſtquam è rebus humanis abierat Elias, allatæ ſunt ejus literæ ad Regem Ioramum 11 Paralipom. XXI, 12. in qua hiſtoria Ioſephus: κομίζεται παρ' Ηλίου τοῦ Προφήτου ἐπιστολή: *adfertur ei epiſtola ab Elia Propheta*: nimirum ex illis locis,

locis, in quibus erat Elias: sic & LXX, παρὰ Ἡλίου τοῦ Προφήτου: nempe nequis putaret, eam olim scriptam ab Elia adhuc in terris agente, quod effugium non ita pridem repertum est. In Maccabaïco II, libro magnæ semper apud Christianos auctoritatis, refertur somnium, ut ibi dicitur, ἀξιόπιστον, dignum fide; apparuisse Iudæ Maccabæo Oniam vita functum, qui summus sacerdos fuerat, orantem pro populo Iudæorum tunc sane periclitante. Apparuisse & alterum, de quo Maccabæo dixerit Onias: Hic est qui multum orat pro populo universo & sancta civitate, Ieremias Propheta Dei: ab eodem Ieremia datum Maccabæo gladium aureum: ejus autem visi narratione mirifice excitatos fuisse omnium Iudæorum animos: atque inde consecutam admirabilē victoriam. Certe pios huic vitæ exemptos viventium cura tangi, ac pro eis Deum precari alte infixa fuit opinio Iudæorum animis; illis temporibus quibus ab idololatria longissime abfuere, id est, post Esdram ad hæc tempora. Iosephus Abrahamo parato ad mactandum filium, hunc tribuit sermonem: μετ' εὐχῶν δὲ καὶ ἱερουργίας ἐκείνου (τοῦ Θεοῦ) ψυχὴν τὴν σὴν προσδεξομένου καὶ παρ' αὐτῷ καθέζοντος, ἔσῃ τέ μοι εἰς κηδεμόνα καὶ γηροκόμον,

 διὸ

malè ab illis acceptam Græcorum ſententiam: qualia & nunc quotidie fieri, & inde alĭ diſſidia cum dolore conſpicimus. Hæc non eo dico quod non cupiam ea vitari, per quæ homines à creatore ad creaturas abducuntur, aut alioqui ad ſuperſtitionem inclinantur: ſed quod videam per exaggerationes immodicas facilius accendi odia, quam ad emendationem illam, quam & ſincere deſiderare, & omni ſtudio promovere debemus, quicquam profici. Mos reliquias ponendi ſub altari, non obſcure in id repertus, ut imprimeretur memoriæ id quod ad Martyrum honorem dicit Apocalypſis, ita antiquus eſt, ut ejus originem non ſit reperire. De eo ſenſum ex Auguſtino citavi, non verba. Ambroſius Gervaſii & Protaſii reliquias, Baſilicæ, quam conſecrabat, intulit. Vbi eas poſuit dicat quæſo D. Rivetus. Ego vero non aliter credere poſſum, quam ibi poſitas, ubi poni ſolitas mos inſecutus declarat: & populo optanti, ut & Romanam dedicaret, facturum ſe dixit, ſi reliquias Martyrum inveniſſet. Non igitur aliter jam tum illo tempore ſacræ ædes dedicabantur. Olim ſub altari victimario poni ſolebat victimarum ſanguis, & ſic Deus

rogari

rogari, ut ejus meminiſſet. In Novo Fedære ſucceſſit ejus in locum ſanguis melior Martyrum, cujus Deus rogatur ut meminerit, non ipſorum tantum, ſed & Eccleſiæ cauſa: ideo ſub altari poni dicitur. Hæc & ad Martyrum honorem, & ad alios ad martyrium excitandos egregia, qui irrident, longo alio ducuntur ſpiritu, quam illi ducebantur, qui martyrium adeo non fugiebant, armis oppoſitis, ut contra eum honorem, quo nullus major Chriſtiano poteſt obtingere, ſummis votis expeterent. Non obſtat ei interpretationi quam ad ſecundum præceptum attuli, quod de Cherubinis objicit D. Rivetus. Deus enim legibus ſuis poſitivis exceptiones addit quas vult. Et iſtæ ſpeciales exceptiones, quas extraordinaria præcepta vocat Tertullianus, generalitatem in cæteris firmant. Sic de lege vetiti homicidii privati, excipitur interfectio ejus, qui dux eſt ad novos cultus. Sic legis, ne ſacrificaretur niſi in uno loco, exceptiones habemus non paucas. Has addere legi domino legis licebat, non aliis, quamdiu manebat ea lex. Idola colere, id eſt falſos deos, aut etiam falſorum deorum imagines in eorum honorem, per ſe, & naturaliter illicitum eſſe bene intellexit Auguſtinus. Et

hoc

hoc in illo primo præcepto, cujus vis naturalis atque perpetua est, etiamsi illud secundum præceptum, aut, ut Augustinus existimavit, primi præcepti accessio addita non esset, satis continetur.

De utraque specie Sacramenti.

Cum Synodus Constantiensis Bohemis concesserit sacramenti sumtionem sub utroque symbolo, eo ipso apparet morem illum satis late receptum in Occidente, ut laici sub altero symbolo rem symboli utriusque sumerent, non haberi pro lege perpetua. Quare cum Græcos in Russia Polonica, imo & Romæ ad communionem suam admisit Papa, ut & Syros Maronitas, & gentes alias, relicta illis libertate dandi laicis sacramentum sub gemina specie, fecit hoc & sua auctoritate, & Concilii Vniversalis: cujus ego consensu malim rem talem obtinere sine schismate, quam cum schismate ex decreto aliquo peculiari. Quod vero defendit D. Rivetus, ubi vinum non est, posse ad consecrandum sumi hydromeli, in eo primum miror eum, qui Ecclesiæ Vniversali circa ætates hominum nihil juris dederat, nunc Ecclesiis particularibus dare jus materiam transsubstantiandi; cum

Catho-

Catholici ſentiant ſolam materiam in parte altera hujus Sacramenti eſſe γέννημα ἀμπέλου, fructum vitis, qua de re videri poteſt Thomas Aquinas & alii poſt eum, in Summæ parte tertia, quæſtione LXXIV, articulo V. Memini vero ego, apud me eſſe duos viros Proteſtantes valde eruditos, quorum alter ubi vini non eſſet copia, dicebat, plane abſtinendum à communione; alter vero ſumendum Sacramentum ſub ſola panis ſpecie. Sic & in Synodo Reformatos ſe dicentium celebrata Auguſtoriti Pictonum anno MDLXI, diſputatum eſt, an abſtemiis dandum eſſet ſub panis ſymbolo Sacramentum. Et ibi quidem dari placuit. Vidi ego qui ſentirent aliter. Quot capita, tot ſententiæ. Ideo in talibus ſtandum eſt ei quod in commune ſtatuitur. Alioqui pax iſta, cui ſymbola iſta ſerviunt, obtineri aut ſervari non poteſt. Illos vero miſeror, qui propter ſymbolum ſanguinis Chriſti, tantum ſanguinis per illum ſanguinem redemti amarunt effundere.

De unctione Infirmorum.

De Sacramenti voce diximus ſupra, vocem eſſe Eccleſiaſticam, in qua aut extendenda latius, aut adſtringenda arctius, jus

aliquod dandum sit Ecclesiæ. Mos ungendi infirmos, quin sit à primis temporibus, dubitari non potest: manſitque per omnes Ecclesias non interruptus ad tempora usque hujus diſſidii. Quis juſſit eum morem abrumpere? quis dixit olim profuiſſe, nunc non prodeſſe, etiam ad corporis ſanitatem? nam ne prima quidem ætate profuiſſe omnibus ſatis apparet. Alioqui non ægrotaſſent aut Paulus capite, aut ſtomacho Timotheus, aut toto corpore Trophimus, ut Græci Patres notant ad loca de illis infirmitatibus agentia. Addantur ergo unctioni preces disjunctivæ, ut aut Deus reddat ægrotanti ſuas vires per quas Deo ſerviat, aut, ſi id minus ex ipſius ſalute eſt, det vires animo, per quas hoc certamen conſummet. ita ceſſabunt omnia illa quæ objici ſolent.

De Cœlibatu Sacerdotum.

Si conſuluiſſet hiſtoriarum peritos, quales Lugduni in Batavis non pauci ſunt, facile ab illis diſcere potuit D. Rivetus, quod ignorat, nempe militibus non permiſſum legibus habere uxores, quæ ipſa ſunt verba Dionis libro LX. Hinc eſt quod Tacitus Annalium XIV veteranos ait, neque conjugiis ſuſcipiendis, neque alendis liberis ſuetos.

ſuetos. Et Tertullianus adverſus eos, qui matrimonio opus eſſe dicebant ad domos regendas: *Perierunt cœlibum familiæ, ſpadonum, militum, aut peregrinantium ſine uxoribus.* Locus hic eſt in exhortatione ad caſtitatem. Non minor fuit cauſa idem ſtatuendi Eccleſiæ in clericorum militia: neque ulla in hoc matrimonii ignominia. Epiſtola Syricii miror uti D. Rivetum, cum inter omnes eruditos conſtet eſſe eam ὑποβολιμαῖον, mercem non boni mercatoris. Quod dicit D. Rivetus illud, ἑνὸς ἀνδρὸς γεγονυῖαν, dici ad excludendas eas ſolas, quæ plures eodem tempore habebant maritos, nihil habet in ſe veri aut probabilis. Repugnant & verba, & uſus, & ratio. Apud omnes gentes ὁ δεύτερος γάμος ἀπευκταῖος, ut ait Plutarchus, male ominata res eſt nuptiæ ſecundæ. Apud Chriſtianos vero, ut ait Clemens Strom. IV, οὐ κεκώλυται πρὸς τοῦ νόμου. οὐ πληροῖ δὲ τῆς κατὰ τὸ εὐαγγέλιον πολιτείας τὴν κατ' ἐπίτασιν τελειότητα. *Non ſunt quidem lege prohibitæ, at non implent vitæ ejus quæ ſecundum Euangelium eſt, ſummam illam perfectionem.* Quod hic Paulo, γεγονυῖα ἑνὸς ἀνδρὸς, id Pauſaniæ, ἑνὸς ἀνδρὸς εἰς πεῖραν ἀφιγμένη, Valerio Maximo, quæ uno contenta matrimonio fuerat. Vniviras vocat Tertullianus, ſicut iterũ

 nuptas

nuptas biviras Varro. Cum autem apud omnes τοὺς ἔσω & τοὺς ἔξω tales viduę eſsẽt honoratiores, merito in ordine τῶν πρεσβυτίδων, ſive ἐν τῷ χηρικῷ, tales prælatæ cæteris. Oſtendit hoc Tertullianus ad uxorem, & exhortatione Caſtitatis, & de Monogamia: Chryſoſtomus vero ſermone de Virginitate, & ſecundo ad Viduam; & pluribus in locis, maxime vero ad Furiam Hieronymus. Vtrunque igitur verum eſt, & liberam à marito eſſe feminam, cujus mortuus eſt maritus, & eandem ſi alteri nubat, ad ſummum feminarum in Eccleſia gradum non poſſe pertingere. Non ſatis eſt illas eſſe ſine crimine: ſed debent ſuo exemplo docere feminas, nullum eſſe pudicitiæ gradum, quem non ſuſcipiat muliebre corpus. Iam vero æquum non fuit presbyteros ab illis feminis, quæ inter feminas præſidebant (dicebantur enim αἱ προκαθήμεναι) plus exigere quam ipſi præſtarent, aut in continentiæ laude eos cedere multis ethnicorum flaminibus, quorum mentio in pluribus Tertulliani locis. Idem eſt loquendi genus, μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ, quale trium reginarum maritus apud Suetonium. & quomodo τριάνωρ Helena, Theſeo jam mortuo. Verborum proprietati & ei quam dixi rationi, adſtipulatur traditio, fruſtrà id negante

gante D. Riveto. *Quantum obstrepant sanctitati nuptiæ secundæ, disciplina Ecclesiæ & præscriptio Apostoli declarat, cum digamos non sinit præsidere, cum viduam allegi in ordinẽ nisi univiram non concedit:* ait Tertullianus ad uxorem: qui & in libro de Monogamia eos qui in clero sunt, (non laïcos) monogamiæ jugo ab Apostolo adstrictos ait. Canonum Apostolicorum liber primi ævi consuetudines continet, in quibus est: ὁ δυσὶ γάμοις συμπλακεὶς μετὰ τὸ βάπτισμα ἢ παλλακὴν κτησάμενος οὐ δύναται εἶναι ἐπίσκοπος ἢ κληρικός. *Qui duabus nuptiis copulatus fuit post baptisma, aut qui concubinam habuerit, non potest esse episcopus aut clericus.* Arcetur deinde à clero, etiam ὁ γήραν λαβὼν, is qui viduam duxit; nimirum quia pro digamo habetur qui διγαμίᾳ causam dedit, viduam ad secundas nuptias incitans. Quod autem alicubi dicuntur digami ad ordines admissi, id aut contra Canones factum est, qualia multa passim fiunt contra leges, quæ legibus tamen non derogant; aut intelligendum de iis qui ante baptismum primo matrimonio exciderãt: quam exceptionem & Canon jam dictus nobis suggerit, & non uno in loco Hieronymus. Traditio quam dixi valet non in Occidente tantum, sed & in Græcia, Asia, Ægypto, Armenia, etiam

apud Christianos veteres Æthiopiæ & Indiæ: neque initium ejus aliud ostendi potest, quam ex Apostolico præscripto. Quod inter eos qui se Reformatos vocant, dixi non paucos veritatem hujus interpretationis agnoscere, id & scripta quorundam non ignotorum D. Riveto ostendunt, & multi viri eruditi mihi testati sunt. Non minus late sparsa, nec minus vetusta est traditio de ordinationibus: nempe ut presbyter non habeatur, nisi cui manus solenniter imposuerit ὁ ἐπίσκοπος, sive ὁ πρεσβύτερος, ita κατ' ἐξοχὴν dictus, neque Episcopus, nisi cui manus impositæ fuerint ab Episcopis pluribus: neque vero à qualibuscunque Episcopis, sed ab illis quorum census decurrat ad aliquem ab Apostolis ordinatum. Hæc lis non mea est, sed totius Ecclesiæ. Hæc successio custos est traditionis, ut nos docet Irenæus III, 2. Ex hac regula illegitimam functionem revincunt, Novati Cyprianus, Ischyræ Athanasius, Zacchæi Epiphanius, aliorum alii. His repagulis perruptis mera ubique facta sunt, & fient mapalia. Hieronymus epistola LXXXV, *Quid facit Episcopus, excepta ordinatione, quod Presbyter non faciat?* Chrysostomus ad 1 Timoth. de Episcopis: τῷ χειροτονίαν μόνην αὐτῶν ἀναβεβήκασι. *Solo ordinandi jure sunt*

sunt supra Presbyteros. Epiphanius ad hæresim LXXV, ab Episcopo patres ait generari, à Presbytero nonnisi filios. Vide inter Canones, qui dicuntur Apostolici, duos primos: & quod attinet ad successionem illam legitimam, ex qua Ecclesiæ legitimæ censebantur, Irenæum III, 3, & IV, 43. Tertullianum præscriptionibus adversus hæreticos & contra Marcionem IV. Cyprianus, *Habere aut tenere Ecclesiam nullo modo potest qui ordinatus in Ecclesia non est.* Qui plura hac de re scire volet, adeat M. Antonium de Dominis libro II, c. II. Non pugnat cum his quæ jam ex Tertulliano attulimus, idem Tertullianus, cum dicit etiam in tribus esse Ecclesiam. Nam & qui in locis solis jus sacerdotis aliquatenus (non enim plene) exercuerant, tenebantur quamprimum ordinationem accipere ab Episcopis, sicut fecit Frumentius. At vero quod tunc & rarum, & extraordinarium, & temporarium fuit, id nunc factum non modo frequens, sed & ordinarium atque perpetuum. Hinc tot illa nova agmina sine fine ac modo. Idem enim jus Actio quod Titio.

De Missâ.

Consensus Liturgiarum per omnia loca

ac tempora, in precibus illis, ut Deus dona per Spiritum ſuum ſanctificet, eaque faciat corpus & ſanguinem Chriſti, me dubitare non ſinit, venire hoc à prima Apoſtolorum inſtitutione. In novis autem Liturgiis eas non invenio. Vnde & quorſum iſta mutatio?

De ſolitariis Miſſis.

Quod in hac re non D. Rivetus tantũ, ſed & multi Catholici deſiderant, id ſi in Gallia aut alibi implere velint Epiſcopi, (quod facturos ſpero) poterunt ſe & more veteri, & Synodi Tridentinæ auctoritate defendere. Nec abs re erit etiam Reges orare, ne tutelam Eccleſiarum ſui regni, ſibi à Deo mandatã, in hac & in aliis rebus negligant.

De ſacrificio corporis & ſanguinis Chriſti.

Sacrificii vocem ego ſumſi ſicut Latine ſumitur. Scholaſticorum definitionibus non obligamur. Etiam in Latina verſione oblatio ex ſimilá dicitur ſacrificium, Levit. VI, 20. Etiam eleemoſynæ & jejunia & res ſimiles ſunt ſacræ actiones, & quidem externæ: ideoque cum fiunt ex fide in Chriſtum, ſunt ſacrificia Novi Federis, etiam talia per quæ Deus nobis redditur propitius. Nabuchodonoſor veri Dei cognitio-

gnitionem per Danielem acceperat, & de peccatis dolebat: & ſic novam quandam naturam induerat, ſed pro ratione illorum temporum. Preces pro mortuis quod dixi retinendas, ejus rei multas attuli cauſas quas breviter repetam. Traditiones quæ à Prophetarum & Eſdræ tempore in omni populo Iudaico valuerant, bonæ ſunt: talem autem eſſe traditionem precandi pro mortuis probavi, & ex Thalmudicæ formulæ vetuſtate, & ex Maccabaico ſecundo. Multum ab his traditionibus diſtant illæ Phariſæorum, quæ & recentes erant, & ortæ ab una populi ſecta. Alterum eſt, quod Chriſtus miſſus erat ad omnia ea corrigenda, quæ mendosè irrepſerant. multa autem cùm reprehendat, numquam reprehendit morem illum precandi pro mortuis. Tertium eſt, quod Tertullianus nos docet morem precandi pro mortuis, ſuo jam tempore per omnes Eccleſias receptum: quod teſtantur & Liturgiæ omnes, & qui poſt Tertullianum de rebus Chriſtianis ſcripſere: nec ullus invenitur alicujus auctoritatis ſcriptor, qui ei mori cõtradixerit: quod mihi quidem ſufficit. Neque vero obſcurum eſt quo tendant illæ preces: nam partim ſpectant diem judicii, ut ille pro Oneſiphoro, quem

jam tunc fuisse mortuum eo est probabilius, quia infra II Timoth. IV, 19, salutat Paulus Onesiphori familiam, non autem Onesiphorum. quod etiamsi non esset, tamen, ut dixi, par est in hac re ratio viventium & mortuorum, quia utrisq; judicium illud in futuro est: partim vero eo, ut nostris etiam precibus indulgeat Deus, & plus honoris Martyribus, & cæteris plus solatii. Addidi non credidisse veteres omnium fidelium animos illico in cœlum recipi: nam dicuntur esse ἐν ᾅδου, fatente etiam D. Riveto. & opponũtur inter se οὐρανὸς & ᾅδης Matth. XI, 23. Psal. CXXXIX, 8. Neque verò Iudæorum sermone, quem Christus, quo rectius intelligeretur, secutus est, Paradisus cœlum significabat, ut ad Luc. XXIII, 43, multis evicimus. Neque ita id nomen accepere Christiani veteres, sed pro loco amœnitatis, recipiendis Sanctorum spiritibus destinato, qualem Elysios campos Poetæ vocant. Ita enim in Apologetico Tertullianus. Idem de anima, omnem animã ait apud inferos sequestrari in diem Domini: quem statum refrigerii nomine appellat libro de Idololatria. Deinde poterat post mortem alibi esse, qui eo die vẽturus erat in paradisum. Dicam & illud, sed obiter, eum qui Lucæ λῃστὴς dicitur, non

fuisse

fuiſſe ex illo hominum genere, qui vulgo ſic appellari ſolent, ſed ex iis qui, ut nuper Rupellani, arma privata ceperant amore libertatis: qua in re, ante bene cognitam Euangelii doctrinam, non tantum erat, quantum nunc eſt, culpæ. Non obſtare illi de animarum receptaculis ſententiæ locum 11 Corinth. v, 1, apertum ſatis fecimus, verumque ejus ſenſum monſtravimus. Cui adſtruendo facit quod σκῆνος corpus noſtrum ſignificat apud Iudæos, ut apparet Sap. x, 15, & in libro Zoar: & apud Pythagoram, qui apud Iudæos vixit, Hermippo teſte. Ab eo enim id accepit Euriſus, qui ſic uſurpat, ut ad illum Sapientiæ locum oſtendemus. Idem autem eſt σκῆνος & οἰκοδομὴ, reſpondens utrumque Hebræo מעון. Tertullianus adverſus Marcionem IV, *Ingemore nos de iſto tabernaculo corporis terreni, quod de cœlo eſt ſuperinduí cupientes, ſiquidem & deſpoliati non inveniemur nudi, id eſt, recipiemus quo deſpoliati ſumus, id eſt corpus.* Sic & Chryſoſtomus: οἰκίαν ἐπίγειον ait τὸ σῶμα φαίλως αἰνίττεσθαι obſcure *corpus ſignificari* dixerim. Deinde: ad, τὸ οἰκητήριον ἡμῶν ait, ποῖον οἰκητήριον; εἰπέ μοι. τὸ σῶμα τὸ ἄφθαρτον. *Quale habitaculum? dic mihi: Corpus incorruptibile.* Photius: πολλὰ ἐν τοῖς ἄνω διεξῆλθε δεικνὺς τοὺς πειρα-

σμοὺς,

σμοὺς, καὶ τὸ σῶμα φθείρεσθαι, πρὸς ὠφέλειαν γινόμενον. νυνὶ τὸ πλέον λέγει, ὅτι καὶ ἡ παντελὴς ἔξω σώματος ἡμῶν φθορὰ, ἡ διὰ θανάτου, ὠφέλιμον. ἀπὸ γὰρ φθαρτοῦ, φησιν, ἄφθαρτον αὐτὸ λαμβάνομεν. ὅρα δὲ τῇ παραθέσει πόσην ἔδειξε τὴν διάφορον. τοῦτο ἐπίγειον, ἐκεῖνο ἐπουράνιον. *Multa in superioribus disserui, ut ostenderet & tentationes, & quæ corpori nocent, ad utilitatem nostram esse comparata: nunc etiam amplius dicit, etiam plenum illud corporis exitium, quod per mortem fit, utile nobis esse. nam pro corruptibili, inquit, incorruptibile accipiemus. Vide autem quantam comparando ostendat differentiam. Hoc terrestre, illud cœleste.* Sic & Theophylactus ad illud: τὸ οἰκητήριον, ait: ποῖον οἰκητήριον; τὸ σῶμα τὸ ἄφθαρτον. ἐξ οὐρανοῦ δέ φησιν αὐτὸ, οὐχ ὅτι ἄνωθεν κάτεισι, ἀλλ' ὅτι ἐκεῖθεν ἔχει ἐπεμπομένην τὴν τῆς ἀφθαρσίας χάριν. *Quale habitaculum? corpus incorruptibile. Ex cœlo autem id esse dicit, non quòd ex supernis locis descendat, sed quòd gratiam incorruptibilitatis inde demissam habeat.* Verum est, distingui mox à Chrysostomo duo beneficia, corpus à corruptione liberum accipere, & cum Christo esse, sed ut tempore conjuncta, & quod addit, *ad Dominum dimittit citò*, non potest nisi de resurrectione accipi, quia præcedit φθορᾶς σε ἀπαλλάττει καὶ βάρους, *Liberat te à corruptibilitate*

bilitate & gravi pondere. Sic & Theophylactus ad eundem locum : οὐκ εἶπε δὲ ἀφθαρσίας μετέχειν, ἀλλὰ τὸ κρεῖττον τὸ μετὰ κυρίου εἶναι. μεῖζον γὰρ τοῦτο τῆς ἀφθαρσίας. *Non dixit participes incorruptibilitatis, sed quod melius est, cum Domino esse. id enim melius ipsâ incorruptibilitate.* Quod vero ego dixi ita existimasse Paulum, non quidem certo fore, sed fieri posse ut se adhuc vivente superveniret supremus ille dies, id non ex hoc tantum loco, sicut oportet explicato, sed & ex illis, 1 Corinth. xv, 52. & 1 Thess. iv, 17. manifestissimum est, & agnovere Protestantium doctissimi. Cum Christo esse Philipp. i, 23. si Tertulliano & aliis credimus, non est aliud, quam quod spiritus noster à Domino in custodiam recipitur, tanquam carum depositum. Act. vii, 89. 11 Timoth. i, 12. Dicitur enim nobiscum esse id quod bene à nobis asservatur. Non autem exiguum in eo est lucrum, hujus mundi vexationibus eripi, &, ut Apocalypsis loquitur, xiv, 13, à laboribus suis requiescere. Quod si quis in hoc argumento suspensis incessit pedibus, is certè fuit Calvinus, tum in libro περὶ ψυχοπαννυχίας, tum alibi. Figunt alii audacius pedem, sed in lubrico, extra Scripturæ & certæ traditionis vias. Et hæc quidem de animarum

rum receptaculis ſobriè dicta ſufficiant. Purgationem illam ultimam animarum morte intercedente fieri, & dixit D. Rivetus, & probavit ex bonis ſcriptoribus: fieri autem in inſtanti Ariſtotelico dixit, non probavit. Ait Spiritus ſancti gratiam tarda neſcire molimina. Ego quomodo illa ultima purgatio fiat non dixi: Deus enim modum novit. Neque eſt quod D. Rivetus hac in re à Catholicis putet credi, omne id quod eſt aut in pictorum pergulis, aut in Dantis poemate. Græci in Synodo Florentina ſectione xxv ajunt animas illorum, qui nec impii fuere, nec planè juſtam duxere vitam, eſſe in loco purgatorio: ſed quomodo fiat iſta purgatio, non eſſe ſciri neceſſe. Verum in hac vita apparet Spiritus ſancti molimina ſuos per gradus procedere, nec peragi totum opus in Ariſtotelico, ut dixi, inſtanti. Sed quod hac in re D. Rivetus & cum eo alii credunt, venit ex juſtitia illa imputativa, quæ omnes eos qui credidere, tam qui pie, quàm qui flagitioſe vixerunt, inter ſe æquales reddere creditur. Cum multis non meis dictis, ſed veterum teſtimoniis appareat, morem fuiſſe primis temporibus, ut pro catechumeno, qui baptizatus non eſſet; baptizaretur alius baptiſmo vicario, certe non poteſt

test Pauli ille locus commodius exponi, quam eum Scaliger expoſuit. Nullam autem cauſam mos ille habere potuit aliam, quam ut ſic mortuus ille particeps fieret precum Eccleſiæ.

De Monachatu.

Vt vita μονάζουσα ſive ἀσκητικὴ & ipſis qui eam eligunt, & aliis fiat utilior, ad eam rem multa ſunt in Canonibus antiquis, & in regum capitularibus, quæ in uſum revocare non eſſet difficile. Et quo minus de eo deſperemus, facit quod quaſdam videmus ſocietates normam ſequentes ſane laudabilem. In Rechabitis & vita ſegrex in tentoriis, & à vino abſtinentia, partem habent de Monachorum vita : ſi illi laudati ab Ieremia, laudandi & hi. Eſſenos dixerat priore libro D. Rivetus novam eſſe ſectam, quia à Chriſto non nominentur. Ego oſtendi rem aliter ſe habere. Bene facit quod improvide dictum nunc deſerit. Nam & verum eſt ante Chriſtum eos fuiſſe, & fuiſſe in Iudæa ex Plinio & Ioſepho liquet. & cur eorum mentionem Chriſtus non faciat, cauſas attuli, quod inſtituta illorum eſſent pia, & quod ex illis maxime Chriſtus novum ſibi collegit populum. Et ſic optime conciliantur illa, quæ diſſidentes

tes ſuper hac re viri docti pro ſuâ quiſque ſententia attulere. Vitæ fortunarumque communitas, quæ apud Eſſenos & primos Chriſtianos fuit, poſtea à monachis inſtaurata eſt. talia neque culpanda neque irridenda ſunt.

De Canonicis.

Vt & presbyterorum vita ad bonam diſciplinam revocetur, facilè obtinebunt adjuti à Regibus Epiſcopi, ſi & ipſi exemplo præeant, & veteres Canones, quos nullus Papa improbare poteſt, in uſum reducant. Deus eis inſpiret hac mentem.

De Poteſtate Eccleſiaſtica.

Male hic mentem meam cepit D. Rivetus. Retributionem poſui ex parte Dei, non ex parte hominum. Retribuit Deus benè agentibus, ex promiſſo. Promiſit Deus veniam graviter lapſis, ſi pœnitentiam agant, & ab Eccleſia remedia ſuſcipiant. At non promiſit graviter lapſis tempus ad pœnitentiam. poſſunt enim in ipſis peccatis intercipi: quod multis evenit: neque promiſit omnibus cor contritum: alioqui nulli obdurarentur. Hæc terrere nos debent à criminibus. Terra proferens ſpinas & tribulos maledictioni eſt proxima.

Hebr.

Hebr. VI, 7. Alia est Novatianorum causa: in quibus ipsis non tam culpandum fuit desiderium disciplinæ severioris, quam quod ea quæ super lapsis consensu Ecclesiæ erant constituta, in prætextum sumerent secedendi ab Ecclesia, & novos faciendi cœtus. Noxia dogmata quæ ad Iacobum & in Appendice annotavi, ea ipsis verbis descripta sunt, partim ex illis Heroïbus quos in cœlum extulit Synodus Dordrechtana, partim ex iis qui pars Synodi fuere, partim ex iis qui Synodum sunt interpretati. Et magnum eorum acervum reperiet qui volet in syllabo inserto Actis Remonstrantium. Habet bene selecta etiam Eminentissimus Cardinalis Riceliacus libri sui contra Carentonianos capite VIII. Ego vero nihil malim quam ista bona fide damnari. multum enim id ad pacem prodesset. Desinat sane incessere novitas vetustatem: sed bene videamus ex qua parte sit novitas. Ex illis Ecclesiæ Romanæ familiis, quas hic designat D. Rivetus, multi quotidie sententias suas corrigunt: nec tamen eorum quisquam dixit fidelem quemque certum esse debere suæ prædestinationis, & condonari peccata, antequam fiant: neque in cæteris à se dissidentes damnant. Moses Amyraldus hoc

egit ut Calvinum vellet videri sanioren quam fuit. Sed verum est quod dixit Eminentissimus Cardinalis Riceliacus, non siquid alicubi melius Calvino extorsit veri vis, eo quæ ei objiciuntur dilui; sed hoc unum sequi, habuisse eum bona intervalla. Postquam vero illi qui cum Calvino sentiunt, etiam publico judicio damnarunt aliter sentientes, quæ potest pax esse nisi mutatis animis? Quam vero belle ab iis qui omnia reformasse se dicunt, observentur Canones, tum qui in sacris literis, tum qui in veterum libris & actis leguntur, de eo partim nunc diximus, partim dicemus alibi. Vno nunc contentus ero. Secundum Canones Apostolicos & Presbyteri erant perpetui & Diaconi, nec à munere amovebantur, nisi in pœnam criminis. Dicit Apostolus Diaconos bene ministrando bonum sibi gradum comparare, nempe ad presbyterium. Id fieri non poterat nisi manerent Diaconi, donec ad majorem gradum promoverentur. Nostra ætas Presbyteros & Diaconos reperit annales, biennes, triennes, pari audacia qua πρεσβύτους mensurnos. Tertulliani tempore adeo Catholicis ea erant nova, ut hac inter cæteras nota hæretici noscentur. Sic enim ille in præscriptione contra

tra hæreticos : *Nuſquam facilius proficitur quam in caſtris rebellium : ubi ipſum eſſe illic, promereri eſt. itaque alius hodie Epiſcopus, cras alius : hodie Diaconus qui cras Lector : hodie Preſbyter qui cras laïcus.*

De Canonicis Scripturis.

Qui Epiſtolam Iacobi rejecere, quidam etiam cum contumeliis, quarum unam ex libro edito recitavi, cauſas cur id facerent, habuerunt, ſed non probas : videbant illam ſuis obſtare placitis. ideo autem hoc monui, ut viderent omnes quam periculoſum ſit ab Eccleſiæ conſenſu recedere. Vere dixi non omnes libros qui ſunt in Hebræo Canone dictatos à Spiritu ſancto. Scriptos eſſe cum pio animi motu non nego. & hoc eſt quod judicavit Synagoga magna, cujus judicio in hac re ſtant Hebræi. Sed à Spiritu ſancto dictari hiſtorias nihil fuit opus. ſatis fuit ſcriptorem memoria valere circa res ſpectatas, aut diligentia in deſcribendis veterum commentariis. Vox quoque Spiritus ſancti ambigua eſt : nam aut ſignificat, quomodo ego accepi, afflatum divinum, qualem habuere tum Prophetæ ordinarii, tum interdum David & Daniel ; aut ſignificat pium motum, ſive facultatem impellentem ad loquendum

ſalutaria vivendi præcepta, vel res politicas & civiles, quomodo vocem Spiritus ſancti interpretatur Maimonides, ubi de ſcriptis illis aut hiſtoricis, aut moralibus agit. Si Lucas divino afflatu dictante ſua ſcripſiſſet, inde potius ſibi ſumſiſſet auctoritatem, ut Prophetæ faciunt, quam à teſtibus, quorum fidem eſt ſecutus. Sic in iis quę Paulum agentem vidit ſcribendis, nullo ipſi dictante afflatu opus. Quid ergo eſt cur Lucæ libri ſint Canonici? quia pie ac fideliter ſcriptos, & de rebus momenti ad ſalutem maximi, Eccleſia primorum temporum judicavit. Notetur etiam nullos libros à Synodo Tridentina receptos, qui non exſtent in codicibus Græcis: neque in Synodo Florentina hac in re diſſenſum inter Græcos & Latinos. Poni tamen poſſe inter eos qui ſemper, & eos qui non ſemper recepti fuere, aliquam dignitatis differentiam agnovimus. Locus II Timoth. III, 16, alium ſenſum habet quam putat D. Rivetus. Non enim hoc dicit Paulus, omnis ſcriptura eſt θεόπνευς@. quam multæ enim ſunt ſcripturæ humani ingenii? nec hoc vult, omnem eam quæ eſt θεόπνευς@ eſſe θεόπνευσον. Id enim eſſet nugari. Sed hoc vult, omnem ſcripturam, quæ à Deo inſpirata eſt (id eſt, λόγον

θεο-

προφητικὸν, ut loquitur Petrus 11,19.)non in hoc tantum valuiſſe ſuo tempore, ut oſtenderet Dei præſcientiam, & Prophetis auctoritatem daret, verum ſemper eſſe utilem, quia ſimul multa continet documenta perpetua, vitiorum reprehenſiones, excitamenta ad juſtitiam. Hunc ſenſum recte vidit Syrus ſic interpretans; *In Scriptura quæ per Spiritum ſcripta eſt, utilitas eſt ad doctrinam, & ad redargutionem, & ad correctionem, & ad eruditionem quæ eſt in juſtitia.*

De ſufficientia ſacræ Scripturæ, & auctoritate Traditionum.

Fatetur D. Rivetus tantum auctoritatis habuiſſe quæ dicerent Apoſtoli, nempe ut ſibi à Deo mandata, aut alioqui certo comperta, ſicut ego dixeram clarius quam D. Rivetus, quantum quæ ſcriberent: quo nihil verius. Iam vero non omnia quæ ſic dixere Apoſtoli fuiſſe perſcripta, teſtatur ipſe Paulus, cum obediti vult iis quæ docuerat, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam, 11 Theſſal. 11,15. ad quem locum Chryſoſtomus: ἐνταῦθεν δῆλον ὅτι οὐ πάντα δι' ἐπιστολῆς παρεδίδοσαν, ἀλλὰ πολλὰ καὶ ἀγράφως. ὁμοίως δὲ κἀκεῖνα ἢ ταὐτὸ ἐστιν ἀξιόπιστα. ὥστε καὶ τὴν παράδοσιν τὴν ἐκκλησίας ἀξιόπιστον

πιστον ἡγώμεθα. Παράδοσις ἐστι μηδὲν πλέον ζητεῖ. *Manifestum ex hoc loco, non omnia Apostolos per epistolas tradidisse, sed quædam & sine scripto. fide autem digna non minus hæc quam illa. Quare etiam Ecclesiæ traditiones credamus dignas esse quibus fides adhibeatur. traditio est: nihil ultra quære.* Par ergo doctrinæ utriusque jus est. At vult de scriptis nobis constare: de dictis non item. Id vero ego pernego. In scriptis varietates sunt innumeræ, quod experiuntur qui codices conferunt: particulæ non paucæ in aliis codicibus apparent, in aliis non apparent. In vocibus, tum singulis, tum conjunctis, magna diversitas. Quid in his verum sit discernere, ingens labor, nec semper felix. Traditionem autem aliquam esse Apostolicam quomodo probetur quærit D. Rivetus. Dicam. primum justa præsumtio est ab Apostolis tradita, quæ ubique in Ecclesiis reperiuntur, & quorum alia origo non apparet. Deinde, si accedant testes aliquot pii, prudentes atque magnæ in Ecclesia auctoritatis, qui affirment hoc velut ab Apostolis traditum, jam probationem habemus tantam, quanta in hac materia sufficit, nec minorem ea per quam scripta Apostolica à non Apostolicis dignoscimus. *Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt: quod didice-*

didicerunt, docuerunt: quod à patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt: ait Augustinus. Τὸν δὲ ἀκριβολογίαν τὴν μαθηματικὴν οὐκ ἐν ἅπασιν ἀπαιτητέον: *Non in omnibus rebus quærenda est mathematica certitudo:* ait in Metaphysicis Aristoteles: in Nicomachiis vero: λέγοιτο δ' ἂν ἱκανῶς εἰ κατὰ τὴν ὑποκειμένην ὕλην ἀφοριφθείη. τὸ γὰρ ἀκριβὲς οὐχ ὁμοίως ἐν ἅπασι τοῖς λόγοις ἐπιζητητέον, *Satis dictum sit, si quantum fert subjecta materia res explicetur: nam exacta tractatio non pari modo in omni genere quærenda est.* Siquis sit pertinax, tam facile effugia contra libros reperiet, quam contra traditionem. Sed conveniebat divinæ providentiæ, curare ne aut libri in rebus maximis, aut etiam traditio adulteraretur: & id præstitit. Cur ergo, inquit, eadem quæ tradiderant Apostoli non & scripsere? dicam: quia scripsere ex occasione nata, & quæ tempus ferebat, non aliquod σύστημα doctrinæ ac regiminis. illa autem quæ ad regimen & pacem Ecclesiarum pertinebant magnis sane scripta erant literis, usu conspicuo earum Ecclesiarum, quas Apostoli fundaverant. Quærebatur olim an sub mulierum nomine, quas in Ecclesia velari vult Paulus, comprehenderentur & virgines. τὸ ῥητὸν erat ambiguum, quia vox mulieris

eſt πολύσημος. Tertullianus bene ſolvit nodum. Videte, inquit, morem Eccleſiæ ad quam iſta ſcripſit Paulus. Corinthi virgines ab illo tempore velantur. Quod de Papia & mille annis adfertur, nihil me lædit. Papias jam ſuis temporibus habitus modici judicii. Nos eos audimus teſtes quos ſemper probavit Eccleſia. De mille annis aliquid & ſcriptum eſt, & traditum. Sed admixtæ ſunt opiniones privatæ, quibus ab aliis contradictum eſt, ut nos docet Hieronymus. Nullus ergo hic conſenſus. In lege Moſis interpretanda, qui traditiones non conſuluere, mirum dictu eſt quot & qualia nobis ſomnia prodiderint. Locum quod attinet Eſaiæ VII, ego totum id quod traditio docet, credo. credo & amplius, Matrem Chriſti ſemper, etiam poſt partum, manſiſſe virginem, quod non Scriptura dicit, ſed traditio, ab ipſius ſanctiſſimæ Virginis, ut ego exiſtimo, ore profecta. Id vero quod & Scriptura Novi Teſtamenti, & traditio pariter teſtantur, credo contineri in verbis Prophetæ, ſed ſenſu μυστικῷ, ſive ſublimiore, qualia in Prophetis multa, apta non ad convincendos incredulos, ſed ad confirmandos qui credidere. Quod ſi non Iudæis aut Socino credens, [illegible] ductum ac ſeriem rerum verborumque perſe-

persequens (experietur id si quis loci πτῶφρασιν facere voluerit) sensum alium inferiorem agnovi, in eo egi ingenue: neque aut fidem aut traditionem læsi. Nihil in eo novi est, si dicamus imperfectiora perfectiorum gerere quandam imaginem. Sic non illa tantum conceptio ex Propheta, qui plenus erat Spiritu sancto, sed & illæ Isaaci, Samsonis, Samuelis, de divino promisso venientes, mysterium ἐνσαρκώσεως Christi suo modo adumbrarunt. Ego vero, qui & adversus Iudæos scripsi, & cum multis eorum ad spem conversionis contuli, labore non semper irrito (Deo sit gratia) cavi mihi semper ne illius loci auctoritate eos premerem, & prudenter in eo me fecisse existimo. Nec aliis suadeo ut agant aliter. Primum ex miraculis, ex resurrectione, & ex prædicta vocatione gentium, probandum illis est Iesum esse Messiam, facile deinde & matri ejus de sua virginitate credituris. Quare & Savonarola in Triumpho Crucis, magno judicio totum illum locum omisit: & in libro contra Iudæos addit, quod de conceptu Virginis prædicatur, id signis & prodigiis approbatum: quod argumentum etiam sine illo Prophetæ loco bene procederet. In libro vero de fidei veritate ait idem Savonarola

in ſacris literis Veteris Teſtamenti indagandum ſenſum non ſolum literalem, ſed & myſticum. Is autem ſenſus myſticus confirmat credentes, incredulos non convincit, niſi ubi inter partes de myſtico ſenſu convenit, quod hic non eſt. Ad locum etiam Ioh. VIII, 28, quod attuli, cum traditione congruit. nam utrumque nos docet cum Scriptura & Traditio: λόγον exſtitiſſe ab æterno: & in decreto de Chriſto in terras mittendo fundatas fuiſſe promiſſiones Abrahamo factas. Vtrumcunque ſenſum ex loco illo eruas, Traditionis ſepta non franges, ſed firmabis. Locus ille, *Pater major me eſt*, tres à veteribus interpretationes recepit, quas recitat omnes Nicetas Choniates. Earum nulla eſt quæ non ſit Catholica. Talis & mea ad illum in Iohanne locum interpretatio. Videat cui otium eſt quæ in pari re Beza dicit ad Heb. 1, 3. Quid de λόγῳ æternitate ſentiam dixi, & ad Iohannem & ad Marcum: & veterum hac de re fidem etiam verſibus expoſui in Trimetris de Euchariſtia. Poſſim hic adferre loca plurima, quæ Calvinus exponendo depravaſſe dicitur: ſed non eſt id tanti: & libertatem quæ traditiones nihil lædat interpretibus eripiendam, nec ego cenſeo, nec Maldonatus.

De

De perſpicuitate Scripturæ.

Neſcio an me non intelligat, an vero intelligere nolit D. Rivetus. Ego ſic ſentio: non interpretandam Scripturam, ut jam aliquoties dixi, contra Traditionem. Traditionis autem dignoſcendæ regulas eas agnoſco, quas conſignavit Vincentius Lirinenſis, approbantibus Catholicis, & Proteſtantium multis. Eum Semipelagianiſmi accuſare, nonniſi Seſquimanichæorum eſt. Indicium autem Traditionis, quod quidem omnium generum hominibus conveniat, nullum aut à Deo datum, aut ab hominibus repertum, aut reperiri poſſe melius arbitror, quàm quod eſt à Concilio Vniverſali. Neque aut hactenus eveniſſe, aut eventurum, ut in Concilio vere Vniverſali, id eſt à ſelectis undique Epiſcopis & Doctoribus, aliquid pronuntietur, & ab omni Eccleſia recipiatur, in quo periclitetur populi ſalus. Si D. Rivetus mihi viam & tutiorem & certiorem monſtrare poteſt, monſtret. Nam dicere: *Nos habemus verbum Dei, & verum ſenſum, & Spiritum ejus*, commune eſt omnibus.

An omnibus permittenda lectio.

Sacræ Scripturæ omnibus ſcriptæ ſunt. peri-

periculum eſt in verſionibus, & in neglectu earum cautionum, de quibus puto me recte monuiſſe. Decreta, ſi qua uſquam facta ſunt, ne Scriptura legatur à populo, ſunt contra Scripturam, & contra Canones: & propterea merito & in Galliis & alibi negliguntur. Luſitani ſibi viderint. De verſionibus Bezæ & Piſcatoris, quorum eruditionem ego magni facio, & aliorum, quorum eruditionem non tanti facio, ſæpe eas detortas ad privatos ipſorum ſenſus monuere multi: etiam Cardinalis Riceliacus ſect. II, capite III, & de Genevenſi verſione, quæ tamen in locis non controverſis non eſt ſpernenda, Rex Iacobus. At tutiſſima omnium, iis qui nec Hebraice nec Græce didicere, eſt vulgata verſio, quæ nullum habet malum dogma, ſicut tot ſæculorum & gentium conſenſus judicavit.

An fides ſit in irregenitis, & de VII *capite ad Romanos.*

Iterum lectores rogo, ut ad intelligendum caput VII ad Romanos legant, non dicam, Proſperum Deſidæum, aut Arminium, ſed Cardinalem Toletum, aut, ſi de ſuis Proteſtantes aliquem volunt,

Buce-

Bucerum? Ego eam interpretationem, quæ est multo maximæ partis veterum, quæque ad pietatem est utilior, & sequar, & ut spero, rationibus non spernendis confirmabo suo tempore. Puto enim me id debere & Deo & proximis, eo magis quod ex illius loci prava, & ultra Augustinum progrediente interpretatione, vitia multorum ali video, & pulvillos multis sterni, quibus molliter indormiant. καὶ τὰς ἐπιθυμίας τὰς ἰδίας ἑαυτῶν ἐπισωρεύουσι διδασκάλοις κνηθόμενοι τὴν ἀκοήν. *Ad sua desideria coacervant sibi magistros prurientes auribus.* Addam & hoc: captivos trahunt non mulieres solas, sed & viros, qui ducuntur variis desideriis, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis, nempe salutiferæ, venientes. Hæc conscius mihi sum, non dicere me cujusquam odio, sed in tanto & tam præsenti periculo neminem arbitror esse debere cessatorem. Augustinum in certamine cum Pelagio & Pelagianis sæpe modum excessisse dixit & Beza & alii. Videbunt hoc qui scripta ipsius posteriora, valde involuta atque intricata, cum prioribus contulerint. Neque illi soli hoc accidit, ut eum longius proveheret ἀμετρία τῆς ἀνθολκῆς. Idem evenit iis qui Sabellio,

periculum eſt in verſionibus, & in negle-
ctu earum cautionum, de quibus puto me
recte monuiſſe. Decreta, ſi qua uſquam
facta ſunt, ne Scriptura legatur à populo,
ſunt contra Scripturam, & contra Cano-
nes: & propterea merito & in Galliis &
alibi negliguntur. Luſitani ſibi viderint
De verſionibus Bezæ & Piſcatoris, q
rum eruditionem ego m[illegible] facio
liorum, quorum e[illegible]
facio, ſæpe eas de[illegible]
rum ſenſus monu[illegible]
nalis Rice[illegible]
Genev[illegible]
non
Ja[illegible]

nodo expedire. Quod volo, hoc dicit non obscure divinus ad Hebræos scriptor. Nam illuminari, gustare donum cœleste, participare Spiritum sanctum Hebr. VI, 45, accepisse veritatis ἐπίγνωσιν, X, 26, suntne hæc θλίψεις hominis irregeniti? Vsquamne alibi in eo sensu reperiuntur? Confer locum ejusdem scriptoris III, 6. Et de voce ἐπίγνωσις Ephes. I, 17. IV, 13. Philippens. 1,9. Colossens. 1,9,10.11,2.III,10. Augustinus, ut supra ostendimus, & ante nos doctissimus Vossius, plane credidit regenitos, qui fidem, spem, charitatem habuere, excidere, alios ad tempus, alios ita ut æternum pereant. prædestinatio enim apud illum in Deo aliquid ponit, non in homine: qui à Deo quoque tempore tractatur, qualis post vocationem invenitur. Francisco Iunio multum debeo: sed dicam quod res est: multum ille vir vidit de vero: quo minus verum omne aut agnosceret, aut eloqueretur, retinebat eum Calvini auctoritas, quam ei in qua erat parti omnino tuendam censebat: quæ sola ratio etiam D. Tilenum diu detinuit. Quare abstinendum à talibus idolis, ut secundo præcepto, mystice intellecto, obtemperemus.

De operibus supererogatoriis.

Supererogare dixerunt veteres facere aliquid laudabile quod non sit præceptum. ita loquuntur Ambrosius, Augustinus, Fulgentius. Illud *super* in hac voce non beneficia quæ à Deo accepimus, sed præcepta spectat. Repensabit hæc Deus non αὐτῷ τῷ μέτρῳ, sed λαθίον, quia bonus est, & quia id promisit Luc. XVIII, 7, 8, 9, & alibi.

De Hæreticorum pœnis.

Si Servetus de Trinitate errans, non quia turbavit Rempublicam Genevensem, sed quia turbare potuit, recte exustus est, nemo erit qui non sibi timere debeat, qui modo errori sit obnoxius. Ideo hæc sæpe repeto, quia ingens necesse est nasci malum in imperiis omnibus, si qui populos regunt in hac re patientur se duci non à Dei, sed à Calvini spiritu, qui multo minus Euangelio convenit, quàm ille Eliæ. Et hæc cum dico ipsis consulo, qui tam temere in semet legem iniquam sanciunt. Ego vero, sicut errantibus circa quæstiones difficiles parcendum puto, nec adimendum illis tempus, ut meliora discant, ita Theudas illos & Gaulonitas, & illa quæ modo dixi Paræana tuentes, non

non urendos quidem, ſed & frænis & catenis compeſcendos cenſeo, ut cæteris liceat vitam tranquillam vivere. Et hujus ſententiæ puto futuros omnes, qui, aut quæ ſit vis imperii, aut quæ ſit lex patientiæ Chriſtianæ, quam Spiritus ſanctus dictat, intelligunt. Apage à nobis ſpiritum iſtum à ſui initio homicidam. Fauſtus Socinus quæ habuit, à Lælio patruo habuit: Lælius à ſemetipſo: à Serveto neuter. Satis id caverat Calvinus. Serveti dogmata fateor non omnia mihi eſſe nota. At ea quæ novi neque cum Socino, neque cum ejus diſcipulis congruunt. Quod ſi in Socinianos ſemel ſæviri in Polonia cœperit, vereor, ne mox, ſicut Sociniani pro Servetianis, ita Calviniſtæ habeantur pro Socinianis. Veniunt mihi in mentem Salluſtiana illa: nova exempla ab dignis & idoneis ad indignos & non idoneos transferri. Vbi hoc exemplo, inquit, per Senatus decretum Conſul gladium eduxerit, quis illi finem ſtatuet, aut quis moderabitur? Hæc fratres D. Riveti, qui in Gallia vivunt, multo melius conſiderant, quam ipſe & collegæ ejus, qui in Batavis pro ſe habent tot exercitus, & claſſes, & tributa omnium, & edicta paucorum. Sed prudentium eſt videre non tantum quæ ante pedes ſunt.

De discrimine peccatorum, quæ dicuntur mortalia & venialia.

Hîc rursus pro iis qui credidere, & in scelera ac flagitia prolabuntur, promissa Dei adfert D. Rivetus quæ nusquam exstant, & vitiis favent. Dona Dei esse quædam μεταμέλητα, & aliunde probatur & ex Ier. XVIII, 9. Deus omnibus recte credentibus promisit vires ad perseverandum, non ipsam perseverantiam. Neminem, ut ait Prosper, se non deserentem deserit: & quosdam se deserentes (non omnes sane) convertit. Dat aliis lapsis vitam & vias ad pœnitentiam; aliis non dat, ex illa justitia, quæ ipsi soli cognita est: apud quem sæpe graviora sunt illa, quæ nobis videntur leviora, quia solus ille novit quo facta sint animo, & quantum boni antea acceperint. Nemo potest eripere oves Christi in Christo mortuas, è manu ipsius. Non impediet mors, non diabolus, quominus eas resuscitet, & det eis vitam æternam. Hæc est piorum consolatio: non illa: pecca fortiter, sed crede fortius; & nihil tibi nocebunt centum homicidia, & mille stupra.

Ad reliqua.

Permittat mihi quæso D. Rivetus, ut per

per annos triginta, non libris tantum & precibus, ſed & cruce magiſtra, aliquid didicerim, & hac ætate neque catechiſmo iſtorum, qui ne domi quidem publicam auctoritatem unquam accepit, neque popularibus clamoribus multum movear. Et ipſi & aliis bene volo. Hoſtis non ſum, niſi eorum dogmatum, quæ credo noxia, aut pietati, aut ſocietati humanæ. Peccata illa qualia Davidis, id eſt homicidia & adulteria electis non imputari, verba ſunt Marlorati. Dicitis quidem in juſtificatis omnibus pœnitentiam ſemper ſequi: quod ego verum non arbitror. Et deinde quæ eſt illa pœnitentia? vivere ut lubet: deinde inſtante morte dicere Miniſtro: nollem factum; & credo juſtitiam Chriſti mihi imputari, idque verum eſſe, quia id credo. Cum hoc viatico ſtatim ille in cœlum evolat: deque eo dubitare Stygiæ eſt incredulitatis. Libellus ille quem Calvini ſpiritum redolere dixeram, eſt, ut jam diſco, ipſius Calvini, & certe ad omnem pacem diſturbandam egregius. Nec mirum: nam idem & illam mutationem, quæ Bucери conſilio in Anglia erat inſtituta, Papiſmi accuſavit, planeque judicabat, prout amabat, aut oderat: amabat & oderat prout libebat, ut modo dicentem Bucerum

audivimus. Epigrammatis ſcriptorem, quem nobilem dicit D. Rivetus, ego nec novi, nec noſſe curo: & excuſatum eum habeo, ſi Amphictyonum decreto juſſus fuit epigramma ſcribere. Martialem ſcio plenum eſſe ſpurcitiis. legere tamen eum licet, ut & Bezæ Iuvenilia: multoque magis verſibus ejus non ſpurcis uti: quod feciſſe video Scaligerum, Caſaubonum, alios: pari jure quo Paulus Apoſtolus verſu utitur ex Menandri comœdiis, & quidem Thaide. Illud, ſimiles habent labra lactucas: eſt in ſcripto Calvini contra Balduinum. Neque vero debent proverbia iſta accipi ex ſua origine, ſed ex uſu populari: ſicut dicimus ὄνος πρὸς λύρην. &: Simiæ quoque ſuos amant catulos: &: Mutuum muli. Quod ſi fulgoribus illis, qui ex craſſo vapore nati, in locis maximè paluſtribus, homines decipiunt, aliud nomen dediſſet Latium, eo potius uſus eſſem, quam quo illi, qui ſuo judicio οἱοι πέπνυνται, fatuitatem ſibi putant exprobrari. A Confeſſione Auguſtana, ſi bene explicetur, non alienos eſſe Catholicos multis mihi, præter Caraffę, teſtimoniis conſtat. Malæ explicationes cauſam dedere refutationi. De cauſis ejus belli quo ardet Germania, nolo quicquam dicere: ſed Deum oro, ut &

cauſas,

causas, & causarum effecta auferat. Quod Angelis corpora tribui, non aliunde venit, quam quia tunc Græcos legebam, qui ita loqui solent, & dicere : μόνον τὸ ἄκτιστον ἄϋλον. sic μόνον θεὸν ἀσώματον dixit Origenes: solum Deum incorporeum Bernhardus. Et speciatim Angelos esse corporeos tradit Macarius, Augustinus multis in locis, etiam in Retractationibus, Cassianus, Claudianus Mamercus, & alii. Falliturque D. Rivetus si ab Ecclesia Romana damnatam putat sententiam, quam non uno in loco defendit Cardinalis Caietanus. Ego tamen si quis aliter existimat, facile patiar eum sua frui sententia : & dicam tum in hac, tum in aliis hujus generis quæstionibus : Σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦν τ' ἐστὶν, ἐμοὶ δὲ τάδε. Nam & Augustinus ait XXI de Civitate Dei : *Si quisquam nulla habere corpora dæmones asseveret, non est de hac re aut laborandum operosa inquisitione, aut contentiosa certandum.*

Atque hic finem impono, non huic tantum operi, sed & omni huic certamini. Quis enim ad pacem invitet, tam aperte pacis hostes, omnium damnatores? *Invitum qui servat, idem facit occidenti.*

Quid illis in hoc negotio? Aliorum res agitur : Catholicorum & eorum Protestantium, qui multo illis æquiores sunt,

quos diffidiorum tædet, quos aliqua tenet antiquitatis reverentia. Ne sint canes in præsepio, fruantur repertis, & se ac sua sine rivali ament. Si quid ultra hæc aut objectum est, aut objicietur, quod responsu dignum sit, ad ea respondebitur obiter in tractatione locorum aut Veteris aut Novi Testamenti: & id fiet, adhibitis eruditorum consiliis. Pax Christi exsultet in cordibus nostris, in qua & vocati sumus in uno corpore. Coloss. III, 15.

FINIS.

HVGONIS GROTII

ANIMADVERSIONES IN ANIMADVERSIONES ANDREÆ RIVETI.

Gal. v.

Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, lites, ebrietates, comessationes, & his similia; quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.

LVTETIÆ PARISIORVM,
cIↃ IↃ c XLII.

HVGONIS GROTII ANIMADVERSIONES IN ANIMADVERSIONES ANDREÆ RIVETI.

BENE provideram, cùm iis me adderem, qui sciſſæ Eccleſiæ mederi volunt, ſurrecturas adverſum me procellas, quas experti ſunt viri multo me majores, quibus idem propoſitum fuit. Neque in eo deceptus ſum, quòd D. Riveto hæc mea non placitura credidi. Satis enim ad hoc eum tum ex ſcriptis, tum ex fama cognoveram. Quod vero tam aperte ſe non dicam mihi, ſed paci profitetur infeſtum, in eo vicit exſpectationem meam. Scio eum ex iis eſſe qui Dordrechtana & Aleſiana decreta, ex pacis odio & dominandi cupidine nata, procuderunt & mordicus propugnant: quod illi quibus vivit in locis facere tutò licet. Sed & aliò circumferre oculos debuit: & videre qui ſecuti ſint fructus. Vt alia præteream, illi qui alios tam calidè damnarunt, damnati ſunt ipſi, non à Catholicis tantùm, ſed & à Proteſtantibus illis, qui Auguſtanam Confeſſionem ſincerè ſequuntur. Et damnati ſunt meritò

ob ea dogmata, quæ & Deo ſuum honorem detrahunt, & excutiunt hominibus, per falſa dogmata, eam quæ in hac vita agentibus neceſſaria eſt, ſollicitudinem. His, dum tales manent, nihil majus optare poſſumus, quam ut Reges & poteſtates, ſub quibus vivunt, eos cohibeant ne noceant aliis primùm, ac deinde etiam, quod non fruſtra addo, ſibimetipſis. Catholicorum & eorum quos dixi Proteſtantium alia eſt ratio. Nam Carolus Caraffa Epiſcopus Averſanus, qui non ita dudum magnam in Germania perſonam ſuſtinuit Ἀπολογίαν, priuſquam ſibi conſpecta, & geſta narret, mala Germaniæ, ut ſolent hiſtorici, retro repetens, non reticet evidentiſſima, & pernitioſiſſima Cleri vitia: de Confeſſione autem Auguſtana ait, cùm primùm lecta eſt, non averſos ab ea fuiſſe Catholicos: ſed judicaſſe eam nonnullis in locis egere explicationis: quo nihil verius: quam ſi quis adhibeat, ſicut adhibuere Hofmeiſterus, Caſſander & alii, reperiet eam congruere iis, quæ in conciliis univerſalibus, à Sede Romana approbatis, ſecundum veterem traditionem, docentur. Quia vero in ſcripto iſto D. Riveti, quædam ſunt mihi communia cum viris nunquam ſatis laudatis: Eraſmo, Caſſandro, Melanchtone, Wicelio,

Modre-

Modrevio, Spalatensi, Casaubono; quædam quæ ad me propriè pertinent, ad illa respondebo, si Deus tempus dederit: quod si non dederit, ipsi pro se respondebunt, tum rationum pondere, tum ea quam apud eos, qui D. Riveto in nulla re inferiores sunt, habent auctoritate. Forte & alii laborem sibi sument non adeo difficilem, quem & hic sumpsit, & alibi sumere solet D. Rivetus, transcribendi aliena, ut opponant πάσσαλον τῷ πασσάλῳ. Mea autem defensurus, quantū datur ad majora accincto, illud primum præfabor, multum circumcidi potuisse D. Riveti librum, si Scholasticorum dicta abstulisset, quæ neque Catholici defendere ulla lege tenentur, neque ego expendere, id agens ut divulsos recomponam. Venio igitur

AD ARTICVLVM I.

GAudeo quòd agnoscat D. Rivetus ab Ecclesia Romana bene custoditam doctrinam, περὶ τῆς τριαδικῆς Μονάδος, & propterea omnia quæ aut scripsi, aut scripturus sum, de eo argumēto, deq; duabus in Christo naturis, libenter ejusdem Ecclesiæ Romanæ, & ut ad propiora veniam, vniversitatis Parisiensis judicio submittō, sum enim

infirmior ullus

Multorum:

Neque tantum mihi tribuo, ut, etiamsi quid mihi prima specie blandiatur, id defendere velim contra consensum antiquitatis, & spiritum qui Ecclesiæ corpus continet; quod si mecum etiam in rebus aliis caveat D. Rivetus & alii, jam spiritus ille privatus, spiritus, inquam, Ecclesiæ divisor, perdet fascini sui efficaciam. Patriarchæ Gennadii, & cum ipso Ecclesiæ Græcæ Confessionem quod laudo, non inde venit, quod ea quicquam contineat, quod non sit & in veterum scriptis, præsertim Augustini, quem in hac re simplicissimum reperio, ideoque præ cæteris sequor, sed quia & brevis est, & ab iis scripta, qui tunc cum maximè vim Crucis Christi in se sentiebant. Quod vero D. Rivetus vertit actiones, id in Græco est ἐνεργείας: id vero potius significat efficacias Dei, & additur φυσικὰς: & dicuntur λόγῳ, καὶ πνεύματι ἐκ τῆς φύσεως τοῦ θεοῦ (id est ex paterno fonte) ἀναπέμπεσθαι ὥσπερ ἀπὸ τῆς πυρὸς φῶς καὶ θερμὴ. easdem ἐνεργείας etiam ὑποφάσεις vocat. in quibus si quid est mali, id ego, qui obtusior sum in istis rebus, me fateor non videre: nisi forte φύσεως vocem vellicare libet, quæ tum in aliis, tum in Theologicis rebus non eandem semper habet significationē. Quod autem dicit ea Confessio Spiritum sanctum

à Patre

à Patre procedere, ſic & Scriptura loquitur: & ſcriptores antiqui & Concilia vetera: nec id qui dicit negat eum Spiritum à Chriſto dari: planéque aſſentior viris eruditis tum Latinæ, tum Græcæ Eccleſiæ, de hac re, hoc quidem tempore, inter Latinos & Græcos eſſe vocabulorum certamen: quod ipſum multáque alia ejus generis ut ceſſent, faxit per illum Patris & ſuum Spiritũ Chriſtus. De Serveto ideo certi aliquid pronuntiare auſus non ſum, quia cauſam ejus non bene didici: neque Calvino ejus hoſti capitali credere audeo, quum ſciam quam inique & virulente idem ille Calvinus tractaverit viros multo ſe meliores, Caſſandrum, Balduinum, Caſtellionem.

AD ARTICVLVM II.

DE peccato, ut dicitur, originis, aut ut ego dixi labe, conſentio antiquis, quorum ſententiam Synodus Tridentina non male expoſuit. Quod autem Chriſtum, id eſt, Adamum ſecundum, ὁ χοϊκὸν, ἀλλὰ πνευματικὸν facio auctorem vitæ ſanctioris, & vitæ cœleſtis non minus revelatorem, quam donatorem, & novam creaturam antiquæ præfero, ut Chriſtianos excitem, & in iis me quoque, ad maxima quæque & minime terrena, quam quæſo injuriam hac in re fa-

cio aut Christo, aut Christianis? Neque statim si quid aut Pelagius, aut Socinus dixere, id falsum est: potuere & illi in verum incidere, & multi nunc in Gallia qui eandem sententiam magnis sane argumentis tuentur. Vt autem plane me à Pelagianismi non crimine tantum, à quo longissimè semper abfui, sciens quantum Gratiæ Dei debeam, sed & suspicione liberem, hoc addam, me cùm dixi, manente tamen eo discrimine, quod corpora humana ab Angelicis distincta secum ferunt, sub hoc ambitu comprehendere tum ἀγνοίας, tum affectus illos sive παθήσεις, quæ nisi depositio hoc corpore plene deponi nequeunt. Præterea cùm dico opus esse homini per Dei præcepta & promissa cœlestia attolli supra vires humanæ naturæ, intelligere me & præcepta & promissa non tantum extrinsecus annuntiata, sed & inscripta mentibus: præceptis autem annumerare me, & quidem loco principe, præceptum fidei. Cùm vero agnoverint Philosophi esse σύμφυτον ἀνθρώποις τὸ ἁμαρτάνειν: cur non hac eorum confessione utar ad probandum etiam extraneis, id quod nos Christiani plenius perfectiusque ex Scriptura hausimus?

AD

AD ARTICVLVM III.

DRivetus hîc pugnas quærit, nec invenit. Corpus Christi naturali modo in summo cœlo est: spirituali in omnibus iis qui passione ejus recte utuntur: Sacramentali autem, id est singulari καὶ μάλα ὑσιώδει, in Sacramento Eucharistiæ ex vi institutionis.

AD ARTICVLVM IV.

HÆc controversia videtur omnium esse gravissima, adeo ut Philippus Mornæus Plessiacus crediderit vel hac una de causa, justam esse eam quæ facta est secessionem: cùm inter pios & eruditos conveniat תדיק sive δικαιῶν primo & nativo sensu esse, justum facere. Sic in Apocalypsi XXII, 11, δικαιωθήτω ἔτι est: *justior adhuc evadat.* Cyprianus in libro de bono patientiæ eum locum sic interpretatur: *justus autem adhuc justiora faciat:* probante Beza. Dan. XII, 3, וּמַצְדִּיקֵי מַרְבִּים. *qui multos justos efficiunt,* nempe instituendo: neque enim mirum est, si eadem vox Deo primario tribuitur, hominibus secundario ut Dei ministris, quomodo & σώζειν. Rom. XI, 14. 1 Cor. VII, 16. 1 Timoth. IV, 16. & *convertere* sæpissime. Sic Esaiæ LIII, 11, יַצְדִּיק *justos faciet multos*

accipiunt veteres omnes. Sic Tit. III, 7, δικαιωθέντες Beza interpretatur ut simus ἅγιοι: ubi & similiter accipi vult id quod est Rom. VIII, 30. Idem Beza ad Rom. VI, 7, ὁ γὰρ ἀποθανὼν δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας: *Liberatus est à peccato*, addens non agi ibi de peccatorum remissione, seu absolutione à peccatis. Sic Ps. LXXIII, 13, ἄρα ματαίως ἐδικαίωσα τὴν καρδίαν μου. ubi Iunius & Tremellius: *purifico animum meum*. Sic 1 Corinth. IV, 4. & Ps. CXLIII, 2. & multis aliis in locis quos nuper congessit vir Hebraice doctissimus Philippus Codurcus. Sensu vero non nihil deflexo significat ita tractare quomodo justi tractari solent. Neque verti debet absolvere. Nam etiam cùm foro id verbum aptatur, dicitur tam actor δικαιοῦσθαι, quam reus, ubi secundum eum causa datur. Exod. XXIII, 7. Deut. XXV, 1. Quia vero inter alia justis solet laus dari, ideo ponitur pro laudare: Matt. XI, 19. Lucæ VII, 29, 35. quomodo etiam Beza accipit illud 1 Timoth. III, 16. ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι. Cùm autem Paulo mos sit eadem voce uti significatu diverso, uter quoque loco sumendus sit, ex subjecta materia, antecedentibusque, & consequentibus dijudicandum est. Speramus autem nos in nostris ad eum annotatis clarum facturos,

multo

multo rectius Pauli verba à veteribus Græcis & Latinis, quàm à novis noſtri ſæculi interpretibus accepta: quorum qui locum ad Romanos IV, 15, ita explicant, ut dicant abſolvi à Deo impium dum adhuc impius eſt, id dicunt quod in Deum injurioſum eſt, & hominibus noxium. Interim cùm conſtet vocem eſſe ambiguam, dico in diſputationibus ejus loco uſurpandas voces, quæ unum aliquid certumque ſignificent. Non idem eſt de voce ſanctitatis, quæ etſi diverſos habeat gradus, idem tamen ſignificat, & poteſt in animo eſſe ante illa opera nempe conſpicua. Non mereri nos peccatorum remiſſionem conſtat: per fidem homines juſtos fieri conſtat: qui juſti ſunt eos à Deo ut juſtos tractari, amari, laudari conſtat, ac vitam eis æternam promitti. Hunc ſtatum juſtitiæ, & divini favoris ſervari per pia facta conſtat. Inter eos qui hæc agnoſcunt, cætera quæ diſputantur ſunt Scholaſtica, & Metaphyſicalia. Lucæ XXIII, 34, de remiſſione agi, ad certum quid, nempe ut non obſtantibus peccatis, quæ rigide Deus punire potuerat, etiam indurando, nova atque mira hominibus via ſtruatur ad pœnitentiam per prædicationem, & miracula Apoſtolorum, puto ex ipſo loco collata hiſtoria II Actorum ſatis apparere. &

hæc

hæc eſt prima illa reconciliatio, de qua agitur Rom. v. 10. & 11 Cor. v, 19. & in qua dixi nullam requiri conditionem, quod non intellexit Rivetus, cùm tamen ſit clariſſimum. Quod pia facta D. Rivetus viam ad regnum vocat, rectum eſt: ſed verum & hoc eſt, omnem viam, habere cauſæ rationem, ſaltem ejus quæ ſine qua non dicitur. At D. Rivetus totam hanc controverſiam ad illam refert prædeſtinationem, quam ſcire debet Proteſtãtibus, qui Auguſtanam ſequuntur Confeſſionem, non probari. Dei in homines favorem per pia facta ſervari convenit cum Iacobo, qui dicit Abrahamum per pia facta id conſecutum, ut Dei amicus diceretur. Vide & Hebr. VI, 10. X, 36. XI, 26. Apoc. XXII, 12. Naſcuntur quidem & ipſa pia opera ex aliquo Dei favore, ſed alia eſt Dei miſericordia præcedens, alia ſubſequens. Aliter Deus amat homines ut convertat: aliter, & propiùs converſos. De quo diſcrimine videat, cui vacat, Damaſcenum ex Græcis Patribus ſua deſcribentẽ, 11, 46. & Hunnium de prædeſtinatione. Cum piis factis ſcriptura mercedem repromittat, certè quo ſenſu vita æterna merces dicitur, eodem & pia facta dici poſſunt, & ab omni pia antiquitate dicta ſunt merita vitæ æternæ. At merces ex miſeri-

sericordia promissa est: & major est merces labore. tale etiam est meritum, & hoc docet Synodus Tridentina. Ante verò conversionem quæ fiunt ea nisi ἀκύρως merita non sunt. Convenit & hoc. Neque de certitudine pro præsenti statu, nempe in quibusdam seriò semet explorantibus, video aliquid controversiæ restare. Ad certitudinem pro futuro statu, nec veterum quisquam docuit, nec Augustinus: *Quis enim hominum*, inquit de Civitate Dei 11, 12, *se in actione profectuque justitiæ perseveraturum usque in finem sciat, nisi aliqua revelatione ab illo certior sit, qui de hac re justo latentique judicio non omnes instruit, sed neminem fallit?* idem de correptione & gratia XIII, *Quis ex multitudine fidelium quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat? quia hoc occultari opus est hoc loco, ubi cavenda est elatio.* Alibi dicit non expedire in hujus vitæ tentatione securitatem: neminem posse esse securum nisi cùm consummata fuerit ista vita quæ tentatio est super terram: justè ac piè viventes de ipsa perseverantia sua reperiri incertos: utile esse omnibus, vel penè omnibus propter humilitatem saluberrimam, ut quales futuri sint scire non possint. Similia habet Prosper non uno in loco.

AD

SPiritus ſanctus dicitur dari credentibus Ioh. VII, 39. Act. XIX, 2. & fidem obſignat Eph. IV. 30. is credentes docet omnia, nempe quæ pro circumſtantiis occurrentibus agenda ſunt. In loco 1 Petri. 1, 22, διὰ πνεύματος, quanquam ſenſum bonum recipit, ut mundatio illa quæ fidem ſequitur tribuatur Spiritui Sancto, abeſt non à Latino tantum & Syro, ſed & ab antiquiſſimo manuſcripto Græco. In loco autem 1 Cor. XII, 3, Ieſum Dominum dicere, non eſt ſimpliciter credere, ſed in Prophetia talem agnoſcere. Quod Deus Sacramenta, & præcipue Sacramentum Euchariſtiæ, voluit eſſe inſtrumenta per quæ dona ſua in nobis auget, id non dubitandum quin fecerit ad honorandam Eccleſiæ unitatem. Fieri tamen poſſe ut pius quis illa quam deſiderat communione careat, & quomodo id evenire ſoleat, & quomodo quis in eo caſu ſe gerere debeat, ut patiētiæ præmium à Deo exſpectet, diſcet qui volet ex Auguſtino de una Religione cap. VIII. Si D. Rivetus iter faciendum haberet in loca longius in Septentrionem vel Auſtrum recedentia, facilè devenire poſſet ubi ipſi vivendum eſſet ſegregi, quod aliis objicit. Operis operati

vox

vox quomodo in re Sacramentorum recte possit accipi diximus. qui aliter utuntur, ipsi viderint. Nostrum non est, singulorum Scholasticorum dicta defendere: nec id fieri potest, cùm plurimum ipsi inter se pugnent.

AD ARTICVLVM VI.

DE voce meriti jam diximus. Non desinit esse vera merces quæ ex liberalitate promittitur, & opera in immensum superat; & sicut promittere fuit misericordiæ, ita justitiæ est implere promissa. voces ab omni antiquitate usurpatas commodè interpretari, non autem morosè rejicere, piæ est modestiæ.

AD ARTICVLVM VII.

SIcut exercitus, sicut navis, regi non potest nisi per gradus præfectorũ, qui gradus in unum desinant, ita nec Ecclesia. Etiamsi omnes qui sunt in Ecclesia essent dilectione summa prædíti, tamen tali ordine esset opus. Deus non amat facere semper miracula: sed ad res optimas etiam optimas monstrat vias: qualis est ad unitatem Ecclesiæ certus ordo. Hic ordo quis esse deberet, monstravit in Petro Christus. Ei enim claves regni cœlorum dedit pro totò collegio, tamquam

tamquam collegii principi. Est autem principium in quoque collegio dirigere consultationes, & decreta exsequi. Locus Cypriani, cujus particulam citat Rivetus, aperte dicit quod volumus: *Loquitur Dominus ad Petrum: ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & super illam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Et tibi daboclaves regni cælorum, & quæ ligaveris super terram erunt ligata & in cælis, & quæcunque solveris super terram erunt soluta & in cœlis. Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: pasce oves meas. Super illum unum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: recipite Spiritum sanctum: si cui remiseritis peccata, remittentur illi: si cui tenueritis, tenebuntur: tamen ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur. Primatus Petro datur ut una Christi Ecclesia & Cathedra una monstretur.* Vides hic Primatum, quod nomen in omni collegio aliquam secum fert potestatem. Pulcherrima

illa

illa quæ Ecclesiam continet coagmentatio; non ex imperio Romano fluxit: sed Christo monstrante, sequentibus Apostolis. Sic in Ecclesiis instituere Apostoli πρεσβυτέρους, quos utpote in suo cœtu sacerdotes summos Angelos ad Malachiæ exemplum vocat Apocalypsis. Talis Polycarpus Smyrnæ, tales in aliis Asiæ Ecclesiis alii. Erant Ephesi plures Presbyteri, Rom. xx, 17. sed ad unum scribitur divina epistola Apoc. II, nempe ut cœtus principem. Sic in Creta Metropolitam egit Titus. Sic sub sæviſſima Cruce ille qui Carthagine erat ἐξάρχων principem in Africa obtinuit locum, & congruentem loco curam. Et multo ante usitata Patriarcharum nomina, Romanus Episcopus, & Antiochenus, & Alexandrinus communicatis inter se consiliis regebant corpus Ecclesiæ. Inter has autem tres eminentissimas Ecclesias potentior erat principalitas Romanæ Ecclesiæ, ad quam necesse erat convenire omnem Ecclesiam, quia in ipsa Ecclesia Romana semper ab his qui sunt undique conservata est, ea quæ est ab Apostolis, traditio, ut nos docet Irenæus, III, 3. qui & ipse Irenæus cùm Victorem de rectè utenda potestate admonet, eo ipso inspectionem ejus etiam in Asiæ Ecclesias agnoscit.

Est Episcopus Romanus Aristocratiæ Christianæ princeps, quomodo eum appellavit paulo ante nostra tempora Episcopus Forosempronienſis. *Auctoritate, qua potiores æternæ urbis Episcopi*, scripsit Ammianus Marcellinus, homo paganus, agens de causa Alexandrini Episcopi. Nolo hîc aliorum qui hoc argumentum feliciter tractarunt compilare scrinia. Tantum rogabo eos qui verum amant, ut cum legent Davidis Blondelli, viri diligentissimi, librum, non ipsius αὐφὰ φάεμαχα, sed ipsas historias, quarum veritatem Blondellus agnoscit, animo à factionibus remoto expendant. Si id faciant, spondeo inventuros in quo acquiescãt. Primatus ille sub Christo & sine tyrannico terrore exerceri potest, & ita ut Episcopis sua in Ecclesias ipsorum fidei creditas jura conservet. Gravissima olim quæ per Græciam, Asiámque fuere schismata auctoritate Romanæ sedis sanata nemo negare potest qui in Ecclesiæ historia addiscenda aliquid laboris posuerit. Si qua ex ipsa Romana sede orta sunt schismata, ea orta sunt ex electionibus controversis; quod ubi evenit, Imperatoris & Regum est curare ut coëat concilium universale, & ei permittere ut aut de jure electionum judicet, aut novam electionem constituat. Quæ verò

est

est causa, cur qui opinionibus dissident inter Catholicos, maneant in eodem corpore non rupta communione; contra qui inter Protestantes dissident, idem facere nequeant, utcunque multa de dilectione fraterna loquantur? Hoc qui recte expenderit, inveniet quanta sit vis primatus, cujus rectum usum, quem improbaturus non fuerat Melanchton, reperiet qui volet, ne nimium distrahatur, in Gregorii Magni Epistolis. Apostoli quæ dicebant, aut scribebant tanquam à Christo sibi mandata, parem habuere auctoritatem. potuerunt & alia dicere & scribere ex conjectura: ut cùm Paulus scribit de itinere suo ad Corinthios: ita ut in utroque nec sermo super epistolam nec epistola super sermonem quicquam habeat privilegii. Ritus ac mores per universam Ecclesiam præceptos aut receptos credo observandos, neque certe video cur credantur ii aut nimis onerosi, aut inutiles. contra pauci sunt (loquor de iis qui ad omnes pertinent) & faciles & utiles: & tamen in his ipsis locum interdum habere potest *indicium*, ut Gerson & Melanchthon docuere. Quæ Augustinus & alii reprehendunt, ea erant in certis locis, non autem universim recepta.

AD ARTICVLVM VIII.

CORruptos fuiſſe mores Eccleſiæ Præſidum, nimis verum eſt: ſed ut per eos mores doctrina univerſalis corrumperetur, Dei bonitas non ſivit. Imo ſatis ſemper fuit in illa doctrina univerſali, unde mores & ſuperſtitiones corrigi poſſent, quod vel ex unius Bernhardi ſcriptis ſatis liquet.

AD ARTICVLVM IX.

NEceſſitatem ex præcepto baptizandi infantes ſi Rivetus in ſacris literis reperire potuerit, habebit me non adverſantem: Ego Eccleſiæ ſatis auctoritatis puto à Chriſto datum ad ordinanda talia, quæ ſacris literis non repugnant, neque videre poſſum cur illicitum ſit loca ſcripturæ non verbis tantum ſed & rebus exprimere. Vt baptizatis & unctio adhiberetur & manuũ impoſitio, antiquiſſimis temporibus fuiſſe uſitatum ex Tertulliano apparet. Neque ſanctiſſimi illorum temporum viri id κακοζηλίαν Iudaiſmi eſſe putabant, nec cur id putari debeat cauſam video. De Ioannis Baptiſmo, & in quo is ab Apoſtolorum baptiſmo differat, fateor quæſtionem eſſe noſtris temporibus non multum neceſſariam. At vero eos qui ab Ioanne baptizati

fuerant,

fuerant, ab Apostolis iterum fuisse baptizatos, mihi quidem ita aperte evincit locus ille Act. xix, 34, 5. ut non videam quid vel in speciem contradici possit. Confer quod præcessit Act. xviii, 25.

AD ARTICVLVM X.

ITa argumentatur hic D. Rivetus, quasi Christus, cùm panem & vinum distribuit, dixisset, se præter ista nihil dare, cùm contra se res habeat, & dando signa in oculos, tactum, gustumque incutrentia, simul dederit rem quæ intus sentiebatur, & adhuc à fidelibus sentitur. Transsubstantiationis vocem ut planè necessariam non urget Romana Ecclesia, & tamen quid est cur ea videatur durior, quam μετασυνχειώσεως, quam admittunt viri illi eruditi quorum scripta hîc laudat D. Rivetus? Nonne quod erat alimentum corporale fit per spiritum Christi alimentum animorum, idque ita ut substantialiter, essentialiter, realiter exhiberi corpus Christi dicant Protestantium præcipui? Non esse autem corpus Christi & sanguinem in Sacramento quantitative etiam inter Catholicos doctissimi defenderunt & adhuc defendunt. Quod si igitur quiescant scholasticæ disputationes, quid est cur

non verba Concilii Tridentini explicari commodè possint ex illo loco qui primus est ordine? aut etiam recipi illa formula quam ego ex Actis ipsis Posniacenis desumpsi, & quam omnes qui ibi tum erant Protestantes, uno Petro Martyre excepto, approbarunt. Locum Augustini non citavi nominato libro, sed ex Codice Gratiani in quo est: *Corpus enim in quo resurrexit in uno loco esse oportet: veritas autem ejus ubique diffusa est.* Neque vero video cur Gratiani fides hac in re nobis debeat esse suspecta. Sequitur apud eundem Gratianum id quod ejusdem est sensus: *Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem effusuri sum illi qui me crucifigent: ipsum quidem & non ipsum: ipsum invisibiliter, & non ipsum visibiliter.* Veritas ergo Augustino est non sola divinitas, sed & corporis illius illud quod, ut ipse loquitur, necesse est invisibiliter intelligi. caro illa spiritualis atque divina Hieronymo. Et distinctio hac in re ἓ νοητῶ καὶ ἓ αἰσθητῶ non est res hodie reperta, sed apud Cyrillum & alios frequens. Ἀγροικωτέρων cum Melanchthone damnabunt libenter Catholici omnes. At Christo in Eucharistia, quomodo ipse voluit, præsenti, quis potest satis magnus ho-

nos

nos haberi? aut quis affirmet Apoſtolos Sacramentum accepiſſe ſine ullo corporis flexu? De triplici ſacrificio in Liturgia Euchariſtica quæ dixi, ita ſunt clara & per ſe, & per loquendi genera veteribus uſurpata, ut qui eis contradicat manifeſtus ſit iurgium quærere. Nam ſi illa legalis, ex ſimila oblatio dicitur proprie θυσία, cur non & panis & vinum ex uſu profano ſepoſita & aſſumta in uſum ſacrum? erant ibi ritus: ſunt & hîc ritus. Deinde quid eſt cur Chriſti ſacrificium nobis impenſum, nobis donatum, Deo patri offerre, & ut ſic loquar, ob oculos ponere non poſſimus? Sacrificia inquit D. Rivetus, ab animo offerentis æſtimantur. Et ſic ſacrificium Chriſti ab ipſius animo, ad ſummam illam obedientiam patientiamque compoſito, præcipue æſtimatur. Et hunc animum per vires ab ipſo datas noſtro modulo imitamur. His nihil plane pugnant quæ ex Auguſtino & Euſebio producit D. Rivetus. oblationem enim corporis & ſanguinis Chriſti non fieri modo ſenſibili, ſed ſpirituali & intelligibili in confeſſo eſt: neque ita loqui, ut veteres locuti ſunt, eſt verbis ludere, ſed rem ſublimem ſublimibus verbis exprimere. Gelaſii autem Cyziceni cur fides hac in re ſuſpecta habeatur,

nihil cauſæ adferri video. Cur verò rectius putetur conſecrationem fieri apud ægrotum, quam id quod in Eccleſia conſecratum eſt, ut Iuſtini temporibus fiebat, ad ægrotum deferri, fateor me non intelligere. Nimis autem litigatoriè agit hic D. Rivetus: qui vult primùm Catholicos probare ea quæ in Diallactico ſunt ſcripta, ut ipſe cum ſuis poſtea videat quid opus ſit facto.

AD ARTICVLVM XI. & XII.

DIſciplinam & Cleri & plebis ab Apoſtolis conſtitutam puto non ad breve tempus, ſed ut ſemper valeret. Quare ea ut reſtituatur, & precibus ad Deum, & monitis apud homines laborabo. In Confeſſione, enumerationem peccatorum cum ſuis circumſtantiis, non eſſe juris planè divini, neque ſuis exceptionibus carere, multi inter Catholicos ſentiunt. Satisfacere pro peccatis & rectè & utiliter dici poſſumus, non tantùm cùm ea deteſtamur, vitámque corrigimus, ſed etiam cùm ob ea nobis ipſis auſteriora jejunia, aliámque corporis κολαζονειαν indicimus, aut à præpoſitis indictam ſuſcipimus. Sophiſtas non conſtitui defendere.

AD

AD ARTICVLVM XIII.

DE Scholasticis, quæ sæpe dixi, non repeto. In omnibus illis Sacramentis quæ præter baptismum & Eucharistiam ab Ecclesia Græca non minus quàm Latina nunquam interrupto more celebrantur, manuum impositio olim fuit usitata, & nunc quoque apud Græcos usitatur. Quod ideo dico, ut eorum rituum origo appareat. Cyrillus ille, cujus meminit D. Rivetus, rectius feciſſet si Græcis ad magnas calamitates non addidiſſet aliam ex novo ſchiſmate, cui quantum in ipso fuit causam dedit improvida mutatione ſine Synodico conſensu.

AD ARTICVLVM XIV.

QVæ optavi de reformatione Cleri & Monasteriorum, optavi magnis Episcopis præeuntibus. Quòd vero dixi bonos Principes uni annulo posse inscribi, dixi de Principibus Hebræis: & certe non magno ad eorum nomina scribenda opus esset annulo. Quòd si etiam generalius id dixissem, potest quilibet è principibus sibi dicere:

Quid vetat in variis nomen ineſſe meum?

Pauci sunt reges, sed tamen sunt qui consensu gentium Pii, Sancti, Iusti, titulum

meruere. At verò cùm dicitur hoc aut illud inter bonos constat, tale indefinitum non idem valere universali, sicut persuasurum se credit D. Rivetus, is necesse est aliam nobis cudat Dialecticam, quam ea est, quam dedit publico Petrus Molinæus: & simul Paulum reprehendat, qui quod indefinitè dictum erat Deut. xxvii, 26, recitat cum universitatis nota Gal. iii, 10.

AD ARTICVLVM XV.

CVm hæc res supra tractata sit, hoc tantum addam, in Gallia rationem non haberi earum constitutionum, etiam Pontificiarum, quæ receptæ ab ipsa non sunt. Constitutiones autem locales non censeri in dubio tales esse, ut qui eas omittat peccet, nisi adsit contemtus aut scandalum.

AD ARTICVLVM XVI.

MVltos Clericorum multis in terris, etiam extra ullam necessitatem, malle cum Swinglio arma ferre, quam cum Apostolis & Apostolicis viris ab armis abesse quam longissime, ita manifestum est, ut conjecturis nihil sit opus ad reperiendos ad quos id pertineat. Tum verò bella civilia ab eis maximè concitata qui se Evangelii Ministros vocent, norunt reges omnes. Si

Laici

Laici illi qui animi quadam ſcrupuloſitate
ment aut de capite judicare, aut militare,
interim in fœnoribus, aut aliis contractibus, æqualitatem, ſocietati neceſſariam, violant, rectè facit quod eos admonet D. Rivetus. Ne Papæ jura Regum invadant, video nunc Reges ita benè ſibi cavere, ut non ſit cur privatos ea cura mordeat. Quod dicit Eccleſiaſticos non minus ſæpe peccare, quam Principes, non rectè utendo bonis Eccleſiæ dicatis, verum eſt: & monendi rogandique omnes id ut corrigant, qua in re utilem operam navavit M. Antonius de Dominis. Cæterum ab Eccleſiaſticis video ſatis multa conferri ad neceſſitates publicas, ita ut regibus hac in parte nulla ſit querendi materia. Vim non opponendam ſupereminentibus poteſtatibus dogma eſt Chriſti, ac Apoſtolorum Petri ac Pauli. Et hoc dogma ut divini juris retineri debet. Quæ autem ſit in ſingulis locis ſupereminens poteſtas, & unane, an plures, id ex ſacratis cujuſque populi legibus cognoſcendum eſt. Illud docere Theologi eſt: hoc diſcernere Iuriſconſulti: nec cujuſvis, ſed ejus qui jus publicum patriæ ex certis documentis hauſerit. Pari modo ſuum cuique relinquendum dicet Theologus: id enim eſt non furari. At quod in te eadem

jus ſit

jus sit proprietarii, quod usufructuarii, quod conductoris, dicet Iurisconsultus. Paræus Theologus in XIII caput ad Romanos tot dedit exceptiones, ut regulam totam aut prope totam subruere judicatus sit Regi Britanniæ & scholæ Oxoniensi. Tales Theologorum extra Theologicam professionem libri multos nobis peperere numquam ante auditos Ephoros, id est Thersitas, Petilios, Gracchos, Saturninos. Huic ego malo, quo nullum æquè seculum laboravit, scriptis meis mederi pro mea parte conor: paratus interim ubicunque locorum vixerim, parêre iis qui solium obtinent, quamdiu id obtinere à Deo sinuntur.

AD ARTICVLVM XVII.

QVod Augustinus Origeni tribuit, credidisse eum alternantes vices beatitudinum & miseriarum rationalis creaturæ, id est πτεροφυΐας & πτεροῤῥυΐας animarum sine fine, id cum Platonicorum sententia satis congruit; quanquam eam etiam inter Platonicos correxit Porphyrius. Sed eousque Platonicum fuisse Origenem multi negant. Interim lapsum Origenem in hac & aliis rebus negari non potest. Quale mihi ne quid eveniat, Deum supplex precor, soleóque scriptis meis hanc addere cautionem,

em, ut ſiquid ibi ſit alienum dogma ab Eccleſiæ univerſalis conſenſu, id pro non ſcripto habeatur.

AD ARTICVLVM XVIII.

HIc D. Rivetus ſub ſpecie laudandæ Gratiæ Dordrechtanam nobis prædeſtinationem propinat, quam neque Catholicis, neque Proteſtantibus Auguſtanis facilè perſuaſerit. Auguſtinus ſi idem ſenſit quod omnes qui ante eum fuere doctores, ſequendus eſt: ſi non, tam nobis ab uno, quam uni ab omnibus licet diſcedere. Bradwardinus vere fuit Iſmaël ſui ſæculi: manus ejus contra omnes.

AD ARTICVLVM XIX.

QVod dixi aliam eſſe cauſam cur homo in nativo ſtatu aptus non ſit ad vitam cæleſtem, aliam criminum quibus pœnam Deus minatur, hoc volo: homicidia, & adulteria non eſſe ejuſmodi effecta labis originariæ, ut propter eam vitari nequeant & ex ea fluant neceſſario; idque eo apparere, quod Deus in lege ſua pœnas ſpeciales in talia crimina conſtituit, quibus pœnis non involvit totam Adami poſteritatem. Scriptor de vocatione gentium pius eſt & pia quæ ex eo deprompſi. Multi numquam ma-

gis

gis homines excusabiles faciunt, quàm cùm causas reddunt cur sint inexcusabiles. At aliter magnus ille scriptor: *piissimè confitemur, quod nunquam universitati hominum divinæ providentiæ cura defuerit: qui licèt exceptum sibi populum specialibus ad pietatem direxerit institutis: nulli tamen nationi hominum bonitatis suæ dona subtraxit, ut propheticas voces & præcepta legalia convincerentur in elementorum obsequiis ac testimoniis accepisse. Unde & inexcusabiles facti sunt, quia deos sibi dona fecerunt: & quæ creata erant ad utendum, venerati sunt ad colendum.* Quid vero in eo mali est, si dicamus penes eos quibus Euangelium non prædicatur aliquam culpam esse peculiarem supra communem, præsertim cùm Prophetæ gravibus peccatis pœnam minentur famem verbi? aut si credamus, si quis alicubi sit Cornelio similis, Deum illi extra ordinem consulturum sicut Cornelio consuluit? Qui hac de re & quæ huic adhærent verum sensum piæ antiquitatis à Manichaismi & Pelagianismi scopulis reductum cognoscere volet, is optimi Vossii librum legat, qui supra cæteros excellit: *Quantum lenta solent inter viburna cupressi.*

AD ARTICVLVM XXI.

IN hac quæstione & in aliis nullam mihi vim feci. Sed dixi ingenuè quæ certa, quæ probabilia, quæ utilia, quæ minus utilia existimarem. Videbam multum obstare concordiæ si omnes eos qui in communione sunt Romana pro idololatris haberemus, gnarus idololatriam esse eminentissimum sæculi crimen. Illud Apostoli, quod non ex fide fit peccatum est, planè huc non pertinet, nisi credat D. Rivetus, omnes qui martyrum precibus sperant se posse adjuvari, facere hoc contra suam conscientiam. Nam fides in illo loco Pauli, persuasio est, qua credas illicitum esse quod facis. Quod si putat, nihil posse in talibus rebus rectè fieri, nisi quod in Scripturis directe præceptum sit, id ipsum ex Scripturis non facilè probabit. Invocationis & adorationis voces agnoscit esse ambiguas: at putat ambiguitatem tolli si addatur vox *religiosæ*. At vero ea vox vel maximè ambigua est: nam & religiosus est honos qui Deo soli defertur: & religiosus est qui ob Deum defertur Angelis & Apostolis. Neque enim is honor ad communem civilemque vitam pertinet. In Synodo VII προσκυνεῖν nihil aliud est quàm honoris signum exhibere:

quæ

quæ vox à Latinis male accepta disputationibus causas dedit. Quod dicit D. Rivetus nullum reverentiæ signum exhiberi absentibus, in eo errat. Nam etiam Christiani Imperatoribus absentibus honorem exhibebant apud eorum statuas, neque ob id idololatras se putabant, ut alibi ostendimus. Sanctos maximè honorari si virtutes eorum non laudemus tantùm, sed & imitemur, libenter agnosco. Sed qui maximè dicit, is cætera non excludit. Quibus diebus martyrum memoria celebratur, Deo aguntur gratiæ pro donis quæ ipsis contulit, planè ut fieri solet illis diebus, qui in memoriam temporalis alicujus boni à Deo accepti, passim sine idololatria institui solent. Morem orandi Martyres ut pro nobis orent, qui idololatricum putant, gravissimi criminis damnant Chrysostomum & alios viros sanctissimos Græcæ & Latinæ Ecclesiæ. Ego verò sicut id facere non ausim, ita nec eos arguere qui eo more abstinent. illos verò qui sanctos faciunt καρδιογνώστας aut omnipotentes rectè reprehendit Wicelius. Idololatræ erant, qui sanctum Vitum & qui Stephanum episcopum divinis honoribus colebant: Et pro talibus habebantur à Catholicis omnibus. Cùm Hebræi veteres Deum orarunt, ut propter Abraham,

mum, Isacum, Iacobum, populo parceret, non sola respexerunt promissa, sed humano more Deo velut in memoriam reduxere, res sibi carissimas, sicut solemus majorum benefacta adferre ad sublevandos eos quorum pœnã deprecamur. Ipse Deus 1. Reg. xv. 4. dicit se regnum reliquisse in familia Davidis ideo quod David rectum fecisset in oculis Domini. Locum aliquem Scripturæ non verbis nudis, sed & rebus exprimere, non est ludere, ut inhumanè pronuntiat Rivetus. Alioqui luserit Ambrosius, qui reliquias Martyrum Gervasii & Protasii posuit sub altari, more jam tunc recepto. Testis Augustinus in Confessionibus. Martyrum verorum veris reliquiis honorem deberi dixi, non quemvis honorem. Ad imagines ut veniam, non pugnant ista: picturæ non omnes Hebræis interdictæ sunt: & interdictum est Hebræis ullas facere imagines exstantes, id est simulacra. Distant enim ista non parum, ob causas alibi dictas. Si hoc præceptum Christianos adstringit, nulla debent usquam habere simulacra, ne regum quidem. Nam de Iudæis Tacitus: *non regibus hæc adulatio: non Cæsaribus honor.* Altera verò pars præcepti eousque extenditur, ut Hebræo non licuerit apud fontem, cui aliquod aderat simulacrum, corrigiam

calcei religare, quia id ſine aliquo flexu corporis fieri non poterat. Ne hac quidem parte Chriſtianos adſtrictos quiſquam dixerit, cùm veteres & boni Chriſtiani corpus flectere ſoliti fuerint apud ſtatuas Imperatorum, ut alibi manifeſtum fecimus. Neutra ergo hujus legis pars Chriſtianos obligat, niſi legem ſumas in ſenſu myſtico, quæ eſt ut à rebus in ſenſum cadentibus cogitatio & affectus abducantur: quomodo etiam ſabbati lege dici poſſumus obligari, hoc ſenſu, quod ſtudere debeamus paci conſcientiæ. Quod vero Auguſtinus ſolum præceptum quod de ſabbato eſt figurate obſervandum dicit, id non mirum eſt, cùm ille præceptum de imaginibus non habuerit pro præcepto: ſed tantum pro acceſſione primi præcepti: illud autem, non concupiſces, in duo præcepta diviſerit, ut denarium præceptorum numerum impleret. Scio alios illam legem de imaginibus aliter interpretari: ſed quod dixi, & verbis, & antiquiſſimis Hebræorũ traditionibus, congruit. Videat, cui id vacat, noſtra ad Decalogum & Maimonidem de idololatria cap. III.

Quo minus petentibus populis detur communio ſub utraque ſpecie, neque Conſtantienſis obſtat; neque Baſilienſis, neque Tridentina Synodus. Velim autem ſcire, cùm olim non in Suedia tantum & Norwagia, ſed in omnibus partibus tranſrhenanis, ut ex diviſione regnorum inter Caroli Magni liberos apparet, non eſſet ea vini copia, unde in uſus tot populorum conſecratio fieret, an rectius tunc facturi fuerint laici, ſi à communione abſtinerent, an verò ſi ſumerent, quòd haberi poterat. Prius illud aliquando defendit Caſſander: poſtea mutavit ſententiam.

De Vnctione infirmorum.

Sanationes corporum figuram habere ejus ſanationis quam Chriſtus in animis operatur, omnes veteres qui ad Euangelia ſcripſere conſentiunt. Quare etiamſi unctio ad ſanandos corporis morbos nunc nihil proficeret; quod ego affirmare non auſim, cur unctio ad figurandam animorum ſanationem adhiberi non poſſet, nihil eſſet cauſæ. De Græcæ autem Eccleſiæ circa hanc rem more à primis temporibus ad

hæc tempora deducto, si quis dubitat, videat Ieremiam Patriarcham, videat Bellonum, videat Arcudium & alios qui de Græcis ritibus scripsere. Preces quæ unctioni accedunt tam in Græca quàm in Latina Ecclesia sunt egregiæ. Si qua in aliquibus locis accessere superstitiosa, de quibus queritur Melanchthon, ea auferri possunt.

De cœlibatu Sacerdotum.

Romani olim milites conscribebant tantum cœlibes; neque tamen propterea nuptias dehonestabant. Sic & cœlibes castos ad munera quædam Ecclesiastica præferri maritis, non est interdicere nuptias. At si ubique locorum appareret cœlibatum esse sine castitate, jam è re esset mutare legem, quod voluere illi, quos D. Rivetus allegat. Locus autem Pauli de ea quæ ad viduatus ordinem asscribebatur γεγονῖα ἑνὸς ἀνδρὸς γυνή, aliter acceptus nunquam est, neque salva ratione recti sermonis aliter accipi potest, quàm de vidua univira, ut Tertullianus loquitur, de ea quæ unum tantum virum experta sit. Eæ enim apud omnes gentes honoratiores erant, ac propterea aliis, quæ sive post mortem viri, sive post divortium, secundas expertæ erant nuptias, meritò

meritò præferebantur. Ac ſicut hæc interpretatio nullam apud ſanos homines accipere poteſt controverſiam, ita par locutio de Epiſcopo pari modo accipienda eſt: ut talis eligatur qui non niſi unam feminam ſit expertus. Nam plurium uxorum maritus is dicitur, qui poſt primam uxorem quocunque modo ducit alteram. Quomodo Felix trium reginarum maritus dicitur Suetonio. Huic interpretationi genuinæ & verbis congruenti., cùm traditio perpetua acceſſerit, tamen ſunt qui tantùm ingenio ſuo indulgent, ut eam contra interpretari audeant, nec alia de cauſa, niſi quia ipſis ita libet: quo vel ſolo exemplo diſcimus quãti ſit periculi iſta libertas. Scio eſſe inter Reformatos qui veram hujus loci interpretationem agnoſcunt: ſed quamquam docendi munus uſurpant, dicunt ſe non eſſe aut Epiſcopos, aut Presbyteros: ſed merè laicos qui eo canone non teneantur; in qua re ipſis non contradixerim. Nam ſi quid valet mos perpetuus univerſæ Eccleſiæ, ab ipſis Apoſtolis, ut credi par eſt, & antiqui credidere, introductus, neque Presbyter ordinari poteſt niſi ab Epiſcopo, neque Epiſcopus niſi à duobus aut pluribus Epiſcopis: neque id ſatis eſt ut legitima ſit Eccleſiæ ſucceſſio, ſed neceſſe eſt iſti Epiſcopi per

ſeriem Epiſcoporum ſibi mutuò ſuccedentium in aliquem deſinant ab ipſis Apoſtolis inſtitutum, aut ordinatum ab iis Epiſcopis qui ad Apoſtolum aut Apoſtolicum virum auctorem cenſus ſuos deferre poſſint, ut loquitur Tertullianus. His ſanctiſſimis obſervationibus contemtis, eò ventum eſt licentiæ, ut quiſquis plebem ducere auribus poteſt, jus ſibi faciat novam colligendi Eccleſiam.

De Miſſa.

Preces ad Deum Patrem ut dona oblata Spiritu ſuo ſanctificet, faciátque ea corpus & ſanguinẽ Filii ſui (ita enim ſcribi debuit, quod rectè monet D. Rivetus) reperio in omnibus liturgiis Græcis, Latinis, Arabicis, Syriacis, etiam aliis. Rectè autem dixi morem ita veterem & univerſalem, ut à primis temporibus credendus ſit veniſſe, non debuiſſe mutari. Quæ verò D. Rivetus negat obtineri poſſe, ea ego nos ſuo tempore obtenturos ſpero, & ut id fiat Deum precari, & homines hortari non deſinam.

De ſolitariis Miſſis.

Non tantum in hac re de Euchariſtica communione, ſed & in aliis multa ſalubriter con-

constituta fuere à Synodo Tridentina. Quæ si exactius observarentur, fieret hoc magno cum bono Ecclesiæ, & cum dolore eorum qui malunt accusare talia, quàm videre correcta. Nobis liceat dicere:

οὔπω μῆνας ἄγων ἔκαμ' οὐρανὸς, οὐδ' ἐνιαυτούς.

De Sacrificio corporis & sanguinis Christi.

Nihil opus hîc repeti quòd supra dictum est, offerri ab Ecclesia idem quod obtulit Christus: & ita loqui veterum laudatissimos. Deum verò propitium reddi per pœnitentiæ opera, eo sensu rectè dicitur, quo in veritate & misericordia expiari iniquitates dicit Salomo. Prov. XVI, 6. Nabuchodonosoro autem consilium dat Daniel eleemosynis peccata λυτρῶσαι. IV. 24. pro quo Chrysostomus dicit καθαροῦν. Vide plura quæ in eum sensum ex veteribus attulimus ad Luc. XI. 41. Sacrificium Christi respondet sacrificio anniversario quod fiebat pro populo. Opera autem illa pœnitentiæ, καρποὶ μετανοίας in novo Testamẽto, respondent victimis veterum περὶ ἁμαρτίας. Ita Origenes, Hieronymus, & alii qui Leviticũ interpretantur. Sacrificii autem vocem cur arctius quam vis & origo nominis patet,

interpretentur Rivetus, & cum eo alii, nihil cauſæ eſt niſi quia ipſis ita videtur. Verè dixi nullas eſſe veteres liturgias in quibus non ſint preces pro mortuis: & Tertullianus hoc refert inter ea, quæ per omnes Eccleſias jam ipſius tempore erant recepta. Fatetur Rivetus infirmitates non planè recedere ab animis dum hîc vivitur. Fatetur in cœlum cum illis infirmitatibus animas non admitti. Eſt ergo purgatio. Sed ille eam in omnibus, etiam qui gravia peccarunt, vult eſſe momentaneam. Sed id non probat, nec quicquam adfert cur id credi debeat. De loco & modo nihil in Conciliis univerſalibus definitum eſt: quin jubet Concilium Tridentinum à curioſis quæſtionibus, quarum hæc non minima eſt, abſtineri. Decretum ego ſumpſi, pro ſententia, lingua legum. Locum Pauli qui de Oneſiphoro eſt, ſi quis rectè expendat, facilius eum credet tunc fuiſſe mortuum, quam vixiſſe. Alia enim precatur Paulus domui Oneſiphori: alia Oneſiphoro: domui etiam præſentia: Oneſiphoro tantùm futura. Chryſoſtomus ad eum locum: τοῖς μνείαις τῶν ἀγίων κοινωνοῦντες. Sed etiamſi vixiſſet tunc Oneſiphorus, argumentum rectè procederet; nam tempus illud ad quod hæ preces ſe referunt, tam mortuis in exſpectatione eſt

quam

quam vivis. Non vero sequitur, quædam preces pro mortuis ad diem judicii referuntur, ergo omnes: aut pro martyribus orasur & pro aliis: ergo eodem modo. Locum in quo essent animæ à corpore liberatæ, non fuisse à veteribus definitum, appellatum tamé ᾅδου nomine, verum est, & multum id ad hanc rem pertinet. Et legerunt illi tamen Paulum II Cor. v, 1. Sed eum intellexerunt rectè de corpore glorioso quod judicii tempore accipiemus: & sperabat Paulus futurum ut hoc sibi vivo contingeret, quod est superindui & non exui: sicut de Enocho & Elia vocem נלקח usurpant Hebræi, ut ad illum Pauli locum dicemus: simúlque ostendemus non alio pertinere, quod ibidem dicitur: ἵνα καταποθῇ τὸ θνητὸν ὑπὸ τῆς ζωῆς. quam quo pertinet illud I Corinth. xv, 53. Quare nondum probavit Rivetus ex ullo Scripturæ loco animos fidelium omnes illico à morte in cœlum recipi: & tamen non dubitat dicere se hoc credere. Vbi nunc illud, quicquid non est ex fide peccatum est: & : fides non est nisi ex verbo Dei scripto ? Ego hoc in argumento tam difficili, quod suspensis inceſſi pedibus, in eo feci quod veteres, multo me meliores & sapientiores, fecerunt: neque me pœnitet. In ludæorum traditio-

nibus discrimine opus est, inter ea quæ apud Hebræos omnes ab Esdræ tèmporibus recepta fuerunt, & à Christo, misso ad omnia corrigenda, numquam fuere reprehensa: & ea quæ Rabbini posteriores, ideo quod Christum non audiverant, à Deo destituti, partim stulta, partim & noxia commenti sunt. Methodius mortem quidem intercedere ait, ut nos, qui martyribus æquandi non sumus, purgemur, sed eam purgationem ἐν σιγμῇ Ἀποστολικῇ fieri, nec dixit nec credidit. τελείωσις in sacris scriptis multas habet significationes. At certum est eam vocem ab Hebræis usurpatam de animis à corpore separatis eo quo dixi sensu, & iisdem verbis, quibus utitur divinus ad Hebræos scriptor. Mirum autem qui traditiones repudiant, quas non commiscantur interpretationes quas appellãt consequentias, suo quisque arbitratu. Sinite mortuos sepelire mortuos suos. Ergo nefas est precari pro mortuis. Hoc vero est quidvis facere ex quovis. Argumenta quæ hîc adfert alia, non sunt secundùm dialecticam Molinæi. Scriptura hoc aut illo loco hoc non dicit: ergo nusquam dicit. Item: Scriptura hoc non dicit: ergo falsum est. Sensus loci 11 Cor. 15,28, omnino is est quem dixi: eum verba præferunt: eum nobis indicat

dicat consuetudo, cujus testem habemus non Tertullianum tantùm, sed & multos alios, ut ad eum locum me ostensurum confido. Nolim autem credat D. Rivetus Apostolos argumentum sumpsisse à moribus improbis. Minimè id conveniebat ei Spiritui per quem ducebantur. Rogo autem D. Rivetum & alios qui ipsius, & ipsi similium auctoritate ducuntur, ut non in hac tantùm re, sed & in aliis separent dogmata vetera ab iis quæ sub prætextu illorum dogmatum malè sunt introducta.

De Monachatu.

Monastica vita cum Nazaræis, Elia & Rechabitis hoc simile habet, quod ostendit licuisse & semper licere, vitam sumere austeriorem quàm cæteri, tum ad vitandas occasiones malorum, quas turbæ conspectus suppeditat, tum ad faciendum majorem in Christiana sanctitate profectum. Tale fuit in illo populo imperfectiore Rechabitarum institutum. Potuerant in urbibus vivere, nisi bono consilio vitam istam à Propheta laudatam, prætulissent. Essenorum cœtus, & illos cœlibes, & alios sine cœlibatu sublimius propositum sectantes, ante Christum fuisse qui negat, is Iosephum

& alios Hebræos ſine ulla cauſa mendacii accuſet neceſſe eſt: Cur non eos itidem ut Phariſæos & Sadducæos reprehendit Chriſtus? Nimirum quia erant ἔνθετοι πρὸς τὴν βασιλείαν τῦ θεῦ, τετιμγμένοι πρὸς ζωὴν αἰώνιον, contemptu rerum hujus ſæculi paratiſſimi ad recipiendum Euangelium, & ii unde maxima ex parte conſtitit illa Eccleſia Hieroſolymitana, ipſorum mores imitata. De recto uſu vitæ iſtius μοναχικῆς, quæ dixi, dixiſſe me non pœnitet. Et ſi non ſtatim obtinemus quod optimum eſt, ne tamen deſperemus, tempora, quæ pridem in pejus ruêre, poſſe redire in melius. Τῶν ἀπορήτων πόρον ἔυρε θεός.

De Canonicis.

Quæ de his corrigendis dixi, non utilia tantùm puto, ſed & planè, ſi Eccleſiam ſanare & reſarcire volumus, neceſſaria. Ioannes ille Conen ante hac mihi ne auditus quidem, nihil ad Caſſandrum. Minimum eſt judicari ab humana die. Aliud nos, quod falli non poteſt, judicium exſpectat.

De poteſtate Eccleſiaſtica.

Poteſtas Eccleſiæ præpoſitis, ut quædam conſtituant pacis, & ordinis & majoris

ris utilitatis causa, quæ nos obligent, negari non debet. Neque sanè quæ in commune ubique præcepta sunt, aut multa sunt, aut gravia. Localia quo in gradu habeantur dixi supra ex scriptis eruditorum, Remissio peccatorum, ut sæpe dixi, & si opus est dicam sæpius, misericordiæ Dei, & satisfactioni Christi accepta ferenda est: attamen conditiones ut plurimùm requiruntur, in quibus sunt & pœnitentiæ opera, quæ rectè eo sensu dixi esse sacrificia propitiatoria ex vi sacrificii generalis. Non tamen dicam mereri ista remissionem: quia nemini Deus graviter lapso tempus, & alia ad conversionem necessaria promisit: & non est in hoc negotio ἀντιπόδοσις, sed mera miseratio. Tam in appendice quàm in annotatis ad Iacobum certus sum me non usum illegitimis illationibus, sed dogmata quæ noxia arbitror, explicasse ipsis verbis quibus docetur. Idque, si opus est, apertissimum omnibus Christianis facere me posse confido. Idem fecit vir optimæ fidei qui illum scripsit longè utilissimum librum de absoluto reprobationis decreto, quem ego non verti in Latinum sermonem, sed versum & editum gaudeo ob eum honorem quem Deo, & eam dilectionem quam proximis meis debeo. Adeóne verò

verò nos ignaros, aut rerum veterum, aut novarum credidit D. Rivetus, ut dicat a Protestantibus in Gallia & Belgica observari canones Apostolicos, quales reperiantur & in Epistolis & in historia? Hæc ne dici in tanta literarum luce? Nihil dicam asperius, quanquam jure possim.

De Canonicis scripturis.

Gaudeo D. Rivetum non accedere iis qui Iacobi epistolam rejecerunt, quorum quidam hoc amplius dixere: mentiris Iacobe in caput tuum. Vetus Testamentum quod attinet, cùm Latinæ versiones varient, non est quod credatur Synodus Tridentina obligare eruditos ad habenda pro Canonicis ea, quæ non in omnibus Latinis codicibus exstant. Multum autem fallitur D. Rivetus cum putat omnes eos libros veteris Testamenti, qui in Hebræo exstant Canone, dictatos à Spiritu sancto. Esdras secundùm omnes Hebræos neque Propheta fuit, neque Spiritum sanctum habuit. Sed libri ejus & tota collectio librorum vetustiorum ab ipso facta, approbata est ἀπὸ τῆς συναγωγῆς τῆς μεγάλης: in qua erant & Prophetæ nonnulli: quamquam de libro Ecclesiastæ hæsitatum fuisse ajunt Hebræi: sed prævaluisse

valuisse sententiam eorum, qui eum reciperent. Quorum sententię libens subscribo. Lucas quoque scripsit verissima, sed unde ea hauserit dixit ipse in præfatione. Notandum autem nullum esse librum receptum à Synodo Tridentina, cujus non auctoritate usi sint veteres.

De sufficientia sacræ Scripturæ, & auctoritate traditionum.

Deo gratias ago, quòd ea quæ singulis Christianis sunt necessaria, Apostoli, aut Apostolici viri non docuere tantùm, sed & perscripsere. Sed si eo tempore vixissem, tam dicentibus illis credidissem quàm scribentibus. Et sicut de iis quæ scripsere, sequor plurium & antiquissimorum codicum fidem, ita in iis quæ dixere plurium & antiquissimorum testium. Papias si exigui judicii fuit & propterea facilis falli, fuere alii eodem tempore judicii melioris. De mille annis quod creditum fuit, non sanè ab omnibus, sed à quibusdam, aliquid potest habere veri, aliquid falsi. Pro traditione Apostolica id nunquam universim habitum fuit. Sunt traditiones ὑποβολιμαῖοι: sunt & ὑποβολιμαῖα in codicibus multis. Ad vera à falsis tanto post tempore discernenda

da multo judicio, multo labore opus eſt. Et non omnia ejuſdem ſunt ponderis. ac ſicut in rebus magni ponderis Deus non ſivit corrumpi omnes codices, ita nec traditionem. De Rabbinorum traditionibus jam antè quod ſentiam ſignificavi. illud cum Scaligero affirmem, ſi quis ſe ſperet legem Moſis intellecturum ſine ope traditionum, eum impoſturam facere & ſibi, & aliis. Videbit me verum dicere qui leget quæ diximus ad Matt. xv, 2. & quæ nunc edimus ad Teſtamentum vetus. μέτρον δ' ἐν πάσιν ἄριστον. Traditiones poſt Chriſtum Iudaicas nihili facio. Eo enim tempore Spiritus Dei deſeruit Synagogam, ut prædictum fuerat. Nihil autem verius eſt eo quod dixi, paris auctoritatis eſſe quæ dixerunt, & quæ ſcripſerunt Apoſtoli: nec addenda exceptio eſt ut eam addit D. Rivetus, modo ea dixerint ex Spiritus ſancti inſpiratione (unde enim id ſciemus?) ſed modo dixerint ſe ea dicere ex Domini mandato, aut alioqui certo ſibi comperta. Vim locorum pro traditione quæ produxi ex veteri Teſtamento miror non comprehendi à D. Riveto. Id enim quæro, an non antè Moſem viri pii credere debuerint ea quæ de mundo condito, de diluvio rebuſque aliis, perpetuo conſenſu tradita fuerant? an non eadem credere debuerint

buerint post Mosem qui literas non didicerant? An non ista loca narrationi fidæ eandem quàm scriptis tribuant auctoritatem? Quæ fuit auctoritas traditionum illo tempore eadem nunc est. par est ratio. Nam Apostolicum decretum illud ubi sine Apostolorum literis, à Paulo & Barnaba prædicatum est, nonne idem valuit? quid novæ auctoritatis addere potuerunt literæ, vocum signa? Omnes Patres veteres pari loco habent traditiones Apostolicas bene probatas, cum Scripturis. De traditionibus eorum qui se ab Ecclesia Apostolica segregaverant, & cum Scriptura pugnabant, res alia est. Quærit ex me D. Rivetus ex qua traditione hauserim interpretationem primùm obviam, id est κατὰ πόδας loci qui est Esaiæ VII, 14. Facilis est responsio: me in illa expositione nullũ statuere dogma quod traditionis auctoritate egeat. Credo Christum ex Virgine natum, sicut omnes credunt Christiani. Mea nihil refert, locum κατὰ πόδας, sic explicari, nisi quod tota series loci & mihi & multis aliis id videtur exposcere. Et idem polliceor me facturum in multis aliis Prophetarum locis, ut ea primum referam ad id quod tempus, & consequentia rerum postulant: deinde μυστικῶς ad Christum & Christianos, quorum res

non verbis tantum, ſed & rebus geſtis in veteri federe fuere adumbratæ. At verba aliud ſignificant ad Eſaiæ filium, aliud ad Chriſtum relata. Culper in hoc, ſi non in plurimis locis idem accidit. Nam & quæ Apoſtoli & Euangeliſtæ ex Pſalmis adducunt, ea verba aliud in Davide ſignificant, aliud & excellentius in Chriſto. Quid quod ejuſdem περιοχῆς pars interdum aliqua κατὰ τὸ μυστικώτερον ad Chriſtum referri poteſt & debet, pars nec poteſt nec debet, ut videre eſt tum alibi, tum II Sam. VII, 13, 14, 15. Sic vox בֵּן longè aliud ſignificat ad typos Chriſti relata, longè aliud relata ad Chriſtum. Sic ſpiritus aliud cum de ſe loquitur David, aliter cùm idem dicit Chriſtus Lucæ XXIII, 46. Secundùm carnem, & ſecundum ſpiritum naſci, aliud in figura ſignificat, aliud in re figurata. Gal. IV, 22, & ſeq. Plurima poſſem adferre talia niſi ea ſcire deberet D. Rivetus & Doctor & Profeſſor. Nihil autem illa mea κατὰ πόδας expoſitio rei Chriſtianæ detrimenti adfert. Bene enim dixit vir ſanctiſſimus Hieronymus Savanarola in triumpho Crucis, imprudenter facere qui iſto Prophetæ loco Iudæos ſperent ſe poſſe convincere. Pone enim Iudæum reperiri, qui credat ibi primo ſenſu de Meſſia agi, qui ex Virgine naſci

naſci debeat. Ieſum Nazarenum ex Virgine eſſe natum, quo teſte illi probabis? Aliis ergo argumentis opus eſt quibus probetur Ieſum eſſe illum Meſſiam: quod qui cognoverint, eis auferetur velum. Sic videbunt totam veteris Teſtamenti diſpenſationem ad hunc Ieſum reſpicere, & in eo præfigurando occupari: & ſicut Eſaiæ filium Chriſti, ita Eſaiam ipſum Dei geſtiſſe imaginem. Rurſum quærit à me D. Rivetus, ex qua traditione hauſerim, quod dixerim Iohan. VIII, 58. divinam ſignificari conſtitutionem de Meſſia, quæ ipſam Abrahami vocationem præceſſerit. Pari modo ex Auguſtino quærere potuit, qua traditione ſuffultus ejuſdem Ioannis locum, XVII, 5. ad divinam conſtitutionem retulerit, quem plerique veterum ad προϋπαρξιν & λόγυ retulere. Quod pro Auguſtino reſpondebo, idem pro me reſponſum eſto: exiſtimaſſe eum id illi loco ubi de Chriſto, ut homine, agitur, eſſe congruentius. & λόγου προϋπαρξιν & firme credidit Auguſtinus & ex aliis locis adſtruxit: & cum eo ego. Si aut Auguſtinus aut ego qui planè in hac re Auguſtinum ſequor, novum introduxiſſemus dogma, aut vetus dogma convellere voluiſſemus, potueramus ex veteri traditione refelli. Nunc nihil tale eſt. Sumpſi ego, ex-

emplo Auguſtini, & aliorum libertatem interpretandi verba Scripturæ eum in modum qui veteri ac conſentienti traditioni nulla in parte repugnaret: quod Maldonatus fecit multis in locis, ut jam de Calvino & Beza nihil dicam.

De Perſpicuitate Scripturæ.

Traditio enodat certè Scripturam: ſed quia non omnibus otium eſt, & ea cognitio quæ requiritur ad conſulendos teſtes antiquos, cui tutius credent tales, D. Riveto, an toti Eccleſiæ?

An omnibus permittenda lectio.

Non poſſum hîc non laudare pietatem Regis Chriſtianiſſimi, qui viris valde eruditis munus impoſuit vertendi in ſermonem Gallicum utrunque Teſtamentum. Inter multa quæ fidei nocent hoc non minimum eſt, quod verſionem quiſque attemperat ad ſuas ſententias: &

Sua cuique Deus fit dira cupido.

Hoc verò an non eſt idola facere? imo ſemet collocare in templum Dei? ſi libeat illum locum ſumere κατ' ἀλληγορίαν. Aliud eſt annotare quæ quis vera putat ad explicatio-

cationem sacri textus: Aliud versione ad sensus detorta suorum dogmatum, suppositis verbis aliis quam quæ sunt in textu originario, quantum in te est, imponere lectoribus, præsertim linguarum imperitis, necessitatem tecum sentiendi, quod Beza & Piscator, & quidam post eos nimis sæpe feciſſe manifesto deprehenduntur.

Fides an sit in irregenitis.

Fides dicitur, & assensus intellectus, & assensus cordis aut voluntatis, ut ista rectè distinxit Melanchthon. Fides priùs est in intellectu quàm in voluntate: & dum in intellectu est, utilis est ad purgationem: ubi in voluntate est purgare incipit, & pro suo progressu majorem in dies facit purgationem. Loci ejus qui est capite ad Rom. VII, omnino veriorem interpretationem puto eam quæ ante tempora Augustini, & ab ipso Augustino, priusquam Pelagianis plus æquo iratus incalesceret, fuerat recepta. Causam inter alias hanc habeo quod πεπεραμένῳ ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν secundum locutionem Scripturæ dici non potest, nisi qui vitiorum sit servus, qualis non est Christianus gratiam Euangelii in se experiens, & minimè omnium eò tempore cùm hoc scriberet

erat Paulus, Christi virtutum proximus imitator. Si quis momenta utriusque interpretationis velit expendere, ei suadeo legat Cardinalem Toletum, non modo ad illud caput, sed & in speciali de ea re tractatu. Nihil tamen habet noxii illa posterior Augustini interpretatio, rem ipsam quod attinet: quia per facio, quanquam dure, intelligit προπαθείας, motus subitaneos. At qui ultra Augustinum in ea re progressi sunt, illa ad regnum cœleste per eos

Quæ fuerat quondam semita, facta via est:

Laxa sanè & lata. Sed nimirum cæci cæcos ducunt. Quale & illud est, quod reprehendor, quia dixi fidem illam obedientem homini quà talis & dum talis est, jus dare ad vitam æternam, & objicitur mihi Sarisburiensis. Ego verò & Sarisburiensi & aliis illud *dum talis est* rejicientibus, objicio divinum ad Hebræos scriptorem VI, 4, & sequentibus; & X, 20. ad quæ loca ait Franciscus Iunius, cui multum debeo, nunquam eum tam horrendas comminationes illaturum fuisse de re quam. fieri non posse crederet. Nec hic à nobis abit Augustinus, cujus hoc est, libro de correctione & gratia: *Deus quibusdam quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non dat perseverantiam.* Prosper verò: *Ex regeneratis*

in

in Christo Iesu quosdam relicta fide & piis moribus apostatare à Deo, & impiam vitam in sua aversione finire, multis, quod dolendum est, probatur exemplis.

De operibus supererogatoriis.

Nolimus de verbis disputare, ubi de re constat: aut nova præferre receptis antiquitus. In paulo hoc vel maximè eximium est, quòd Euangelium suo sumptu prædicaverit, non magis de eo præceptum habens quam Cephas. Deus hoc ei reddet, non quia res tanti est, sed quia amat talia.

De Hæreticorum pœnis.

Servetus quicquid tandem senserit, de quo mihi non satis patet, turbator certe Genevensis reipublicæ non fuit. Nam neque cœtus collegit, neque Genevæ morari voluit, sed consulere Calvinum, cujus de discipulis, omnia, ubicunque invaluere, imperia turbantibus idem dici non potest. Deus visitabit. opto illis ex animo magistros & mentem meliorem. Germani de Serveto nihil sciverunt, nisi quod ipsis dixit Calvinus. sed si ulla est pars Theologiæ, in qua facile est aut errare, aut accusari, est

ratione, videbantur. Disciplinam verò morum adeo ego non defugio, ut modò pax coeat, nulla futura sit tam severa, cui non libenter me meosque sim subjecturus. Miror vero conscientiam aliorum lacessere eos qui omnem vim conscientiæ adimunt suo dogmate, cùm docent justificatis sive electis suis non imputari, non auferre statum gratiæ, adulteria & homicidia, ideo quod ea faciant animo reluctante, id est contra conscientiam. Et hi sunt quibus ad conspectum rituum, etiam nihil mali habentium, oboritur vertigo. Hi sunt qui in alios censuram sibi vindicant, qui pro Scripturis obtrudunt quicquid ipsis in mentem venit. A tali animo prodiit & liber ille quem sine auctoris nomine scriptum ante annos LXXX Rivetus suo addidit, redolens planè Calvini spiritum, contumeliosum illum ac turbulentum. Tale & Epigramma, quod pro suspensa hedera operi suo apposuit, non ferreum sanè sed plumbeum.

Lectores tetrici salebrosum ediscite Santram.

Nimirum similes habent labra lactucas. Et sæpè fit ut pro luce fumatur ignis fatuus.

Aprili CIↃ IↃC XLII.

HV-

HVGO GROTIVS IACOBO LAVRENTII.

CVM intelligam minùs te esse seditiosum, quàm sunt non pauci tui ordinis, & ab aliis impulsum ruere te magis quàm ire, volo tibi dare fidele consilium, ut Sacras literas diligenter legas, non quales fluunt per rivos lutulentos, sed quales è limpido fonte: pro Confessione Belgica legas Confessiones veterum Christianorum, quæ exstant in libris ipsorum Apologeticis: pro Institutionibus Calvini, Commonitorium Vincentii Lirinensis: pro Catechismo Vrsini, Catecheses Cyrilli: pro Actis Synodi Dordrechtanæ, Acta Synodorum universalium. Id si facere velis, sine studio partium in quibus natus, educatúsque es, facilè videbis, non Grotium Papizare, sed Laurentiaden nimis diu Calvinizare. Res judicatas quod attinet, sunt apud vos jurisperiti quos consulere potes. Hi tibi dicent, præsumi pro iis quæ judicata sunt à legitimo judice, observatâ eâ judiciorum formâ quam leges publicæ præscribunt. Quæ à judice non legitimo, aut non legitimo modo facta sunt, ea præsumptionem

ptionem habere contra se. Aliter si sentias, non bene mereberis de posteris Wilhelmi Principis Arausionensis, & Casparis Coliniaci: ut jam de domo Palatina nihil dicam. De me hoc tantùm addam, vitæ meæ privatæ testes esse plurimos, qui me novere. Publicarum verò actionum eos quorum sub imperio fui, qui sciunt me ita ut debui custodiisse mandatorum fines. Id, quanquam magna mihi mala attulit, feciſſe me non pœnitet. Solatia à Deo & accepi & majora exspecto. Lutetiæ menſe Majo anni CIↃIↃC XLII.